

A
2571


A
396

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28

1 480 18

18713

18713



R. 7680.

INCLYTO AC MAGNANIMO

Principi, domino Illesonso Perez de Guzman el bueno,
Dudi de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Mar-
chioni de Caçaça, dignissimoque Cætaria-
rum domino: Petrus de Perama-
ro suus Medicus, opera
consecrat sua.



AEPE me dum nobilium statum cõtemplarer, dubium tenuit: qua re mã-
gis nobiles viros commendemus, literarum ne varia & diligẽti profefsio-
ne: an forti, dextero, ac frequenti armorum exercitio. In qua ambiguita-
te quid alij delirarint non curo. Nobis enim etiam si diutius animum vo-
luimus, nunquam licuit nõdum explicare: donec in te ipso, adeo isthac
duo cohære animaduertimus, vt alterũ ab altero seingere, turpe iam
videatur, & ingenuis hominibus, ac magnatibus indecens. Nam non modo
musarum studium, & bonarum artium cultus (quibus a peritissimo, atque
integerrimo Oretano, meritissimo tuo magistro, iam diu non sine ingenti fructu instrueris)
tibi video placere: sed & arma ipsa, summa, noua, ac præstanti arte tradita, a nobili, docto, ac
dexterrimo didicisti Carrança. In quo quid mãgis admirari debeamus: an quod nouã artem
mundo nunquam visam, Philosophiæ ac Geometriæ alumnã dederit: an quod te pari dex-
teritate crearit, ambigo. Deus bone, o quantum in vtraque profecisti disciplina, quam acere
ingenium accepisti, quantaque cum comitate fortitudo, animo adhaesit tuo. Hercle si ex præ-
sentibus futura vaticinari licet, fore reor. Vt qui Methimnensem Ducatum hæreditate obti-
nuisti, Christiani orbis propugnaculum tua disciplina atque virtute sis futurus. E quid enim
minus de tam docta circa res gerendas prouidentia, de tam dextra armorum potentia, in tan-
ta generis nobilitate spectemus? Cur enim falso a poeta existimemus distum fuisse illud.
Nec imbellem feroces progenerant aquilæ columbam: Fortes creantur fortibus. Accessit &
Cæsaris gratia, ab auis, proauis, & atauis, ad te deriuata: tibi que ob singularem virtutem de-
bita: atque etiam ob coniugem clarissimã simul ac foelicissimã, denuo accessita: que ani-
mum tuum suapte sponte currentem, non potest ad maxima quæque nõ accendere. Et si leo-
nem (quod in prouerbio est) ex vnguibus agnoscere nõ est difficile: cur non ex tã illustri tuo
principio, omnium qui te Duce militamus, bonam fortunã, & tui ingentem gloriam spera-
bimus? cur non omnes nostros conatus ponemus, vt tuã virtutem omni laude maiorem
extolamus? Saltem enim hac laude, omnium animos ad te vnum spectandum suspendemus,
& æmulum in reliquis magnatibus studium accendemus: vt otio & voluptatibus prætermis-
sis, cum doctis conuersari, ex ipsis addiscere, & eosdem ceu meritissimos domi alere, & mune-
ribus ornare, ex te addiscant. Sciant velim, neminem iam esse qui virtute aut eleganti aliqua
doctrina præstet, quin tui munera sentire ocepere: quæ tanto sunt maiora futura, quanto
sperandarum rerum vitima, sunt inijs proceriorã. Hæc si reliqui imitentur, tibi ceu fonti, &
illustri exemplari debemus: sin vitam vero cum ignavis transigere malint, omnis bonarum
literarum cognitionis & fructus expertes: stypites verius quam homines esse, & inanimem
quandã vitam agere intelligãt. Quo quid turpius? Ego sane hæc tibi laborum meorum mo-
numenta nuncupo, vt te patrono secura incedant, & per vicos atque plateas oberrantia;
tux virtutis & liberalitatis in nos, si nõ quale debebamus, quale potuimus testimonium præ-
beant. Quæ vbi tibi placuisse intellexero, maiora quæ ad manum mihi iam sunt, tuo nomi-
ni consecrabo. Vale Magnatum, Hispaniæque nobilitatis decus.

Handwritten signature or scribble at the bottom right of the page.

Libro de Humoribus, haec quae sequuntur requiruntur.

- A**n reliqui humores a sanguine nos a-
lant: an vero sanguis solus. cap. 1.
An humores sint immediata nutritiois ma-
teria: an vero in humiditates secundas ma-
gis immediatas migrent. cap. 2.
Quot sint secundae humiditates. cap. 2.
An omnium humorum autor sit iecur. c. 3.
An pituita gignatur in ventriculo. cap. 3.
An iecur, & alia pariter membra, sibi tantum
conficiant alimenta: an in totius etiam cor-
poris gratiam. cap. 3.
An in iuuenibus totum mel vertatur in fla-
uam bilem. cap. 3.
An venae sanguificent vi propria, an a ieco-
re demandata. cap. 4.
An omnes humores abundantiores efficiat
temperatum iecur. cap. 4.
An calidi atque frigidi humores in iecoris
confectione simul gignantur. cap. 5.
Quae sit humorum inter se proportio natu-
ralis. cap. 5.
An ex humorum actione reciproca, media
confurgat in omnium massa, temperatura
& forma. cap. 6.
An quarta sanguinis substantia, a tribus re-
liquis simul sumptis sit diuersa. cap. 7.
An sanguis sit calidus, an frigidus, an tempe-
ratus. cap. 8.
An sanguis plus habeat substantiae aquae &
terreae, quam igneae & aereae. cap. 8.
An sanguis sit iecore calidior. cap. 8.
Quomodo ossa frigida, calore possunt san-
guinem calidum coquere, & eo nutrir. c. 8.
An sanguis sit bile calidior. cap. 9.
An sanguis in bilem flauam possit commu-
tari. cap. 10.
An sanguis in atram bilem commutari pos-
sit. cap. 10.
An sanguis in pituitam possit verti. cap. 10.
An pituita sit calida, an frigida. cap. 11.
An pituita distinguatur ab humore crudo.
cap. 12.
Quot sint pituitae species. cap. 13.
Inter species pituitae quae sit naturalissima,
cap. 13.
An pituita dulcis sit naturalis, cap. 13.
An pituita, putredine possit reddi salia. 14.
An pituita, mistione paucae bilis, salia reddi
possit. cap. 14.
An pituita, salia effici possit, mistione serae
salis. cap. 14.
Quomodo ex amaro, calidiori ac sicciori
quam sit salsum: vltiori vltione gigni pos-
sit salredo. cap. 14.
An pituita salia sit calida, an frigida. cap. 15.
An acida pituita calore possit prouenire:
an vero semper frigore. cap. 16.
An pituita, solo indigentiae tempore in san-
guinem vertatur. c. 17. Auicenna tamen
qui hic videtur reprehendi, interpretatur
capite decimotertio libri de Facultatibus.
An pituita in bilem verti possit. cap. 17.
An pituita in atram bilem transeat. ca. 17.
An omnis atra bilis debeat esse nigerrima.
cap. 17.
An album quod in nigrum debet migrare,
per medios colores omnes transeat. ca. 17.
An bilis sit sanguinis spuma. cap. 18.
Quot sint bilis naturalis species, & vtra ea-
rum sit naturalior. cap. 19.
An rufus color sit medius inter album &
flauum. cap. 19.
An detur bilis aliqua rubra. cap. 20.
An vitellina bilis, similetur oui vitello, tam
colore, quam consistencia. cap. 21.
An bilis vitellina sit humor syncerus: an co-
positus ex bile & pituita. cap. 22.
An bilis prasinata sit eadem cum aeruginosa. 23.
An prasinata similetur succo porri, an folio
eiusdem. cap. 23.
An aeruginea sit candidior, an nigrior por-
racea. cap. 23.
An aeruginosa sit eadem cum zinaria. c. 23.
An aeruginosa bilis in ventriculo gigni pos-
sit. cap. 23.
An porracea in vasis, & aliubi quam in ven-
triculo gignatur. cap. 23.
An viridia, aut nigra, sine affectu aliquo
morbofo excerni possint. cap. 23.
An porracea bilis, in ventriculo, an in ieco-
re gignatur. cap. 23.
An bilis caerulea, & isatidea, sint degenerare
viridium. cap. 24.
An omnes bilis species sint octo. cap. 24.
An

- An bilis in pituitam commutari queat. ca. 25.
An bilis possit in melancholicum succum verti. 25.
Cur atra bilis inter bilis species non con-
numeretur. cap. 25.
An succus melancholicus a fece sanguinis
distinguatur. cap. 26.
An succus melancholicus inter humores
teu eorum vnus sit memorandus. cap. 26.
An succus melancholicus sit acidus. cap. 27.
An omnis atra bilis sit acida. cap. 27.
An fermentatio terrae a calore, an a frigore
prodeat. cap. 27.
Cur atra bilis muscas abigat. cap. 27.
An succus melancholicus gignatur a calore
teperato, an ab vltiori, aut citiori. c. 28.
An lien nutriatur succo melancholico. c. 29.
Cur melancholicum succum non traduxit
natura in proxima ano intestina. cap. 29.
An succus melancholicus naturalem fame
excitet. cap. 29.
Cur athletae famefiant. cap. 29.
An succus melancholicus sit causa motus
& aestitiae, sui nigredine, an temperamē-
to quo insignitur. cap. 30.
In quos humores commutari possit succus
melancholicus. cap. 31.
An atra bilis ex subco melancholico sit de-
terior, qua quae ex flatia bile gignitur. c. 32.
Causae traduntur cur diuersi humores, di-
uersis perio dis moueatur & repetat. ca. 33.
Quis humor sit putredini opportunior, &
quis ineptior. cap. 33.
A quo humore cum putret, maior disposi-
tio relinquatur in foco. cap. 33.
Cur sanguis continenter putret. cap. 34.
An serum humorum in corpus eo feratur,
quod a renibus trahi nequeat: an alicuius
vlus gratia. cap. 35.
An potus sit vrinae materia. cap. 35.
An detur cacochimia serosa. cap. 35.
An vrina, pariter & sudor, sint recrementa
secundae, an tertiae coctionis. cap. 35.
An portio feri quod ad membra migrat,
retrocedat ad renes. cap. 35.
An vrina ostendere possit dispositiones va-
forum. cap. 35.

LIBRO DE TEMPERAMENTIS.

- A**n totidem sint temperamenta, quae
elementorum miscendi rationes. c. 1.
An temperamentum sit concentus, propor-
tio, aut harmonia miscibilium. cap. 1.
An temperamentum sit qualitas quinta di-
stincta a primis. cap. 1.
An in generatione quintae qualitatis, aut te-
peramenti, primae quatuor corrupatur. c. 1.
An temperamentum sit vna qualitas in to-
to corpore. cap. 1.
An quinta qualitas quae temperamentum di-
citur, sit qualitas actiua, an passiuua. cap. 1.
An quinta qualitas dicta, eandem habeat esse-
tiam cum naturalibus facultatibus: an diuer-
sam. cap. 1.
An in temperamento duplex qualitas consur-
gat, vna ex actione actiuarum, & altera ex
passiuis. cap. 2.
An quatuor primae qualitates elementorum
sint actiuae: an duae actiuae, & duae passiuuae:
in quo Aristoteles a Galeni calumnia de-
fenditur. cap. 2.
An frigus naturae opera ingrediatur. cap. 2.
An temperatum sit notius intemperato: & a quo
incipienda est doctrina temperamentorum. c. 3.
An ad temperatum in vniuersa substantia
creandum, requirat Galenus in elementis
aequalitatem ponderis, an mensurae. cap. 4.
An aequata contraria dum permiscuntur, aequi-
tarent seipsa ad medium interualli. ca. 4.
An medium in vniuersa substantia, inter aere
& aquam necessario debeat locari. cap. 4.
An temperatum ad pondus (in quo contraria
non modo aequalis mensura, aut pondus: sed
aequalis etiam robur obtineat) dari possit. 4.
An medium temperamentum iusticiale in ho-
mine, coincidat cum temperato in ordine
ad vniuersam substantiam. cap. 5.
An temperamentum medium iusticiale, coincides
cum medio totius substantiae, sit puntuale. 5.
An cutis constet ex neruo & carne. cap. 5.
Quomodo temperatum corpus vere dici-
tur esse, id cuius omnia membra calent. c. 5.
Cur frigidus sua natura partes, cute calidio-
res tangentibus sentiuntur. cap. 5.
Quo ordine disponantur calida nostri cor-
poris membra, in ordine ad cutem. cap. 6.
An calor aut frigus particulae, per abundan-
tiam aut defectum sanguinis ad ipsam trans-
missi, debeat metiri. cap. 6.
An sanguis sit calidissimum eorum quae sunt
in corpore nostro. cap. 6.
An cor sit omnium membrorum calidissi-
mum. cap. 6.
An spiritus sint corde calidiores: & quomo-
do temperati a Galeno dicuntur. cap. 6.

INDEX.

- An carnis temperies sit cuti proxima. cap. 6.
 Cur lieni calido & spirituofo, frigidum alimentum tribuat natura. cap. 6.
 An venæ & arteriæ sint calidæ, an frigidæ. cap. 6.
 An ventriculus, & intestina, ex innata temperie caleant. cap. 6.
 Quod non omnes fibræ sint eiusdem temperamenti: sed quædam cute paulo magis, aliæ paulo minus frigidæ. cap. 6.
 An pulmo in censu calidorum sit annumerandus. cap. 6.
 An frigidius quod est in corpore nostro sit pituita. cap. 7.
 An pilus caleat, an frigeat. cap. 7.
 An os sit frigidius cartilagine. cap. 7.
 An cartilago sit frigidior ligamento. cap. 7.
 An membrana sit neruo frigidior, an calidior. cap. 7.
 An neruo tantum deficiat de calore, quantum de sanguine. cap. 7.
 An nerui duri, sint calidiores mollioribus. cap. 7.
 An cerebrum sit calidius spinali medulla. c. 7.
 An spinanalis medulla sit calida, vt voluit Aristoteles. cap. 7.
 An cerebrum in ordine ad cutim, sit calidum, an frigidum. cap. 7.
 An adeps frigida sit, an calida. cap. 7.
 An pituita sit humidissimum quod est in corpore nostro. cap. 8.
 An sanguis minus humidus sit quam pituita. cap. 8.
 An osium medulla sit humidior cerebro, & spinali medulla. cap. 8.
 An cerebrum sit humidum, an vero mediâ prorsus naturâ habeat aquæ & terræ. c. 8.
 An vbera sint humidiora testibus. cap. 8.
 An cerebrum & pulmo, humiditatis ratione sint adipi proxima. cap. 8.
 An pulmo sicus, sit an humidus. cap. 8.
 An humiditates pulmonē irrigantes, ipsum reddât humidiorē quâ eius natura poscit. 8.
 An iecur sit insigniter humidum, & an pulmone humidius. cap. 8.
 An renes sint humidi, an sicci. cap. 8.
 An cor sit humidum, an siccum cutis comparatione. cap. 8.
 An nerui molles sint temperatiores, & cuti magis proximi quam duri. cap. 8.
 An olfactus sensorium sit nasus, an vero carunculæ mamillares appellatæ. cap. 8.
 An auditus sensorium sit humidum. cap. 8.
 Visus organi temperamentum quod nâ sit. c. 8.
 Cur oculum natura æreum nō fecerit. c. 8.
 Cur oculi lucem habent, si aquei sunt. ca. 8.
 Cur pilus osse siccior statuitur, cum tamen sit mollior. cap. 9.
 An arteria sit siccior vena. cap. 9.
 An nerui duri in siccitatis ordine, post venas sint memorandi. cap. 9.
 An cutis omnium intemperantiarum medium teneat. cap. 9.
 An membra naturam suam seruantia, sibi inuicem pugnent, & contraoperentur. c. 10.
 An iecur possit interdum a corde infrigidari, & cor a iecore incallescere. cap. 10.
 An cerebrum cor refrigerare possit. ca. 10.
 An viuientia omnia sint calida & humida. cap. 11.
 An temperata hominis natura, in medio se deat extremorum. cap. 11.
 An omnium quatuor qualitatum primarum latitudo sit æqualis. cap. 11.
 An humida in quarto possint nos alterare vltra gradum secundum. cap. 11.
 An natura humana magis ad calidum quâ ad frigidum, an contra labi possit. cap. 11.
 An simplices intemperantiæ debeant de numero temperamentorum adimi. cap. 12.
 An passiuæ qualitates sint materiæ actiuarum, actiuæ vero passiuarum formæ. ca. 12.
 An seclusa ætatum successione, simplex intemperies possit suapte sponte in compositam commutari. cap. 12.
 An fœmina masculo sit frigidior. cap. 13.
 Cur in biliosa muliere pudenda intus delitescant: & in pituitoso viro extra erumpant. cap. 13.
 Cur fœminæ gestentur in sinistris, viri vero in dextris vteri sinibus. cap. 13.
 Signa quæ masculum aut fœminam gestari significant, examinantur. cap. 13.
 An mulier ambidextera reperiat. cap. 13.
 An latus dexter, sit sinistro calidior, & validior: an contra. cap. 13.
 An vita carentia habeant ætates. cap. 14.
 An ætates distinguantur certo aliquo ac præfixo temperamento, quod quædam ætates citius, aliæ tardius nanciscantur: an vero certo annorum numero: an neq; hoc, nec illud. cap. 14.
 Aetatum numerus examinatur. cap. 14.
 An iuuenes augeantur. cap. 14.
 An pueritiam vltra decimumquartum annum interdum


INDEX.

- interdum extenderint auctores. cap. 14.
 Cur pueritia in plures partitur ætates, quâ iuuentus & senectus. cap. 14.
 An senium, & mors, arte vlla possint deuari. cap. 15.
 An genita omnia sint interitura. cap. 15.
 An innatus calor, contraria possit: nostrum scilicet corpus nutrire ac seruare, & id ipsum exsiccare atque corrumpere. cap. 15.
 Quomodo innatum calidum se ipsum consumit, & in semetipsum agere potest. cap. 15.
 An aer sepe exsiccet corpora nostra. c. 15.
 An si humidum radicale, neque ab externis, nec ab internis causis exsiccaretur, posset homo mortem effugere. cap. 15.
 An pueritia sit ætas calida atq; humida. 16.
 An adolescentia sit temperatissima ætas. cap. 16.
 An iuuentus sit pueritia calidior. cap. 16.
 An calor a pueritia in iuuentutem intendatur a seipso: an ab alio. cap. 16.
 An in ætate constante, æqualis fiat resolutioni restauratio. cap. 16.
 An vergens ætas sit calida, an frigida. c. 16.
 An senes sint sicci, an humidi. cap. 16.
 Vim magnam assuetudinis esse: quomodoq; sit seruanda & permutanda. cap. 17.
 Causæ diuersarum assuetudinum multiplices traduntur, iuxta diuersitatem materiæ circa quam versatur consuetudo. Vna etiâ generalis causa traditur, omni assuetudini cuiusque materiæ sit conueniens. c. 17.
 An assueti cibi & potus prauis, magis in posterum lædant, quam ante assuetudinem lædebant. cap. 17.
 An quantitati ciborum assuescere possimus. cap. 17.
 An deterior sit cibi assueti, quam consueti potus mutatio. cap. 17.
 An imbecillis senex assuetus, maius robur cõparet iuueni valido inueto. cap. 17.
 An intellectus assuetudine sui actus roboratur. cap. 17.
 An consuetudo non modo indicet vacationes tanquã signum: sed etiam tanquam causa que ipsarum indigentiam parit. c. 17.
 & libro de humoribus, cap. 21.
 Quomodo omnes nostri corporis facultates assuescant. cap. 17.
 An naturales facultates assuescant. cap. 17.
 Quomodo consuetudo sit natura ex actibus inclinata. cap. 17.
 An consuetudo sit dispositio, aut habitus, aut similitudo aliqua cum rebus consuetis comparata. cap. 17.
 Quid sit annus constans. cap. 18.
 An anni tempora sint æqualia. cap. 18.
 An ver sit temperatum. cap. 18.
 An ver sit æquale. cap. 18.
 A quo die mensis dies caniculares sint computandi. cap. 18.
 An omnes causæ quæ æstatem calidam & siccam reddunt, sint perpetuæ. cap. 18.
 De fauonio, prodromis, & ethesij æstatem persilantibus. cap. 18.
 An ætati constanti pluuiæ conueniat. 18.
 An autumnus sit inæqualis. cap. 18.
 An constans autumnus debeat esse pluuiosus. cap. 18.
 Ex diebus hyemalibus, an dies in quibus vèti omnino silēt, sint cæteris præferendi. c. 18.
 An annus constans sit salubrior, quâ esset si omnia tempora essent temperata, & vnius modi. cap. 18.
 An causa dispersorum morborum, aer existat. cap. 18.
 An mare contemperet naturam loci. cap. 18.
 An loca maritima sint humida, an sicca. 18.
 De clymatibus: & quod sit temperatissimum. cap. 19.
 An vapor simul possit in sublime efferri, & conspissari. cap. 20.
 An aeri vis insit agendi & mouendi se se: se (inquam) densandi & expandendi. cap. 20.
 An cuiusque venti materia, sit exhalatio sicca, a sole calfacta & tenuata. cap. 20.
 Ventorum numerus, & nomina. cap. 20.
 An auster ab altero procedat polo. cap. 20.
 An omnis vêtus calidus, necessario debeat esse humidus. cap. 20.
 An auster necessario sit humidus. cap. 20.
 Cur orientales venti, sint occidentalibus calidiores, cū vtrique illustrentur a sole. 20.
 An vèti frigidi sint salubriores calidis. c. 20.
 An fauonius sit subtolano salubrior. c. 20.
 Quanta sit sanitatis latitudo, iuxta diuersitatem corporum varie temperatorum. cap. 21.
 Quod temperamentorum indicia, a quatuor fontibus sumuntur: & quomodo reliqua omnia ad hos reducantur. cap. 21.
 An ad dignotionem temperamenti, adhibendus sit solus tactus temperatus: an intemperatus etiam sit iudex. cap. 21.
 Quomodo temperatum corpus, a temperato tactu dignosci valeat. cap. 21.
 An idem per idem possit dignosci: & seipso notius

INDEX.

- notius esse queat. cap. 21.
 An summe glabra natura frigida sit & hu-
 mida: & contra maxime hirta, sit calida,
 atque sicca. cap. 21.
 An ex figura, & cōformatione, iudicandum
 sit de temperamento. cap. 21.
 An cuiusvis quantitatis, possit quadratus
 optimique habitus homo reperiri. cap. 21.
 An temperati corporis operationes, sine
 perfectiores operationibus intemperato-
 rum. cap. 22.
 An ab animanti temperatissimo, t̄arum re-
 quirat Galēus perfectionem in ea ope-
 ratione quæ speciei magis congruit. cap. 22.
 An melancholici plura ceteris ingenio cla-
 ruerint. cap. 22.
- Penes quid attendatur operationum per-
 fectio maior. cap. 22.
 An melancholici, longē sita, & futura diui-
 nare queant. cap. 22.
 An intellectus sequatur magis cōpositio-
 nis cerebri varietatem: an magis tempera-
 turam. cap. 22.
 An temperatum corpus magis reluctetur
 causis morbificis, quam intemperata. ca. 23.
 Quare bruta intēperatiora cū sint, paucio-
 ribus morbis quā homines corripiantur. 23.
 An calida atque humida temperies sit lon-
 gæuissima: & quā ipsa etiam temperata na-
 tura longæuior. cap. 24.
 Quem seruent ordinem in vitæ longitu-
 dine reliquæ naturæ. cap. 25.

FINIS.



De Elementis vniuersalis præfatio.

QUATVOR MVNDOS NOVIT ANTIQVITAS;
 supremum omnium vltra mundanum, quem theologi angelicum, philosophi
 autem intellectualem vocant, considerant & theologus & metaphysicus: proxi-
 mum huic caelestem, speculatur astronomus: tertium qui sublunaris appellatur, tra-
 ctat naturalis: postremum qui & minor mundus & homo nuncupatur manibus, ver-
 sat medicus. Ex primo mundo substantiarum separatarum mouetur caelestis, à cae-
 lesti regitur sublunaris, & omnes tres in quartum, hominem nempe conspirant: in
 quo mistio cernitur ex elementis concreta, caelestes suscipiuntur afflatus, & anima
 adest intellectualis. Caelestium sanè afflatuum, quanta sit medico habenda ratio, di-
 etum à nobis peculiari tractatu infra est. Intellectualis verò animæ tractatio essen-
 tia atq; proprietate, medico (cui constat animam sine corporis triplici natura, qualita-
 tum scilicet temperie, partium compositione, & earundem vniōne, in corpore neuti-
 quam seruari) aut prorsus necessaria non est, aut pauca quaedam de mentis integrita-
 te atq; alienatione, quæ morborum quandoq; symptomata sunt, ipsi venient expen-
 denda. Ex elementis verò humani corporis concretio, à qua aut sanitas aut mala per-
 det valetudo, medicis est primum specularanda: quæ nam sit elementorum natura com-
 positio, aut sinceritas, locus, figura, temperies, substantiæ modus, numerus & agendi
 atq; patiendi ratio: Quæq; insuper ratione mista generēt, atq; in corporibus concreta
 reperiantur, & in interitu aut misti dissolutione remigrent. Huiusmodi autem
 tractatio hinc exordiat. Corpus humanum vt est mistorum omnium perfectissi-
 mum, sic non rudi vt cætera constat materia, sed elaborata atq; multiplici opera quæ
 eius constitutionem antecedit ornata. Nam ex seminibus in vtero materno conce-
 ptis, inibiq; amplius elaboratis, tum facultate vteri, tum vi formatrice. Quæcumque
 ea sit, immediatam accipit generationem. Semina verò ex quatuor gignuntur humo-
 ribus, testium elaboratione atq; beneficio. Humores ex esculentis & poculentis,
 duplicem præter oris cōtritionem elaborationem perpeßis, generationem suscipiunt.
 Esculentâ atq; poculentâ ex elementis inuicem temperatis nascuntur. Elementa ve-
 rò ex communi omnium corporum subiecto, simul & ex substantiæ forma, coalita es-
 se censentur. Quare sexcuplex notatur humani corporis compositio, proxima atq;
 immediata magis, est totius corporis ex organicis. Secunda est organicorum ex simi-
 laribus, quæ certæ ratione venam, arteriam, neruum, & cartilaginem, corporis hu-
 mani elementa appellant autores. Non enim alia his simpliciora sunt ob oculos posi-
 ta etiam si totius corporis concretionem spectes. Alia tamen considerant medicus il-
 lis priora, quæ ad sensus permanere non adeo possunt. Nam tertia constitutio mem-
 brorum similariū, est ex seminibus, & mēstruo sanguine, quæ duo corporis nostri
 elementa appellantur libro primo de tuenda valetudine apud Galēum. Quarta
 A compo.

compositio est seminis ex humoribus, qui sanè corporis secunda elementa nuncupantur, octauo libro de Hippocratis atque Platonis placitis, & secundo libro de elementis à Galeno. Quinta est humorum ex mundi elementis. Ultima est elementorum ex materia & forma, quæ sunt principia constitutionis rei naturalis. Nam etiam si priuatio primò physicæ auscultationis, asseratur tertium rei naturalis principium, non debet poni principium cōstitutionis, sed transmutationis rei naturalis. Ac multò satius, occasionem ortus rerum naturalium, quam principium, priuationem appellaueris. Nam non aliter principium appellatur ab Aristotele, quam quod formæ inducendæ occasionem præbeat: qua certè ratione & motus & tempus principiorum nomine venirent, siquidem sine illorum utroque, forma in subiecto induci nequit. Est igitur priuatio occasio tantum quædam, aut si mauius accidentarium principium ortus rerum naturalium. Quare mundi elementis componendis, sat fuerunt materia & substantia prima: illa quidem ut subiectum atque receptaculum quodam vniuersale omnium formarum. Hæc verò velut formans atque perficiens materiam ipsam. Constat igitur elementa ex materia & forma, humores ex elementis, semina ex humoribus, simularia ex seminibus & menstruo sanguine, organica ex similaribus, humanum verò corpus ex organis. Atque hæc est humani corporis per solida atque carnosæ constitutio, nam ea quæ scribitur sexto libro Epidemiarum ab Hippocrate, & refertur primo libro de Februum differentijs à Galeno, ex contentis, continentibus, & impetentibus, non modo corpus ipsum humanum, verum & quæ in ipso sunt omnia percenset. Ea insuper constitutio quæ scribitur vndecimo libro Therapeutices methodi capite primo, Ex solidis carnosis & spiritibus, non est corporis, sed virium constitutio. Quamquam & id dubitationem quandam habere videtur, siquidem sanguis in virium illa constitutione non percensetur: Qui tamen increscens ad certum terminum, vires auget autore Galeno libro de plenitudine capite octauo. Dicendum tamen, quòd cum humores non sint agentia ut membra, neque instrumenta ut spiritus, non sunt de essentia virium. Sed eatenus mutant robur, quatenus mutant aut temperamentum aut quantitatem membrorum & spirituum.

Qui igitur artem Medicam accurate tenere studet, omnium harum constitutionum elementa, ad vnguem speculetur oportet, aliter enim corporis humani naturam atque fabricam, intelligere nondatur. Primam sanè constitutionem ex materia & forma, satis superque docuit Aristoteles primo libro Physicæ auscultationis, quare nos de reliquis acturi, ab huius tractatione supersedebimus. Prima autem quæ inter reliquas, ordine compositionis exploranda venit, ea constitutio est, quæ ex mundi fit elementis. Differendum igitur primitus est, de elementi essentia atque diffinitione, de elementorum numero, de eorundem natura, atque temperie, deque ipsorum contrarietate, & actione mutua, atque de ratione qua elementa inexistant compositis, & ab eisdem separentur. Plura quoque

quæ alia & non indigna quæ nunc refferre omitto, præsens forte tractatio diligenter ostendet.

Caput primum de Elementi essentia atque definitione.



DEFINIT. Elementum Aristoteles quinto libro Methaphysicorum commentario quarto dum inquit, Elementum est id ex quo aliquid fit primo, inexistentibus composito, & secundum speciem est indiuisibile. (Ex quo aliquid fit) Id est, intrinsicè componitur tanquam ex materia, omne enim elementum (ut ille docet) materia rationem obtinet, quare ex eo aliquid fit. (Primo) Quia si ex alijs fuerit constitutum, potius elementatum quam elementum dici debet. (& inexistentibus composito) Ad differentiã contrariorum & priuationum; Priuationes enim & contraria non sunt elementa, quia nec priuatio manet in aduentu formæ, nec album manet cum ex eo efficitur nigrum. (Et secundum speciem est indiuisibile) Per quod distinguitur elementum à prima & communi materia, atque etiam à misto composito ex elementis. Ab illa quidem, quoniam quauis materia sit principium ex quo aliquid fit, & inexistentibus composito, non tamen habet actum nec speciem, secundum quam indiuisibilis in sua specie dici queat. Ab elementato verò quoniam in tot speciebus est indiuisibile, quot ad compositionem admisit atque recepit elementa. Quare de solo elemento vere dicetur, quòd vnius & indiuisibilis speciei existens, in duas aut plures diuidi nequeat speciebus. Poteest enim aqua in plures partes consimilis rationis partiri, in partes autem specie diuersas, eam partiri est impossibile. Aliiter definit elementum Aristoteles, tertio libro Cæli capite tertio, vbi sic scriptum legitur, Elementum est corpus, in quod cetera corpora diuiduntur, in quibus inest potentia aut actu, est autem ipsum in formas diuersas indiuisibile. Autor verò libri definitionum non longè ab initio sic definit. Elementum est ex quo primo & simplicissimo progenita omnia sunt, & in quod simplicissimum resoluentur. Auerrhoës prætere tertio Cæli commentario quadragesimo primo sic finiuit, Elementum est simplicissimum eorum, quæ existunt in composito. Et commentario sexagesimo quinto eiusdem libri, elementum (inquit) est id ex quo primo componitur res, & in quod ultimo diuiditur. Auicenna verò prima primi sic scribit, Elementa sunt corpora, & partes primæ corporis humani, & aliorum, quæ in corpora diuersarum formarum minimè, diuidi possunt, ex quorum commistione, diuersæ generatorum species fiunt. (Sunt inquit) corpora.) Quia ex non corpore, non fit corpus, vnde materia & forma, quauis sint principia non sunt elementa. (Et partes primæ) Si ordinem compositionis spectes, secus si resoluen. do incedas, hiac simularia mēbra non sunt elementa organicorū.

A 2 Corpus

(Corporis humani) Quia medicus qua medicus est, solius humani corporis considerat elementa. (Et Aliorum) Quia medicus philosophans, ad omnium rerum elementa consideranda transgreditur. (Quae in partes diuersarum formarum, minime diuidi possunt.) Per hoc sanè differunt, mista ab elementis, mista enim, quia ex diuersis formis coalita sunt, in easdem diuidi possunt: atq; ob repugnantiam formarum, quae diuidi atq; exolui desiderant, mistum omne ab intrinseco est corruptibile: Elementa verò, cum ex simplici constent forma, in partes tantum quantitatiuas, & non in diuersas formas diuidi queunt. (Ex quorum commistione, diuersae generatorum species fiunt.) Quoniam ex diuersa commistione, diuersus consurgit materiae apparatus: Iuxta diuersum autem apparatus, diuersae formae de materiae gremio, atq; sinu eruuntur. Galenus verò libro primo de Elementis ad initium, satius elementum finiuit inquiring, quod elementum est minima pars, eius cuius est elementum. Nam si elementum & elementatum, correlatiua sunt, cuiuslibet horum essentia ad aliud erit, elementati quidem ad elementum, & elementi ad elementatum. Elementi igitur essentiam, interpretatus est Galenus, dum elementum, per elementatum finiuit, inquiring, quod elementum est minima pars eius, cuius est elementum. Quae sanè definitio, non modo elementi naturam exprimit, verum & modum, quo ex elementis mista generantur, declarat, nempe per diuisionem ad minima: Elementa enim cum ad mistionem veniunt, multiplici congressu iunguntur, in partesq; plurimas diuiduntur, quo melius atq; commodius, possint se inuicem attēperare. Id autem unum monere licet, quod Galenus aduertit, definitionem hanc, intelligi debere de minimo naturali, non autem de minimo ad sensum, Eorum enim (inquit) quae natura, & verè cuiuslibet rei sunt elementa, sensus non est iudex. Id verò ita esse dupliciter probat, Primo exemplo quodam earum rerum, quae apud nos miscentur, Secundo ratione euidentissima: Si enim æruginem, & cadmiam, & lythargirum, & misy, exquisitè trita, & redacta in puluerem, simul mista, sensui subieceris, unū tibi esse omnia apparebunt. Igitur si istorum quae arte quadam & ad sensum miscentur, sensus non est iudex: naturae elementa, quae verè minima sunt, sensus iudicabit nunquā. Ratio verò est huiusmodi si minimum ad sensum esset rei elementum, elementa variarentur ex maiori, aut minori videndi potentia, & alia quidem essent visui aquilae elementa, alia visui lincis. Quin & inter homines, qui maiori videndi acumine pollent, minores partes visu depræhendunt: qui verò hebetiori sunt sensu, crassiores tantum partes cernunt. Sequitur igitur, quod vel elementa variantur, ex maiori vel minori videndi potentia (quod dicere nefas est) vel sensus non est elementorum iudex. Hoc sanè animaduertens Hyppocrates, humanae naturae elementa, illa quidem quae ad sensum simplicissima sunt ac prima, contemnit: & quae vere ac natura sunt elementa perquirat. Nec obstat quod medicus, cum artifex sit sensualis, minima naturalia, non habet considerare, sed ea tantum, quae ad sensum minima sunt. Nam artifex sensualis dicitur medicus eo

solum

solum quod non contradicit sensui, ex sensibus tamen initio sumpto, insensilia quae & soli intellectui obuia contemplatur. Sed elementorum numerus nos vocat quo de ipso nonnihil agamus.

Caput secundum an elementa sint plura vno secundum formam.



PERQUIRIT Statim Galenus de his minimis & simplicissimis corporibus quae elementa appellantur, num vnum sint secundum speciem elementum: an multa ac varia & dissimilia? De qua re Epicurus atque Democritus senserunt, elementa non esse plura vno, secundum formam & potentiam: sed innumera in eadem specie eiusdemque penitus potentiae omnia haberi decernunt. Ea verò sunt minima, quaedam corpuscula incompacta & indiuisibilia, nulla qualitate affecta, nec colore nec sapore aliquo, nec frigiditate aut caliditate, sed penitus exqualia. Ex quorum (inquiunt) diuersa positura & adhaesivnius ad alterum, diuersorum corporum prout fors tulerit concretio constat. Democriti verò atque Epicuri sectatores eandem sectam collentes, in duas praeterea vias processerunt. Alij enim corpusculis illis impatilibus: vim sentiendi tribuebant, alij insensilia pariter, ac impatibilia esse opinabantur. Contra verò Hyppocrates, Aristoteles atque Galenus unanimi consensu praecipuos illos philosophos, et Sectatores utrosque, magnificis confutant demonstrationibus. Aristoteles sanè primo libro de Ortu & interitu, ad hunc modum aduersus hos argumentatur. Si corpuscula sunt quantitatem habebunt, omnis autem quantitas est in infinitum diuisibilis, igitur non erunt insectilia. Si verò insectilia sunt, ea puncta erunt, quare nec erunt corpuscula, nec corpus componere valebunt: ex punctis enim & indiuisibilibus, nulla ratione videtur, corpus aliquod atque diuisibile, fabricari posse. Sed age demus iam Democrito corpora quaedam reperi insectilia: quo pacto ex solo adhaesivnius atq; societate diuersa, diuersae ex ipsis oriētur generationes? Si quidem cera & metalla liquefacta, quantumuis commota & agitata eandem retinent speciem, igitur adhaesivnius & conexio corpusculorum inter se, non est sufficiens causa simplicis generationis. Si corpuscula praeterea illa sunt eiusdem formae, eiusdem speciei, & eiusdem potentiae, nulla inter ipsa erit contrarietas, quare nec actio. Et ex consequenti nec corruptio, nec simplex generatio vlla consurget. Hyppocrates verò primo libro de Natura hominis, sic eos conuincit, Qua ratione in corpore humano, ponuntur diuersa elementa secundum formam, deberent poni similiter in cunctis alijs generabilibus & corruptibilibus. Sed in humano corpore sunt ponenda ergo & in ceteris.

A 3 minor

minor propositio probatur, quia si homo unum esset, aut ex uno constaret, non do-
leret. At dolet igitur, nec unum est, nec ex uno constat. Assumptum demonstrat
Hippocrates, quoniam si tantum unum elementum esset secundum formam, in ho-
mine & uniuerso, non esset à quo pateretur homo: sed nec dolor nec sensus aliquis
potest fieri sine passione, sentire enim in quodam pati consistit, ergo si homo unum esset,
vel ex uno conflatum, non dolet. Insuper si dolet transmutaretur, quod au-
tem transmutatur partim est in termino, à quo & partim in termino ad quem, ab-
hoc enim in illud, debet transmutatio fieri, & si ab uno in alterum transmutatur,
non seruatur unitas, ergo si homo unum esse non dolet. Item si tantum unum
esset elementum, in homine pariter & in uniuerso, omnia homo esset actu, & ni-
hil esset potentia, quia nihil est præter illud unum: at verò quod omnia est ac-
tu, nulla poterit variari transmutatione, nec igitur dolere poterit. Sed fac homi-
nem dolere simul, & ex uno tantum constare elemento, tunc coactus fateberis v-
nicum tantum esse curationis modum. Quia cum nulla extrinseca causa possit
hominem passionem inferre, eo quod ex uno constet omnia, relinquatur quod si ho-
mo de se pati, erit hoc à propria ipsius natura, sed propria ipsius natura est v-
na, ab una autem natura, unica tantum poterit prodire passio. Passio verò vni-
ca, unam pariter poscit medellam & curandi rationem, unica igitur erit me-
dendi via, nec plures vlla ratione stabunt. Quod tamen sensuum euidentiæ re-
pugnat: quidam enim sanantur calore, alij potu frigida, nonnulli humectatione
tum que per cibos, tum que per balneas fit, interdum rare facientibus & corporis
humiditates absumentibus, alias cutem densantibus, & alia atque alia ratione.
Cæterum ut Hippocratis sententias philosophorum decretis confirmemus, intel-
ligere expedit, quod ratio Aristotelis primo libro Cæli capite tertio, ad proban-
dum cælum esse incorruptibile à prima Hippocratis ratione non dissentit. Pro-
bat enim Aristoteles cælum esse incorruptibile ex unitate, nam cælum ex tota
constat materia, illud autem quod ex toto constat elemento primo, unum esse neces-
se est. Quod si unum est ex toto primo elemento, nec pati, nec corrumpi potest,
quòd nihil habeat quod in ipsum agat. Galenus insuper inuehitur in utrosque
sectatores, & Democriti & Epicuri, priorum namque sententia quod corpuscula
illa ex quibus nostrum corpus concernitur sunt sensibilia & impatibilia pug-
nantia claudit, sensus enim sine alteratione, immutatione & passione non fit.
Sed fac sint corpuscula illa sensu prædita, & passionis expertia, tunc sequitur,
quòd si quis acu pupugerit cutem aut carnem, non dolebit. Quoniam nihil aliud
acus potest efficere, nisi coiunctas attigualque atomos separare, ipse namque atomi
impatibiles cum sint, non possunt partiri. Ex solo autem atomorum discessu, quan-
tumuis atomi sentiant non dolebunt, si enim digitos quantumuis sentientes, inui-
cem conexueris, dum rursus separantur, nullus sequitur dolor. Simili igitur modo

de

de atomis est existimandum, vel ostendant nobis corpus aliquod sentiens, quod alte-
ri complicatum dum rursus separatur, dolorem sentiat consequentem, id enim nun-
quam ostendent. Eundem lapidem voluere coguntur, qui altera via incedunt, in sen-
silia simul & impatibilia corpuscula ponentes, acu enim vulnerati non dolebunt,
nam vel acus, unam tanget atomum, vel duas, vel plures: si unam cum ea ip-
sa non possit vulnerari quia impatibilis, nec sentire quia insensilis, animal non
dolet. Duo enim sunt quæ ad dolorem requiruntur, & quod patibile patiatur,
& quod passio deprehendatur sensu. Hæc verò ambo atomis deficiunt, neque enim
patiuntur, quia patibilia non sunt, neque molestiam aliquam percipiunt, quoniam
sensu carent. Si acus igitur unam tangat atomum, non dolebit animal: neque
si duas tetigerit atomos, plus aliquid aget, siquidem neutra atomorum sensus est
particeps. Eadem ratio est, siue tres siue quatuor atomos tetigerimus, mirum enim
foret, si nulla atomorum, nec sentiente nec patiente, earundem cumulus patiatur
& sentiat. In calculis enim & lapidibus id fieri videmus, quòd si calculus v-
nus duo aut tres, nec sentiunt nec patiuntur, omnium similiter si fiat vnus acer-
uus, impatibilis & insensilis quoque est. Huiusmodi sanè demonstrationibus, tres
illi sapientiæ principes, ab atomis illis, corporis nostri concretionem factam non esse,
& elementa plura uno secundum formam, necessaria esse ostendunt. Quibus sanè
addere par est, exemplum quod Cicero assumpsit secundo de natura deorum epi-
cureos arguens, fortuita atomorum concursione mundum efficientes. Hoc qui
existimat (ait) fieri potuisse non intelligo, cur non idem putet, si innumerabiles
vnius & viginti literarum formæ, vel aureæ vel qualeslibet aliquo conijciantur,
posse ex ijs in terram excussis, annales enim, ut deinceps legi possint effici, quod
nescio, an ne in uno quidem versu, possit tantum valere fortuna. Quare non
tantum fortuna valebit, ut innumerabiles sine errore rerum depingat species.

Caput tertium, quod elementa sunt insensilia & patibilia.



I plura atque contraria secundum formam & potentiam elementa
sunt ponenda, eaque nec sensilia sunt & impatibilia, nec impatibilia
pariter & sensilia ut nuper diximus, dubium superesse videtur, ex
reliquis oppositionibus quæ sibi acciscant elementa. Ex patibili enim
& impatibili, sensibili & insensibili, sex combinationes fieri posse
manifestum est. Prima patibile & impatibile: secunda sensibile & in-
sensibile: tertia impatibile & sensibile: quarta impatibile & insensibile: quinta patibi-
le & sensibile: sexta patibile & insensibile. Duæ primæ sunt impossibiles, quoniam ex

contradicientibus constat: duas medias elementis conuenire non posse diximus ante actō capite: De ultimis verò duabus an elementis possint conuenire, nihil nunc apertum est, an scilicet elementa ex quibus mista concernuntur, possint esse patibilia simul & sensu prædita, an patibilia pariter & sensu carentia, an verò vtrumq; horum sit impossibile.

Huic sanè dubitationi Galenus respondet, quodque horum esse ex numero eorum quæ fieri possunt. Si enim ex sensibilibus & patibilibus cōstet corpus nostrū, nihil obstat quim dolere possit, infirmari & sanari. At verò quoniam ea quæ sentiunt non simplicia, sed ex simplicibus potius concreta esse cernuntur. Ideo rationi magis consonum est, vt prima rerum elemēta sint insensilia simul & patibilia, qualia sunt ignis aēr aqua & terra. Ex quorum mutuo concursu & transmutatione, oriri possunt mista omnia, tam sensilia quam sensu carentia, quāquam & hæc res dubitationem habere videatur, nam quæ ratione ex insensibilibus elementis fit sensibile corpus, ex impatilibus patibile fieri posse suadet ratio, eo quod non minus distant sensibile & insensibile, quā patibile & impatibile, pulchre tamen satisfacit Galenus dicens, quod ea quæ talia semper manent qualia ab initio fuerunt, nullam extrinsecus nouam speciem assument, quæ non antea fuerit ijs quæ componuntur: Si verò hæc variantur transmutentur ac multipliciter alterentur. Poterit aliquod aliud secundum genus exultare, quod prima eius elementa non habuerint: impatibilia autem ex ipsa impatibilis ratione nequeunt transmutari, sed talia qualia ab initio fuerunt semper permanent, alias enim patibilia forent. Sequitur igitur quod nullam nouam speciem quæ antea non affuerit ijs quæ cōponuntur assument. Sicq; ex impatilibus nunquam exultabit patibile: aut sensibile corpus, ex insensibilibus verò & patibilibus quonā variantur, transmutantur, & multifariam alterantur, mirum non est si noua consurgat species sensibilisq; fiat. Nam & si distantia sit par, ea quæ est insensibilis ad sensibile, transmutationis interuentu potest peragrari: inter impatibilia verò cum nulla intercedat transmutatio peragrabitur nunquam.

Caput quartum, quod calidum, frigidum, humidum & siccum sint rerum elementa.



S I I G I T V R elementa ex quibus composita cōcernuntur plura contraria & facile transmutabilia sunt futura (aliter enim dissimile sibi compositum numquam redent) qualitatibus maximè dissidētibus prædita esse oportet. Non enim sine dissidentibus qualitatibus congressu, transmutatio in substantia continget vlla. Dissidentes autem & contrariæ qualitates omnes, alicui è quinq; sensibus obijciuntur, candor & nigror, lumen & tenebra visui, graue & acutum auditui

auditui, foetidum & bene olens olfactui, dulce & amarum, sapidum & insipidum gustatui. Quæ omnia etiam si contraria sint, inualidas alterandi atq; transmutandi vires sortiuntur: proprijs enim sensuum instrumentis, non acrius quam ad sensationes obeundas alterationem inferunt. Non igitur elementorum dissidium & transmutandi potestas, ex his qualitatibus pendet: sed potius ad eas quæ tactui obijciuntur referri debet. Atq; ad eas non omnes sed ad primas, principes & potentissimas. Calorem scilicet frigus humorem & siccitatem. Reliquæ enim quæ in molli duro, crasso tenui, leni aspero, graui & leui consistunt, præterquam quod ex primis oriuntur, nec prima ex ipsis, transmutandi facultatem aut exiguam aut nullam acceperunt. Quo fit vt rerum elementa non alia quam calidum, frigidum, humidum & siccum statuuntur tum Hippocrati, tum alijs, qui doctiuscule naturalem scientiam lustrarunt. Cum dico calidum, frigidum, humidum aut siccum, summum atq; syncerum in quoq; genere intelligo. Nam quantum vnumquodq; à synceritate abest tantum ab elementi ratione recedit. Est enim simplicitas atq; synceritas, maxima elementi ratio vt ex primo huius tractationis capite innotuit, atq; hinc est quod Aristoteles & præstantissimi quique sapientiæ professores elementa dixerint esse terram aquam aërem & ignem quod nimirum igni insit summus calor, aëri humiditas summa, frigus aquæ, & terræ ariditas. Neque in vniuersa natura, corpus aliud reperitur, cui aut aquæ aut magis hæc insint.

Caput quintum, quod ignis sphaera & si sensibus non pateat, non est ab elementorum numero releganda.



P O S T antiquissimam illam de atomorum insectilium concursione sententiam, firmissimis demonstrationibus depulsam, firmam quatuor elementorum, ignis scilicet aquæ aëris & terræ supputationem, omnes acceperunt ab Hippocrate Platone Aristotele atque Galeno. Neq; vllus vnquam à temporibus illis scrupus fuit subortus, donec quidam nostro tempore in bonas literas contumeliosus, ignis sphaeram ab elementorum numero atque mistorum concretionem eximere sunt conati. Primò quoniam Hippocrates libro de flatibus, quod inter cælum & terram est, id omne aëre plenum adstruit, vbi ergo est ignis sphaera? Secundò, quia reliqua elementa videmus, ignem verò non videmus, non ergo temere est statuendus. Tertio, quoniam si ibi esset ignis, syncerus præsertim ac purus & citra caliginem vllam lucret, siquidem & ignes nostri minus synceri, & præter modum caliginosi eminens lucent. Quarto semper natura, extrema medijs iungit, non igitur decuit ignem rem ardentissimam, sub cælo omnis qualitatis expertè poni. Quintò, ignes inferiores exci-

qui cum sint, ætus quandoque efficiunt intolerabiles, quid igitur fieret si tanta regio vniuersusq; orbis igne ambiretur? Omnia quidem vel ictu oculi igne conflagrarent. Præsertim quod ær cum calidus sit, calore non resisteret, humiditas verò inualidior est, quam ut ignis impetum coërceat. Sextò, loca quo altiora sunt eo sunt frigidiora, in montium enim cacuminibus media quoq; æstate niues visuntur gelidæ, loco igitur omnium elatissimo, debetur corpus frigidissimum. Quare non sub cæli concavo ignis. Septimò ignis pabulo indiget pro sui tutela, tanto verò igni, nullum sufficit pabulum. Octauò, quia nullius finis gratia, illa ignis sphaera confingitur, nam mistorum generationi (quod adstruunt) non deseruit: non enim posset leuissima res per tam immensa spatia ad terræ usque latebras descendere. Nono etiam huic sectæ quam maximè videtur fauere Aristoteles secundo libro de generatione animalium capite tertio, vbi dixit: calorem qui in animantibus est, nec ignem esse, nec ab igne originem ducere. Itidem nec ignem animal aliquod generare dixit, non est igitur ignis animantium elementum. Placet autem Aristoteles verba subscribere quæ sic habent,

“ Sed enim omnis animæ siue virtus siue potentia, corpus aliud participare videtur,
 “ idque magis diuinum, quam ea quæ elementa appellantur. Verum prout nobilitate
 “ ignobilitate ve animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt. Inest
 “ enim in semine omnium, quod facit ut fecundata sint semina, videlicet quod calor vocatur,
 “ idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine spumosoque corpore
 “ continetur, & natura que in eo spiritu est, proportionem respondens elemento stellarum.
 “ Quãobrem ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis vel humidis vel siccis videtur.
 “ At verò solis calor & animalium, non modo qui in semine continetur, verum etiam siquid excrementi sit, quamquam diuersum à natura,
 “ tamen id quoque principium habet vitale. Cæterum calorem in animalibus contentum neque ignem esse neque ab igne originem ducere apertè ex his est.
 “ Vltimò Aristotelis autoritate primo libro meteororum capite tertio, se muniunt, vbi ignis sphaeram ab elementorum numero rejcit his verbis. Grauisimum igitur corpus atq; frigidissimum, terra inquam & aqua, in medio & circa medium segregata existunt. Circa quæ illa quoque sunt quæ hisce hærent, ær scilicet atq; id quod quouis ignem assueuimus appellare, ignis tamen haud quaquam est. Siquidem ignis caloris exuperantia, ac veluti feruor existit.

“ Quatuor tamè fuisse elemēta suis locis disposita atq; ex ipsorum mutuo cōgressu mista cōcerni, & statuerūt antiqui, & id persuasit Aristoteles libro secundo de ortu & interitu capite tertio, ex qualitatibus primarum possibilibus copulis, quæ cum quatuor sint, totidem etiam elementa aggenerabunt. Libro verò primo cæli capitibus secundo & tertio id suadet, quoniam inter locum supremum simpliciter, & simpliciter inum, duo loca intercedere est necessum, alter qui magis accedat ad inum, voceturque imus non exquisitè, & alter qui magis accedat ad supremum, & vocetur supremus

premus non exquisitè quare quatuor erunt elementa. Speciatim verò ignis sphaeram probat, quòd flammæ omnes natura sua sursum feruntur naturalem locum concupientes, naturalis igitur locus ignis, est sphaera quaedam supra aërem constituta. Insuper de igne hoc nostro quæro, an sit elementum an mistum, si primum iam datur elementum ignis, si secundum aut erit exactè temperatum & eucraton, aut ad alicuius elementi naturam accedet: temperatum autem non est, si quidem qualitatibus excellentia omnia vastat atque exurit, nec est elementum aliquod, ad cuius naturam possit accedere præter ignem, ergo ignis auferendus non est. Præterea quod mistum, in quatuor ad sensum resoluitur elementa, & quod ignis ex corporum durorum collisione eliditur, & quod nulla ratio signari vnquam possit potestate calidorum, nisi elementum ignis in minutissimas partes confractum, eorum constitutionem ingrederetur.

Nec obstat Hippocratis testimonium libro de Flatibus, vbi spatium quod cælum & terram interiacet pneumaticos, id est spiritali ac tenui substantia plenum esse asseruit, eo enim nomine, tam aër quam æthereus ignis intelligitur. Ad secundam dic, quòd etiam si ignis sphaeram non videmus, eam tamen esse existimamus coniecturis, aut veris aut veritati maximè consentientibus, nec enim in scientia naturali quærenda est Mathematica ἀριθμητική, secundò Methaphysicorum capite primo autore Aristotele. Ad tertium dic, quòd ignis noster quia fuliginosus & crassæ materie immitens, ideo fulgentissimè lucet, est enim flamma ardens fuligo, secundo libro de ortu & interitu capite quarto autore Aristotele, ignis verò æthereus & simplicissimus qui in sphaera est, nihil solidum admistum habet, atque ob id non lucet. Lux enim non tenuissimo, sed denso flagrante corpore fulget. Ad quartum dic, quòd decuit quam maximè ignem locare sublunæ concavo, tum quia ignis est leuissimus, tum quia cælum est impatibile, ab igneque, accendi non potest, quare nihil mirum si natura coniunxit extrema quæ se offendere nequeunt. Ad quintum dic, quòd quo ignis aliquis crassior est, eo vehementius vrit, exemplo flammæ quæ ex festucis accenditur, quæ cum purior atque tenuior sit flamma lignorum minus vrit, ligni accensi eadem ratione minus vrint, candenti ferro aut lapide, ex experimento, & Aristotele primo problematum problemate octauo. Actionis namque vehementiam referunt philosophi ad formæ multitudinem, non intensiorem: formæ autem multitudinem, ex materie copia metiuntur: quare cum æthereus ignis minimè materialis euaserit, aërem accendere nequit. Sufficit enim aëri, ut ipsi reluctetur cum humiditate substantiæ formæ. Ad sextum dicimus: quòd loca usque ad mediam aëris regionem, quo altiora eo sunt frigidiora ex vicinitate regionis illius frigidissima. A media verò regione ad cælum usque, quo altiora fuerint loca, eo erunt calidiora, quoniam ad ignis sphaeram propius accedunt. Ad septimum dic, quòd ignis ille æthereus, tenuissimus & siccissimus cum sit, non indiget pabulo, sicut hic noster cuius subiectum humidum est.

est. Ad octauum dic, quod sphaera illa est, ad ornatum & complementum vniuersi, est etiam ad misiones. Nec mirum est ignicullum quendam, ad terrae visque viscera incorruptum descendere, tum ad agitationem & celi motum, qui ignis portionem infra impellit, tum quoniam sic natura praefiniuit. Magnas enim vires habet naturae nomen, authore Alexandro libro Problematum capite quadragesimo primo. Pluraque naturae nomine fiunt, quae aliter nulla ratione, fieri possent. Verba autem Alexandri doctissima (si legere cupis) sic habent. Cur flaua bilis, quae per vniuersum vitae tempus, ea tunica (quae bilis vesica dicitur) continetur, cuiusque corpus maxime affectibus expositum est minime ipsam corrodit: at si vel ad exiguum temporis, in dentem cuius est corpus ad patiendum minime aptum ingruerit, statim eum excessum reddit? Quoniam ita est a natura institutum, ut eo tantum in corpore inhabitet, ideoque minime ipsum ledit. Magnum enim remedium contra dolorem naturae nomen est. Milleque alia possem tibi exempla afferre, decem in matrice menses infans permanet, nullum ponderis sensum praegnati praebens. Spiritus autem leuis in eum incidens, dolorem continuo acutum citat, qui & tensionem & intollerabile efficit pondus. Aspera arteria vniuersi est spiritus receptaculum. In eam si mica aut potiuncula deerret suffocationem, aut vehementem efficit tussim. Id nisi natura ipsa praefinisset, haud quaquam fieri vel ad minimu[m] posset. An si ignem in haec inferiora pellere, naturae fuit admistorum generationem convenientissimum, arte qua id fiat, ipsam carere existimabimus? non hercle. Nam ignis portio, ob aeris portione sibi vicina grauior reddi, & a circulari motu celi, densari poterit. Cum enim caelum igni circularem motum praestet, qui ex natura sibi non conuenit, sed ob necessariam coniunctionem loci cum locato, fit ut motus hic in igne difformis sit ac inequalis, ita ut partes quaedam ignis conglobentur & densentur, quae in sphaera fluctuantes & maiorem grauitatem indeptae, eodem celi motu, e supra illa regione in mundi usque latebras deturbentur atque pelantur ad misiones, quae ipsae naturae erant ex voto. Ad vltimum dic, inanimatis mistis suffecisse calorem ex ignis missione pro suis operibus explendis. Hic enim respectu aliorum elementorum, forma est & figulus, qui ex aliorum massa veluti ex materia, mista inanimata efficit. Animata vero praeter calorem hunc, caelestem alterum poscebant, tum ad generationem, tum ad reliquas animae functiones obeundas, atque hunc tribuit natura, tum seminibus, tum etiam corporibus animantium, & est spiritus quidam caelestibus afflatibus affectus, nulli elemento respondens, nisi elemento stellarum. Hoc vero non tollit, quo minus animata igne constituentur apud Aristotelem: quin potius eo autore secundo de Anima capite quarto, igne vtitur anima ceu instrumento, ad corporis nutritionem & augmentum. Quod vero libro primo Metheororum citato ignis sphaeram non adimat Aristoteles, eo colliges, quod supra aërem constitui, & a sicca

exha-

exhalatione foueri sicut aër ab humido vapore tradit ibidem. Negat autem aethereum illum ignem, ignem esse perinde atque hunc nostrum, quem ob feruorem, vstionem, caloris intemperantiam, atque efficientiam ita appellamus. Aethereus enim ille, quanuis summe calidus, ob tenuitatem summam quam habet, nec ardet nec vrit.


Caput sextum de naturali Elementorum situ & locatione.



Deo sunt caelo, & inter se se, attigua elementa, ut eorum extrema nulla ratione diuelli queant: Quod summopere optat, tum ipsa, tum quaecumque natura constant, ut nullus locus vacuus intercipiatur: Vacuum enim nec natura, nec quae natura constant, sustinere possunt. Atque hac generali locandi ratione, vniquodque elementum, cuiusque etiam contrario est naturalis locus & conseruatiuus locati, quatenus videlicet praeseruat a vacuo. Praeter hanc vero, generalem atque primam rationem loci, est alia specialior, quae priorem hanc praesupponit, quod nimirum quodque elementum, alteri neclatur atque adhaereat, quo cum conuenientiam aliquam habeat: non enim decuit ignem aquae neclere, quod vtraque distent qualitate. Atque iuxta hanc nexus rationem ignis terrae posset adhaerere, quod siccitate conueniant. Quare tertia duobus prioribus accedit locandi via, ex qualitatibus sumpta secundis, grauitate nimirum atque leuitate, quod grauiora subsideant, leuiora vero supersint. Omnia igitur elementa cum inseparabili nexu se se contingant, iuxta primam locandi rationem: & grauiora leuioribus subsideant, iuxta tertiam: merito ignis caelo neclitur, cum quo in lumine conuenit non nihil, igni vero, iungitur aër, caloris affinitate. Aërem sequitur aqua, non minus ac ipse vda: & terra omnium infima atque frigida, frigida subiaceat aquae. Nec obstat terram iuxta habitabilem partem neutiquam mergi, perpetuam enim violentiam patitur terra, non ut quorundam fert sententia, a perpetuo Dei miraculo, nec ut alijs placet, a polo arctico, aut terram sursum trahente, aut aquas exiccante. Ad Deum enim aut ad astra recurrere ut est facile, ita a philosophis admodum alienum, quare satius nos ad multum aërem contentum in terrae visceribus, atque anfractibus partis habitabilis, hunc effectum referendum censemus. Hic enim sua leuitate, terram immersam sustinet, & quo minus ab aqua ambientur impedimento est: sicut & naui onusta sui leuitate aurum, ferrum, & grauissima onera immersa continet. Atque hunc credederim non exiguum esse usum, aëris terrae cauernas occupantis, ut nimirum terra superemineat aquis. Accedit & vsus alter, cuius meminit Aristoteles, primo libro Metheororum capite decimo tercio, ut nimirum potus materiam praestet viuentibus. Aër enim in terrae visceribus conclusus, terrae frigore, in aquam vertitur. Indeque scaturiunt fontes, atque perpetuo aut per interualla dimmanant flumina, prout perpetua aut intercepta aëris in aquam fuerit conuersio. At vnum hic scrupulum praetereundum minime duximus quod scilicet si nullum violentum

violentum perpetuum sit, secundo cæli capite tertio, autore Aristotele: qui fieri potest, ut perpetuam violentiam perpetiatur terra? Hoc nos unico verbo dissolimus, nullum enim violentum per se, & quatenus tale perpetuum esse statuimus: per accidens tamen, si cõtigerit causam quæ violentiam parit perpetuam esse, violentus pariter & perpetuus sequetur effectus. Sic sanè perpetua est ignis in propria sphaera. Volutio, ad cæli perpetuam circumductionem: sic aëris media regio perpetuo alget. Sic mare fluit atque refluit perpetuo: sic quoque terra supereminet aquæ. Nam Auerrhoi solutio, tertio cæli commentario vigesimo, & secundo Metheororum, quod hi motus non sunt violenti, sed præternaturales ac neutri. Et Thomæ primo cæli, lectione quarta, quod nec sunt violenti, nec naturales, sed supra naturam, quia talis motus est ex impressione superioris agentis, puta corporis cælestis, à quo talia corpora, ex natura sui, apta nata sunt moueri, nunquam mihi arrisit. Quoniam Aristoteles primo Cæli capite octauo, probat plures mundos non esse, ex diuisione corporum quæ quiescunt & mouentur, in ea quæ quiescunt & mouentur natura & violentia. Non est ergo addendum tertium membrum, aut Aristotelis ratio infirma est, & fallaciam consequentis occludit, siquidem omnes causas veritatis non assumit. Aristotelem verò penitus à tertio membro abstinuisse intelligemus eius litteram subscribentes quæ sic habet. Omnia corpora, & vi & natura & manent, & etiam mouentur. Atque quo in loco non vi manent, ad eum secundum naturam feruntur. Et ad quem non vi feruntur, in eo manent natura, quo verò loco vi manent, ad eum & vi sane feruntur, & ad quem vi feruntur, in eo vi quoque manent. Præterea si hæc latio vi fit, contraria competit secundum naturam, atque si ad hoc medium illinc vi terra feretur, hinc illuc secundum naturam feretur, & si hic terra non vi manet, & huc natura sanè feretur, vnum enim eum motum qui secundum naturam cõpetit, esse constat. Ex cuius litteræ lectione quiuis intelliget nullum alium membrum à naturali & violento Aristotelem agnouisse.

Caput septimum de Elementorum motu.



E elementorum motu, grauitent ne aut leuitent, in suis sphaeris, elementa, ingens videbitur difficultas Aristotelis sententias cõferenti, nam ex verbis quæ nuper retulimus è primo Cæli capite. 8. constat, vniquodq; elementis, eo naturaliter manere & quiescere quo secundum naturam mouetur. Cum ergo omne elementum, natura ad suam moueatur sphaeram, in eam necessario quiescet, nec ulterius, aut grauitate descendet, aut leuitate ascendere est existimandum. Atq; id confirmat experimenta, nam enim hominem quatumcumq; demersum, non grauat aqua: & citula aqua plena, facile trahitur per aquam, difficile extra. Contra verò quarto libro Cæli capite quarto & quinto, sentire videtur iniquis, omnia elementa præter ignem, in suis sphaeris grauescere

Et

Et iterum vnumquodq; eorum quæ pondus habet leuitatem, pondus habet suo in loco, leuitatem autem non habet. Quare si subtrahatur aqua, aër in eius locum propria grauitate descendet, pariter & aqua si subtrahatur terra, si verò ignis subtrahatur non ascendet leuitate aër, sed vi tantum vacui vitandi causa feretur. Probat autem duabus cõiecturis, aërem grauescere in propria sphaera, prima quod lignum centum librarum in aëre, est grauius plumbo vnius libræ, siquidem velocius descēdit: in aqua verò leuius, siquidem innatat. Cuius rei nullam aliam esse causam putat, nisi quod in aëre tria ligni elementa grauescunt, aër, aqua, & terra: in aqua verò duo tantum postrema. Alterum inditium summit ex vtribus, qui sanè inflati non inflatis, magis ponderant. Vnde libro vigesimo quinto problematum capite duodecimo, inflatus inquit vter, grauior cum sit, supereminet aquæ, detumescēs autem & leuior fit, & deorsum fertur. Adde inditium aliud ex vndecimo libro problematum problemate quadragesimo quinto quod vox & quicumque sonus alter, melius auditur superius deorsum, quàm inferius sursum, quoniam nimirum aër, sui grauitate deorsum fertur. Adde vltterius ex metheoris, quod aëre plurimæ impressiones deorsum feruntur, quare ex aëre grauescūt. Adde insuper Auerrohi rationem quod mista omnia in terra & aqua solum sunt, autore Aristotele quarto libro Metheororum capite quarto: oportet igitur mistionum gratia aërem grauescere, quod tamen de igne necessarium non esse adstruit, nam celestis calor, qui singula cõponit & necit, ignis vicarius erit, atq; ignem mistis ingenerabit, citra vllum descensum.

Quid in tanta ego sentiam difficultate (si præter Aristotelis sententiam aliquid de nostro liceat fari) aperiam. Aliud est motus & quietes elementorum prout simplicia & immista corpora sunt, aliud verò prout à simplici puritate recedunt expendere. Prima ratione elementa in suis sphaeris, tanquàm in proprijs domicilijs quiescunt, nec ab illis nisi vi feruntur. Intra sphaeram tamen, etiam si omnes elementi partes naturaliter locentur, naturalissimus sphaeræ locus, indiuisibile quodam est vbi, ad quod omnes elementi partes propensius feruntur. Terræ locus maximè naturalis humilimus locus est (quem centrum appellant) in quod omnes terræ partes naturali quodam affectu tendunt. Tamen si enim totus terræ locus sit ipsi terræ naturalis, depressissimus tamen ille, terræ summè grauescenti est magis accomodatus. Sic sanè naturalissimus locus ignis, est lunaris orbis caua superficies, inquam vniuersus impetit ignis, ceu in locum elatissimum, leuissimo corpori maximè opportunum. Locus verò aëri maximè naturalis, est linea circularis, pari intervallo distans, à concauo ignis & à conuexo aquæ, nam cuius extremo accedas, minus tutum reperies locum. Sic & aquæ naturalissimus locus, linea altera circularis est maximè distans, à terræ conuexo & aëris concauo. Si ergo elementa expendas prout simplicia sunt, & synceram quædam naturam nanciscuntur ignis in propria sphaera est leuis sursumq; ad cæli concauum conscendere cupit, terra in propria sphaera est grauis, nam omnis terræ pars humilimum locum affectat.

Aër

Aër verò & aqua cum intermediam naturam possideant grauescunt, pariter atque leuescunt, pars enim aëris aut aquae, quae in parte elatiori sphaerae locatur, ad lineam illam intermediam descendit, ascendit verò quae infra consistit. Ex his sanè manifestissimis & verissimis, colligo primò quòd elementa omnia, ad suas sphaeras naturaliter mouentur, & in ipsis naturaliter quiescunt, & extra ipsas non nisi uiferuntur. Secundo quòd naturaliter quiescunt & locantur elementa, in vna parte sphaerae quàm in alia. Tertio quòd omnia elementa cupiunt, quàm naturalissime locari: vnde partes elementi quae extra naturalissimum locum sunt, natura in locum eum feruntur. Quarto ignis in sua sphaera sursum tantum fertur, terra deorsum: aër & aqua iuxta partium locationem, aut supra aut infra inter mediã lineã, aut ascendunt aut descendunt.

cc Labitur ergo Arist. dñ dixit, quòd ea quae pondus habet leuitatemq, pondus habet in suo loco, leuitatẽ autẽ nõ habet: aëris enim & aquae partes, quae infra naturalissimũ locũ sunt, leuitate ascendere sunt natæ, non minus atq, supremae grauitate descendere. Labitur etiã dñ subdit, quòd si sub trahatur aqua, aër in eius locũ, nõ vi sed propria grauitate descendet. Nam & hũc errorem in Aristotele aduertit themistius. Quoniam si aër ad suam sphaeram naturaliter mouetur, in ea quoq, naturaliter quiescat est opus. Si item naturaliter ad eam fertur, ab ipsa violenter tractum abibit. Duo enim motus contrarij, simplici corpori non possunt natura inesse. Ad propriam autem sphaeram ferri, & ab ipsa recedere cõtrarij motus sunt, aëri igitur naturales non esse queunt. A proprio præterea aër, cuperet domicilio recedere, quòd nefas est. Si ob rerum insuper compositionem (quòd astruit Auerrhous) descendit aër, cur nõ ignis aëri succedat explanent, cum mistorum compositioni non minus sit necessarius. Vel si caelestis calor (vt ferunt) eius supplet vicem, cur non & aëris vicem supplebit: caelestis enim afflatus, vniuersalis causa est, quae omnia fouet elementa, & in suo statu conseruat: nec magis hoc quam illud, aut tueri, aut sufficere curat. Duo præterea illa quae Aristotelem mouent infirma sunt, nam aëre plenus vter minus ponderat, si themistio credimus experiẽti. Quòd sanè rationi consonum maximè est, mista namque eo leuiora euadunt, quòd in sui compositione plus aëris in proportione ad graua elementa receperunt: in vtre autem inflato, leuium elementorum ad graua maior est proportio, quam in detumete, ergo inflatus vter leuior erit. Nihil enim refert vt aër leuitatem impendat, aut quòd à prima rei compositione insit, aut quòd post eam in vtris cavitare denuo recipiatur. Si præterea naturalissimus aëris locus maximè distat, & ab aqua & ab igne, aër qui in vtribus apud nos est, locum illum affectabit, sicque vtre leuiorem redet. Lignum insuper (quòd etiam afferbat Aristoteles) centum librarum velocius per aërem fertur, plumbo vnius librae, non ob aëris pondus, sed quoniam maiorem terrae & aquae grauescentium elementorum portionem obtinuit. Mergitur verò in aqua plũbum innatante ligno, quoniam aëris multò minus obtinuit plũbum. Vox præterea melius auditur superius deorsum, quam inferius sursum, non ob aëris grauitatem vt voluit Aristoteles: sed quoniam

ad

ad terrã verberatur vox, & ob repercussum facta validior, melius auditur sursum verò, propter aëris immensitatem non repercussa, euanescit. Aërea verò impressio- nes deorsum feruntur, ob terrenam & aqueam, quam sortiuntur naturam, non autem ob aëris pondus. Quòd aër verò atq, ignis, mistionum gratia, ad terrã atq, aquam descendant, id facit non pondus, sed naturae nomẽ & caeli volutio, vt monuimus ante. Ex quibus sanè liquet elementa prout simplicia & pura corpora sunt, nec grauescere, nec leuescere, grauitate aut leuitate, quae extra proprias sphaeras, ea sursum aut deorsum deducat: Grauitate tamen aut leuitate, quae ad naturalissimum locum deducat, aut grauescere aut leuescere, inconueniens non est. Si verò elementa expendantur, vt à sua puritate declinant, vtque mista potius iam sunt, quam elementa: tantum grauitant aut leuitant, quantũ pro mistionis atq, impuritatẽ ratione sibi respondet. Atque iuxta eam quoque mensuram, aut ascendent aut descendunt. Exemplo sit aër, qui qua parte nos ambit, aquae atque terrae naturam sapit, quare aqua detracta, suo pondere descendit, & vtre grauiorem reddit, & vocem deorsum magis, quam sursum defert: qua verò parte ignem cõtingit, quoniam leuior ac igneus euasit, igne subtracto, non video quare non ascendat. At longius fortè quam par foret medico, & magis libere, quam nostri temporis deceat philosophum diximus, quare hic esto finis.

Caput octauum, quòd vnicuique elemento, duae insint qualitates, & ambae summae.

Elementorum essentiam, numerum, situm, & motum, postquam monstrauimus: sequens est, vt illorum qualitates consideremus, quas binas cuiq, inesse elemento secundo libro de Ortu & interitu, scripsit Aristoteles. Igne quidem cum siccitate, ardentissimus inest calor, terrae cum siccitate frigiditas, aquae frigus atq, humiditas, aëri verò humiditas atq, calor insunt. Nam quatenus mutandi se mutuo vim habent, eatenus contrarijs ipsa qualitatibus participare oportet, quatenus verò vicina sibi mutuo esse, necesse est, eatenus communem qualitatem habere debet. Quòd sanè à posteriori, testatissimum etiam confirmat experimentum, quo omnes norunt, terram & quae terreae sunt, exiccare atq, refrigerare, igne exiccare & calfacere, aquam refrigerare pariter atq, humectare: Aërem verò & quae aëreae sunt, & humectare & calfacere: singulis igitur elementis, binae conueniunt qualitates. De quibus tamen cõtroverti solet, sint ne ambae summae, an vna earum summa, altera verò summa ceterior. Quam rem videtur definisse Aristoteles, secundo libro de Ortu & interitu, capite

cc tertio inueniens, Quòd cum quatuor sint qualitates primae, quae elementis conueniunt, quòdque elementum est vnius: terra enim sicci potius est quam frigidi, aqua frigidi magis quam humidi, aër humidi magis quam calidi, ignis calidi magis quam sicci. Ex quibus sanè verbis, vniuersa schola, sibi persuasit, quòd libet elementum habere vnam qualitatem summam, Alteram verò quae à summa remittat.

Nec rationē tamen aliquam habent, præter Aristotelis allatum testimonium, nec etiā aduertunt, contrarium docuisse Galenum, primo libro de Elementis in hæc verba, Quod si simplex ad naturam requiris, purum atq; impermixtum esse oportet, ac summam habere qualitatem. Rursus igitur ad ignē venis, & aërem, & aquam, & terrā: in his enim solis, inuenies summam, & impermixtas qualitates. Summam quidem in igne caliditatem & siccitatem, summam verò in terra siccitatem & frigiditatem, & aliorum vtramq; secundum propriam naturam. Quæ verba manifesto declarāt, cui libet elemento, ambas qualitates inesse summam: rationēq; innuit, quoniam de ratione elementi, est puritas & impermixtio: quæ cum adsit, necessario affert qualitatem summam. Quantum enim qualitas aliqua, à summo remittit, tantum habet, de contrarij mixtione, vel ipso Aristotele autore, quinto libro Physicæ auscultationis. Si igitur elementa, habent qualitatem aliquam, ceteriore summa, contrariam etiam qualitatem, copullatam illi, habeant oportet: & ex consequenti nec elementa, erunt pura & impermixta, nec eorum quodlibet, binas tantum, sed tres etiam habebit qualitates, quod penitus à vero exorbitat. Quid ergo dicemus Aristoteli, oppositum differenti? ipsum ne errasse existimabimus? absit: sed amice magis est interpretandus. Quodque (inquit) elementum, binas habet qualitates, summam & impermixtas ambas, vna tamen præcipue ob signatur quodque, atque ea est, quæ magis accedit, ad naturam & essentiam, elementi cuius est, quam altera: nulli enim enti, conueniunt duo aliqua, æque primo: homini sanè conueniunt, rationale, risibile, musicum, & album, primo tamen conuenit ipsi, esse rationale: Secundo risibile, tertio musicum, vltimo & accidentalissime album: cum tamen summè rationalis sit, summè risibilis, summè musicus, & si fors tulerit summè albus. Sic igitur & ignis summè & calidus & siccus, præcipue ob signatur calore, secundo vero siccitate: Quoniam calor primo conuenit igni, deinceps verò & minus essentialiter (si fas est ita loqui) limitat sibi siccitatem. Sic & aër, essentialius limitat sibi humorem, aqua frigiditatem, terra siccitatem. Ob idq; vnum quodq; elementum, vnius est magis, alterius minus, vt dixit Aristoteles.

Caput nonum, qua qualitate, præcipue ob signetur aqua, frigore ne, an humiditate.

Q U O D aqua, frigida atq; humida sit, dubitat nemo: an vero frigiditas, primo & magis intime insit ipsi, quam humiditas, vt nuper ex Aristotele monuimus, non immerito dubitarit quispiam: quoniam frigiditatem amittere potest, humiditatem verò manens aqua exuere nequit, Galeno autore quarto libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite secundo: magis ergo intima est ipsi aquæ humiditas, siquidē nulla ratione separari ab aqua potest, frigiditas verò facillime separatur. Hæc difficultatem & mouit, & soluit, Alexander Aphrodisiensis, i. lib. quæst. naturalium capite

capite sexto dicens, Quod vtramq; qualitatem, potest amittere aqua, & frigiditatem, & humiditatem, transit enim quandoq; in confinium aëris, quandoq; in confinium terræ: Vapor enim, aqua est soluta, & in aëris confinio constituta, quoniam frigus amissit. Gellu verò & glacies, aqua est, in confinio terræ, quoniam amissit humiditatem. Sed hæc Alexandri solutio, mihi non arridet, aduersatur enim Galeno loco citato, qui aquam exiccari negauit. Et præterea quia gellu aqua concreta est, non exiccata: frigore enim, non siccitate concreuit. Adhæc quoniam ignis actione, liquefcit gellu, & in aquam soluitur, ab igne verò non humectatur, ergo aqua exiccata non erat, in super si pura atque sincera aqua daretur, prorsus humida atque frigida, ea tum esset concreta, primo libro de Natura humana, trigesimo nono commentario, à autore Galeno: exiccata verò non esset, siquidem ponitur extreme humida: ergo gellu, non est aqua in confinio terræ, vt voluit Alexander. Satius ergo dicendum est, quod qualitates passiuæ, cum maximè materiales existant: à materia ex sui natura, difficilius diuelluntur, quam actiuæ: etiam si actiuæ primo insint, deinceps verò passiuæ. Accedit etiam, siccitatis infirma agendi vis: est enim siccitas omnium qualitatum minimè actiua. Quare tum ob defectum agentis siccitatis, tum ob aquæ humiditatem, quæ plurimum reluctatur, nunquam siccabitur aqua. Obtrudet præterea nobis quispiam, locum Galeni, è primo libro de Natura hominis, commentario tertio, vbi aquam, humiditate constituit atque ob signat, non frigore: humiditas ergo, est qualitas intima magis, quam frigiditas ipsæ aquæ. Verba Galeni sunt: Quod mutatur subiectum est, cum mutatio eius à qualitatum efficatur vicissitudine, cui cum insit summus calor, efficitur ignis, ita euadit aër (sic enim legit Græcus codex, non aqua vt cruserius campensis) si ad id extrema humiditas, accesserit, eodem modo fit terra, vbi sua natura, ab omni qualitate remotum illud subiectum, siccitate citra calorem imbuatur, cōtra aqua cum humiditate. Ex quibus verbis constat, ignem constitui, atque ob signari calore, terram siccitate, aërem & aquam humiditate. Aduertendum tamen Galeni tempore, fuisse celebratissimam, & in vtramque partem agitatissimam, quæstionē de primo frigido: nam quidam, primum frigidorum, dixerunt esse terram, quoniam grauior, densior, & à cæli calore remotior est: alij aquam, quoniam magis quam terra, ad sensum frigefaciat. Hanc sanè quæstionem, ad artem Medicam inutilem esse censuit Galenus, quare vt ab ea abstineret, nec aquam, nec terram frigiditate ob signauit, sed hanc siccitate, illam verò humiditate, non quoniam Galeni mēs fuerit, aquam humiditate constituere, sed vt inutilem quæstionem effugeret. Hunc autē verum Galeni intellectum esse, ostendunt verba quæ statim subdit, in hunc modum. Nam de primo quidē frigido, non parua quæstio extitit, quæ nullum Medicæ facultatis operibus vsu præstat. Ac si dixisset nec terram, nec aquam, frigiditate volui ob signare, ne in quæstionē inutilem de primo frigido incidere. Frigiditate igitur, apud Galenum constituitur aqua, non minus atq; apud Aristotelem, vt ex primo etiam de Natura hominis, commentario decimo quarto, quiuus intelliget.

Liber

Caput decimum, sit ne aqua humidior
aëre an contra.




Prores qui Medicas quæstiones tractat, solent in dubiū vertere, sit ne aqua humidior aëre an contra. Atq; quidā hoc, alij illud statuunt. Nos verò cū mōstrauerimus, quodlibet elementū, duas habere summas qualitates, certo scimus errare utrosq;. Summè enim humidus aër est, & summè humida aqua, atq; eo solū distinguntur, quod primo humiditas cōuenit aëri, deinceps verò aquæ. Neutrū igitur, est altero humidius. Aerē summè humidū esse, dixit Gal. 1. lib. de natura humana, cōmentario decimo quarto: Aquā summè humidā esse, scripsit primo lib. de Simpliciu medicamentorū facultatibus cap. 32. Tā in aëre quā in aqua, extremā esse humiditatē, asseruit primo libro de Natura humana, cōmentario tertio: Summè igitur humidus aër est, & summè humida est aqua. Nec valet quod dicunt quidā, Gal. 1. lib. de Simplicibus medicamentis, non dixisse aquam esse summè humidā, sed summè humectare. Nam quid queeso verba hæc significat, Aqua supra quam quod refrigerat, omnium est vel humidissima, nihil est enim aqua humidius? qui præterea fieri potest, ut summè humectet aqua, ni summè humida sit? nihil enim, ultra gradum suæ perfectionis, agere potest, ut omnes fatentur philosophi. Ex maiori sanè densitate, fieri posset, ut citius aqua humectaret, ob maiorem humiditatis copiam, ni densiori materia repertam: quod verò summè humectet, si non sit summè humida, ex his est quæ fieri nequeunt: id enim ex intensione, non ex qualitatis multitudinē pēdet. Sed tria sunt, quæ huic nostræ sententiæ, videntur ob stare, primū quod aër esse aqua humidiorē probat: alterum verò, quod contrarium suadet: & tertium quod prorsus siccū esse mōstrat. Non igitur æque humida erunt. Primum sanè est, quod Aristoteles secundo libro de Ortu & interitu, humidum definiuit inquiens id esse, quod cum proprio termino careat, alieno facile figuratur. Hoc autē manifestum est, aëri magis inesse, quā aquæ: aër enim, magis aqua funditur & fluit, difficiliusq; terminos proprios suscipit: aqua vero, quādoq; proprios terminos seruat, ut cum de super demissa, deorsum fertur, & cum in puluerem aut linteum incidit, in orbem cogitur. Humidior igitur aqua, est aër. Alterū verò est, quod primo libro de elementis apud Galenum legitur hæc verba, Sed si fatearis, aliquid esse maximè humidum elementum, simul autem aliud aliquid esse dixeris, præter aquam, extrema erit dementia. Demens ergo apud Galenum fuerit, qui aërem summè humidum statuerit. Tertium est, quod Auicenna prima primi de complexionibus capite ultimo aërem dixit, Ideo mortis causam esse, quia siccatur. Et secunda primi doctrina secunda, capite tertio, in omni sua constitutione, ni a sole, & syderibus deriuata, nos exiccare decernit. Quod etiā notauit Auerrobus sexto colliget capite quarto. A corpore insuper & cute nostra semper dissipatur aliquid in ambientem, ideoque fames succedit, Galeno autore primo libro de causis symptomatum, capite septimo, ubi

ubi ita scribit, nam quoniam cute tenus, vnumquodq; animal, in ambientem aërem digeritur, accidit, ut membra quæ sub cute sunt, prima vacuentur. Cui ad stipulatur experientia, linteum enim madens, aëri expositum, exiccatur non humescit. Non modo ergo aër, minus quam aqua humet, sed absolute siccus est, siquidem nostra semper corpora siccatur.

Primum horum, necessario colligeret, aërem esse humidiorē aqua, si ea quam Aristoteles tradit, esset humidi quod vere humidum est, & non humidi apparentis definitio. Cum verò nobis constet, aquam marinam, vrinam, & ignis elementum, difficile terminari termino proprio, facile verò termino alieno, simul autem & sicca esse, non possumus definitionem illam, vere humidis tribuere. Lactuca præterea, & plurimæ huiusmodi plantæ, vere humidae cum sint, proprio & non alieno, clauduntur termino. Aer insuper ipse, quo magis rarefcit, eo difficilius, alienos terminos suscipit, humidior verò non fit: rarefcens enim, ad ignis naturam magis accedit, non rarefcens. Ad secundū verò dic, extremam dementia esse, summe aliquid humectare dicere, nisi aqua sit: nam etiam si aër, summè humidus sit, præcipueque ipsi humiditas conueniat, minus quam aqua, nostrum corpus humectat. Quia aqua crassior cum sit, magis inoratur, & replendi nostros meatus, vim habet, aëre ob tenuitatem facile effluente. Accedit etiā aqua, præter crassitiem, cognatio quam aqua ipsa habet cum terra, frigiditatis ratione: facile enim aqua terræ iungitur, difficile verò aër, quoniam utriusque qualitatis contrarietate, ad terram inconiuncte se habet, ob idque terrestria existentia nostra corpora, & hac magis participantia, magis ab aqua humectantur, cum & nata sit illi intermisceri, & non effluere ut aër, qui & aër ipse, ubi crassior redditur, atque ad aquæ naturam magis accedit, humectantior eadem de causâ efficitur. Et quæ in nostro corpore, ad aquæ naturam accedunt, magis humectant, & ob id Medicis, humidiora statuuntur aëreis, quæ re ipsa, minus humida non sunt, quamuis humectent minus: pituita enim, sanguine humidior statuitur, apud Auicennā prima primi de Complexionibus: Et sanguis venalis arteriali, cum tamen pituita aquea sit, & sanguis aëreus. Sanguis quoque arterialis, aërem refert, comparatione ad venalem aquosiorē. Hinc tertia tollitur dubitatio, aër enim, quamuis natura sua sit humidus, nostra corpora, & humecta linteæ exiccatur. Primò quoniam aquam suo calore in aërem conuertit, sicque linteum siccum reddit. Secundo quoniam calore & humiditate, corpus exhaurit, perinde ac aqua balnei, que sudorem mouet & perspirationem reddit maiorem. Tertio ob ventilationis motum, qui in respiratione & pulsibus fit, per eam enim, vapores corpori hærentes dissoluuntur. Quarto quoniam aër in se, vapores excipit, qui ab innato calido semper resoluuntur: ideoque cutis magis exhauritur, ab eiusque inanitione, fames incipit. Quinto ob vim exiccandi, aëri impartitam à sole & stellis, cuius meminit Auicenna. Sexto ob ventorum exiccantium commercium, qui quandoque persunt. Quamuis tamen hæc, ita habeant, habeatque aër ob causas

dictas vim siccandi, non ob id hæc vis semper præponderat, humiditati aëris nativæ: nam auctum frigus hyberni temporis, non modo non permittit, ut aër nostra corpora exhauriat, verum quæ à nativo fit calore, resolutionem minorem reddit: aucta verò humiditas tempore pluviæ & austrino, nostra corpora plus iusto reddit humida, ut multis apud Galenum locis videre est. Libro enim artis Medicæ capite octuagesimo quarto: ab aëre nostrum corpus alterari tradit, quia aut calefit, aut frigeat, aut exsiccat, aut humectatur, vel secundum horum patitur coniugationem, aut in tota alteratur substantia. Et primo libro de Sanitate tuenda capite tertio, ob id senium & mortem nos occupare tradit, quoniam aër varie immutat, sanitatis nostræ statum, modo quidem siccans, modo humectans, & similiter in actiuis afficiens. De aëre etiam dixit secundo libro Crisiu, quod condisponeat temperamento suo, corpora nostra, ita ut per æstatem augeatur bilis, per hyemem verò pituita, corpore ex aëris commercio, refrigerato pariter & humectato. Primo etiam libro Epidemiarum, sectione secunda, commentario septimo, de aëre pluviæ dixit, quod non solum non demit à corpore aliquid, sed adijcit etiam. Unde tertio libro Aphorismorum, commentario decimo quinto, per id tempus scripsit Galenus, egere corpus, abundantiore exercitio & purgatione. Adde quod si aër pluviæ nos ambiens, est nostro corpore humidior, necessario humectabit ipsum: minus tamē semper humectabit quā aqua, tum ob sex rationes dictas, ob quas vim aliquā exsiccandi aër obtinuit, tum quoniam aqua facile permiscetur terræ, aër verò ipsi adhaeret difficulter, ut notat Phyloponus secundo libro de generatione, commentario vigesimo nono. Unde Auerrhous sexto colliget capite quarto ita scribit, Et quantumvis aër humidior sit aqua, tamen non humectat corpus sicut aqua, eo quod non applicatur corpori sicut aqua, immo desiccatur corpora, & secundum quod calidior est plus desiccatur.

Caput vndecimum sit ne aër calidus an frigidus.



Ingens questio est, & inter clarissimos acta philosophos, quæ aëris qualitatem actiuam vestigat, siquidē Arist. quicquid cum sectatur, calidum esse aërem existimant, atque stoici frigidum, autore Galeno. 2. libro de Simplicium med. fac. cap. 20. Aristoteles sane secundo libro de Ortu & interitu cap. 3. hæc habet ad verbum: Ignis enim calidus & frigidus, aër verò calidus & humidus, ut enim vapor aër, aqua verò frigida & humida, terra autē frigida & sicca: ut rationabiliter distribuantur differentie primis corporibus, & multitudine ipsorum sit secundum rationem. Quo loco reliquorum elementorum qualitates, absque probatione posuit, solum autē in aëre habere dubitationem, probatione usus est, quod ipse sit calidus, eo quod veluti vapor est aër: vapor verò calidus est, & calidi generationem habet, vaporans enim aqua, & calore soluta, in aërem vertitur. Sunt & plura alia, quæ aërem calidum esse probant, primum quod leuis est, non

non ratione humiditatis, nam aqua leuis etiam euaderet, ergo ratione caloris, nam & ignis qui leuissimus est, ex calore id habet, si enim ex siccitate, terra quoque leuis foret. Aër ergo cum leuis sit, ex calore pariter leuis erit. Secundo videmus propinquantia inuicem elementa, qualitatem quandam habere communem, aliter enim sibi inuicem propinqua non essent, nec unum ab altero ambiri cuperet: & qualitatem aliam contrariam, aliter enim unius in alterum, aut utriusque in mediam naturam, non fieret commutatio. Si ergo aër ab igne differt per humidum, communicabit ei per calidum, & si communicat aquæ per humidum, differat ab ipsa per calidum oportet. Tertio quia si aër frigidus esset, iungeret natura, duo elementa maxime contraria, aërem scilicet & ignem, citra interuentum medij, quare maxime naturalem legem, transgredere retur natura. Quarto aër & aqua essent eiusdem temperamenti, quare & eiusdem speciei: & ex consequenti tria tantum essent elementa. Nam quod quidam aiunt, aërem ab aqua sola leuitate ac tenuitate distare, non temperamento qualitatum primarum, falsum est. Primum quoniam tenuitas ac leuitas, non sufficit differentiam in specie statuere. Secundo, quoniam secundæ qualitates in elementis, pendent ex primis. Tertio, quoniam si aër ratione tenuitatis & leuitatis solius, ab alijs distat elementis, præter calidum, frigidum, humidum, & siccum, statuere oportebit, quintum elementum tenuis ac leuis. Quarto, nam Aristoteles secundo libro de partibus animalium capite primo, A virtutibus elementorum, quibus mista componuntur, reiecit tenuitatem, leuitatem, & omnes alias qualitates à primis. Ita enim scribit, Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest, ea quæ ex primordijs conficitur, ijs quæ nonnulli elementa appellant: terram dico aquam aërem ignem, sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, ijsque non omnibus, velut ante expositum est: humidum enim & siccum & calidum & frigidum, materia corporum sunt compositorum. Quinto, quoniam inter elementa, debet esse quedam veluti æqualitas, ne calida corrumpantur à frigidis aut contra, aliter enim non conseruabitur vniuersum: tria autem elementa frigida cum vno calido, non seruant æqualitatem dictam. Accedit quod ignis spheram probabiliter negant plurimi, si ergo aër frigidus est, probabile quoque esset nullum esse calidum elementum. Oleum præterea cum crassam habeat substantiam, concretioni aptam, à frigore non gellatur, id est ad extremam concretionem non venit, quarto libro Meteororum à autore Aristotele. Ergo id contingit ob aëreum qui in ipso est calorem: aër igitur calidus est.

Pro stoicis est Seneca secundo questionum naturalium dicens, aër frigidus & obscurus natura est, lumen & calor illi præstant alimentum. Sunt & rationes, prima quod aër sit ex aqua, solam rarefactionem perpeffa, sed aqua est frigida, ergo & aër frigidus erit. Secunda quoniam in loco magis seuncto à causis alterantibus, puta in media regione maxime distita ab aqua & igne, frigidissimus est aër, ergo ex natura ipsius aeris est frigiditas. Tertia, quoniam per solam absentiam

causæ calfacientis reditur frigidus, tum noctu & hyeme, tum etiam iuxta Pollos. Nemo enim citra solis vim, de aëris calore cōqueritur, de frigore verò omnes. Quarta quoniam hominem temperatum frigefacit, si ventiletur aër. Quinta quoniam respiratione, perpetuo refrigerat nos. Sexto cerebrum vulneratum, frigefacit etiam aër æstiuus, ergo frigidus est collatione cerebri, quare magis collatione cutis. Septima ingrediens vinum inducit acorem, hic autem sapor, ex frigido ducit ortum. Octava quoniã flatulenta ædulia, acorem inducunt in ventriculo, ut castaneæ, & robusteæ glandes. Nona ubique includitur aër intra corpus nostrum, siue in ventriculo, siue in utero, aut intestinis, inducit symptomata ingentis frigoris, & quæ calorificis leniuntur. Oleum præterea aërem cum sit, frigore citissime concrevit: Frigidus igitur aër est, quod sensisse videtur Galenus, octavo libro, de usu partium, capite tertio, ubi magis probat Aristotelem, libro de respiratione, aërem frigefacere respiratione, quã secundo de generatione asserentem, natura calidum esse.

Quantum autem quæ stoicorum sententiam firmant rationes, non leues censentur, prioribus tamen magis in Aristotelis sententiam adducor. Nam quod aqua ex qua fit aër, solam perpetiatur rarefactione, impossibile est: rarefactionem enim antecedit calfactio, tantumq; aut magis caloris inducitur, quantum & raritatis: à calore siquidem pendet raritas, ingentem autem raritatem assequutus est aër, ergo & ingenti calore affici, est existimandum. Retorqueri præterea in ipsos, ipsorum ratio potest, nam aër generatur etiam ex igne, solam & humectationem, & densationem perpesso, sed ignis calidissimus erat, ergo talis relinquitur aër. Nec media aëris regio (quod putat) magis dissita est à causis alterantibus: Sed præter sui naturam frigidissima habetur: Tum quoniam ut dixit Aristoteles, inibi finiuntur repercussus solares: tum etiam antiparistasis ratione, quoniam frigidi halatus, dum solariū radorum ex vna parte, & ignis vim atq; calorem, ex altera fugiunt, frigidiores reduntur. Nec enim placet antiparistasis de medio tollere, quod quidam demonstrare conantur. Quantum autem valeat ipsorum demonstratio, audient infra. Hyeme præterea, noctu & septentrionalibus locis refrigeratur aër, ab aqua & terra frigidis, quæ in ipsum agunt. Et etiã quoniã vapores frigidissimi, ex aqua & terra soluti, ab istorum exiguo calore non dissipantur, quare aërem & refrigerant & densissimum reddunt. Quo fit ut nunquã aër sit immunis à refrigerantibus causis, nisi sol urgeat atq; calefaciat. Videtur tamen obstare quod Aristoteles loco citato, aërem dixit esse calidum & humidum, quoniam est veluti vapor, de vapore enim dixerat primo libro Meteororum capite tertio, quod eius natura humecta calidaque est: Quo modo ergo aërem summè calidum refrigerabit? Dicendum primo, quod aëris nos ambientes frigiditas, magis pendet ex aquæ atq; terræ actione, qua aërem nobis proximum refrigerant, quam ex vaporibus, qui tunc non sunt admodum frigidi. Frigus verò mediæ regionis, minus pendet ex huiusmodi actione, quæ minor est ob distantiam: quam ex vaporibus, qui cum illuc peruenere, ad aquæ cuius formam seruant qualitates remigrant, & aërem frigidum

gidum reddunt. Dic secundo, quod vapor qui actione solis & stellarum, & collisione ex vehementi cursu, inundatione, & attritu aquarum gignitur, quanquam calidus sit, respectu aquarum & niuium, ex quibus eleuatur: quod sensit in Meteoris Aristoteles, absolute tamen frigidus est. Nam per hanc actionem aqua atq; nix, licet aliquid incalescant, non tamen redduntur calida, nec calidos vapores eructant. Vnde domus æstate rigamus, ut aërem refrigeremus: & iuxta amnes aut mare habitantes, frigidam auram ab aqua spirantem sentiunt. Et æstas constans æthesijs Ventis, à niuibus quæ ad septentrionem sunt, tum temporis calore solutis refrigeratur, ut scribit Aristoteles secundo libro Meteororum capite quinto. Et ex cruda atque frigida pituita, frigidus vapor, per nostrum corpus sæpe discurret, difficiles cruciatu excitans. Sed adhuc urgent si vapor est frigidus, cum sit etiam aère crassior, cur ascendit aërem penetrans, ad mediam usque regionem? Dic id fieri ob bonum vniuersi. Quoniam vero natura, non solum vidit quæ bona sunt, sed causas etiam effectrices, quibus id bonum gigni atq; comparari posset, mundo tribuit: ob id in hac vaporum, elatione, huiusmodi causæ genus non prætermisit. Radorum enim solarium repercussus, tantam vim habet, ut secum euehat omnes eiusmodi vapores, ut qua aëris parte ipsi finiuntur, ibi etiam ipsorum sublatio sistatur. Eam autem aëris partem, qua radorum solarium repercussus finiuntur, mediam aëris regionem appellamus: Quæ non habet locum aliquem destinatum in aère, sed varium, pro varietate repercussus: Æstate enim longissime abscedit, quoniam ex radijs directis repercussus fit vehementior, atq; ad maiorem distantiam. Hyeme verò propè nos finitur, ob radorum & repercussus obliquitatē: Quod experimento deprehenditur. Nubes enim æstate longissime abscedunt à nobis, hyeme verò sunt nobis proximæ, ut notat Aristoteles primo libro Meteororum capite duodecimo: Tanta enim est radorum vis, in subleuando vapores, ipso aère grauiore, quod nubem etiam crassam (quæ solem ex vna parte, & obtutum nostrum ex altera finit) supra detinet ne decidat, donec iam in pluiam versa, terram irriget. Cur ergo vaporem dixit esse calidum & humidum Aristoteles, aëri quæ ipsum assimilauit? Dic quod vapor, qui è nostro manat corpore, aut is quem nos sentimus, dum ignis actione ab aqua feruente eruitur, calidus est, ipsique aërem similiauit Aristoteles: nam vltiori calfactione & tenuatione in aërem facile vertitur, redditurq; aër necessario, eo calidissimo vapore ex quo gignitur calidior. Frigido verò vapore, aërem simillasse, non credimus, siquidem calore atque humere aërem veluit. Iuxta pollos verò perpetuo alget aër, quoniam vapores aquei & terrei fugientes medium locum terræ, per quem sol, calore suo discurret, recipiunt se ad mundi extrema & antiparistasis ratione, multò magis frigefaciunt. Nec absolum etiam est, quod eiusmodi vapores, ab aqua & terra ad septentrionem valde frigentibus, vltius refrigerentur: quoniam non desunt quibus id dissimile esse videatur, quoniam experimēto in niuium constare, quod aër potius refrigerat aquam atque terram, quam ab ipsis refrigeretur. Ob id quod à iua aëri exposita citius & magis gellatur, quam quæ sub

tectis seruantur. Et quod in cauernis terræ, homines seruantur incolumes, qui sub dio nō possent viuere. Id tamen non quoniā aër terram & aquam refrigeret, contingit vt putant, sed quoniam ventorum verberatu sub dio refrigeratur aqua, subtectis verò & subterraneis, tum ob ventorum tranquillitatem, tum etiam ob antiparistam calore retracto, maior ibi calor reperitur. Aestate enim, frigidissima sunt subterranea & tectis operta, quoniam dum calor externus, intimas terræ latebras non adit, terræ & aquæ ibi latentis, natiuum frigus validum est, & impense quæ ibi apponuntur refrigerat, adeo vt minime habitabilia tum temporis, præ frigore sint subterranea. Ob id verò respiratione, perpetuo refrigerat nos aër, quoniam frigidus est collatione ad spiritus, & cordis calorem. Præsertim præcedente constrictione cordis, per quam & spiritus & cor incaluit magis. Sic & ventilatus aër, perpetuo nos refrigerat, quoniam in pœnitiores corporis partes, vi ventilationis agitur, vbi & earum & spirituum etiam calorem refrigerat, ob vapores admistos. Quod præterea aër æstiuus, frigefaciat cerebrum vulneratum, monstrat non sui causa, sed gratia vaporum admistorum refrigerare. Nam aër æstiuus, ad sensum, est calidus collatione cutis. Ergo calidior collatione cerebri. Ingrediens præterea vinum inducit acorem, quoniam collatione ad vinum frigidus est, atq; id non sui natura, sed vaporum admistorum. Flautulenta insuper alimenta, acorem ventriculo inducunt, non ob aërem admistum, sed ob aqueam atq; terream naturam, ex quibus actione caloris ventriculi, eruuntur flatus crassi, atq; frigidi, in quibus est acor. Vbiq; præterea includitur in nostro corpore aër, inducit symptomata vehementis frigoris: quoniam tenuis aër, atq; calidus facile exhalat, manent verò frigidi flatus, qui symptomatum illorum causa sunt. Oleum verò ob substantiæ crassitiem, atq; visciditatem, citissime densatur frigore. Quoniam verò aëreum est, nunquam in magnam venit densationem.

De Galeno verò quid in hac difficultate senserit, quanquam parum ambiguum id est, sunt qui existiment apud Galenum, aërem esse temperatum in actiuis. Nam secundo simplicium capite vigesimo nihil decernit, sed maximum id esse dubium adstruxit: octauo verò libro de vsu partium non dixit esse frigidum, sed Aristotelem reprehendit qui calidum possuit: Neutrū igitur est natura. Rationibus præterea, nam aër facile atq; ex leui causa, de calido frigidus fit, & de frigido calidus, & ex leui occasione aut calidissimus aut frigidissimus redditur, & autumnio eodem die modo calet, modo frigidet: Ergo calidi & frigidi medium tenet: Nec valde ad hoc aut illud extremum accedit. Aërea insuper medicamenta, vt oleum & cera, temperata sunt, ergo temperatus quoq; aër euadit.

Sed si aër elementum est apud Galenum, elementa autem omnia habent synceras, impermixtas, & summas qualitates, qui fieri potest vt sit temperatus? Primo libro de elementis ita scriptum reliquit. At si illud inquiris quod natura simplex sit, Oportet id haud esse mistum, temperatum ve, & summa qualitate præditum. Rursus igitur ad ignem remeas, & aërem, aquamque, & terram, quippe in ijs solis, qualitates re-

peries,

peries, absq; vlla mistura temperieq;. In igne nimirum, calor est summum, summamq; siccitatē: summum frigus, cū summa siccitate, in terra: Et in cæteris reliquis, prout sua cuiusq; natura postulat. Primo libro de temperamentis capite quinto, in hunc scribit modum. Porro absoluto sermone, siccum quod de nullo alio dicitur, in solis elementis est, igne, terraq;. Sicut & humidum, in aqua, & aëre, ad eundem modum, & de calido, frigidog; sentiendum. Nullum enim cæterorum, prorsus calidum, frigidum ve est, sed sola elementa. Quicquid verò aliorum cæperis, ex ijs mistum est. Aër ergo summum habet, aut calorem aut frigus, non calorem ex Galeno octauo de Partium vsu: ergo summè frigidus est. De aëre præterea speciatim agēs, (libro cui titulus est, an animi mores, corporis temperaturas sequantur) sic scribit. Nam is ipse, quantum in se ipso frigidus est, cæterum permixtione ignei elementi, bene fit temperatus. Nec est quod tergiuerferis, stoicorum ibi opinionem referre, non propriam statuere: nam duplicem tantum opinionem, agnouit Galenus de hac re, secundo libro de Simplicium med. fac. capite vigesimo, vnam Aristotelis, alteram stoicorum: Si igitur Aristotelis opinionem reiecit, reliquam est amplexatus. Libro præterea quarto de Simplicium med. fac. cap. 8. vbi nulla fuit stoicorū mētio, aërem appellat, tenue frigidū, & eius germen dixit esse, saporē accidū natura frigidum. Causa verò, quod tam citò, aër refrigeratur, & incallescit, non est qualitatum mistura, sed substantiæ tenuitas. Nam & aqua, quæ frigidissima est, cito sæpe numero etiam incallescit, & refrigeratur: & hac nota vtitur Hippocrates, ad dignoscendam aquam tenuissimam: neque enim aliam aquam probat, quam quæ vtramq; alterationem, facile subit. Si aqua ergo summè frigida, cito & induit, & exiit calorem, cur non & aër tenuior, etiam si summè calidus, citissime poterit refrigerari? Aërea insuper medicamenta, mediocritatem sæpe numero multum excedunt: nam septica venena, quæ putrefaciendo interimunt, aërea sunt: quoniam aëris qualitates sunt putrefactioni maxime obnoxie, Ingenti autem calore flagrant. Liguum præterea omne aëreum est, nam cum deorsum per aërem feratur, omne innatat aquam, præter ebum, quarto Meteororum autore Aristotele. In lignorum autem genere plurima sunt calidissima, à plantis nimirum collecta calidissimis. Non ergo aëreum omne, est temperatum, sed vbi contigerit, aërem mole tantum, non vi & efficacitæ agendi superare: id autem contingit interdum, vt in oleo, & cera, & similibus.

Caput duodecimum quod contrariæ qualitates, nec elementa constituunt, nec in eadem substantia cohabitare queunt.

EX copulis sex, calidi & frigidi, humidi pariter & sicci, quatuor tantum recensuimus, esse possibiles, calidi & sicci, calidi & humidi, frigidi & humidi, frigidi & sicci. Ex quibus constituuntur ignis, aër, aqua & terra. Calidi verò & frigidi, hu-

midi

̄m̄idi quoque & sicci, nulla est copula possibilis, ex qua constituantur elemēta. Nam cum contrarie qualitates sint, ex contrariorum lege, mutuo se fugant, atque interimunt. Ob idq̄ dictum est ab Aristotele, decimo Metaphisicorum, capite septimo, quod semper alterum cōtrariorum, secundum priuationē dicitur. Non ergo à calido simul & frigido, nec ab humido & sicco, aliquod consistet elementum. Nam quauis calidum atq̄ frigidum, humidum pariter & siccum, in gradibus non excedentibus (quam vocant) latitudinem, copulari queant, id non sufficit ad elemēti rationem. Elementum siquidem omne, synceras, summas & impermixtas qualitates, habere debet. Si igitur summus calor, cum frigore summo, non potest in eadem substantia copulari, nunquam ex vtriusq̄ copula, elemētum consurget vllum. De qualitatibus verò contrarijs, in eadem substantia, ita statuendū putō, quod calor & frigiditas, humiditas & siccitas (atq̄ idem dicendū de mollitie & duritie, raritate & densitate, albedine & nigredine, & quibusq̄ alijs) nō sunt toto genere contrarie, sed sub certis gradibus tantum, sub quibus, nulla ratione possunt stare. Sunt autem hi gradus, quicunq̄ excedūt latitudinem intensiōis, quam habent hęc qualitates. Vt si verbi gratia latitudo huiusmodi sit octo gradū (sic enim clarioris doctrinę gratia partiuntur philosophi) octauus gradus vnius contrarij, cuiusq̄ gradui alterius aduersatur, & ob id cum nullo ipsorum potest coherere. Nam & contraria se perimunt, & semper dicuntur secū dum priuationē. Septimus verò gradus verbi gratia caloris, vnum frigiditatis gradū non perimit, sed cum ipso cohabitāt, quod ipsi contrarij non sit. Omnes vero gradus qui supra vnum sunt, fugat ceu contrarios. Sextus gradus duobus alterius contrarij gaudet, vs verò qui sunt supra duos aduersatur. Quintus cum tribus cōcordat, vltioribus cōtrariatur. Quartus æquatū contrarium amat, cuiusq̄ verò vltra quatuor, magnopere dissentit. Atq̄ vt in summa dicam, calor cum frigiditate, humiditas cum siccitate, mollicies cum duritie, & albedo cum negreline, in eadem substantia pos sunt commorari: Vnum vero contrariorum, cum altero habitare nequit. Nam in gradibus in quibus cohabitāt, non contrariantur. Dubitauerit autem nō immerito quispiam, vnde id sit quod quartus gradus vnius contrarij, non possit sine quatuor alterius, quintus sine tribus, sextus sine duobus, septimus verò sine vno consistere, Et vt quid natura hos gradus, tam dissidentium qualitatū, nexuit sine cōtrarietate vlla? cui sanē dubitationi dicendum est, quod calor, non nisi à frigiditate corrūpitur, à qua etiam, loco caloris corrupti, frigiditas semper creatur, ob idq̄ quantū calori deest, de summa latitudine, tantum necessario completur, de frigiditate: Similiterq̄ de alijs cōtrarijs est dicendum. Finis verò nature, in tam dissidentium qualitatū nexu, non aliter fuit, quam mistorum generatio, non enim aliter mista fieri, & concerni possent, quam ex illarum qualitatū adhæsū & temperie.

☞ Caput tredecimum quod elementa,
non reperiātur syncera.

Si



I QVANTVM calidum elementum, detrahit frigiditatis, de elemento frigido: tantum etiam indit caloris, & contra, vt nuper diximus, sequens est, vt nullū reperiatur syncerum elementum in vniuerso: sed quod cuiusque elemēti qualitates, ex contrariarū appulsu sint refractę. Adeo enim sibi elemēta coherēt, vt necessaria intercedat, ipsorū attēperatio. Ob idq̄. i. lib. de natura humana comment. 39. absolutum elementum mente potius comprehendere, quam inueniri dixit Galenus, quoniā si elementa pura essent, periret atq̄ corrueret vniuersum. Nam si puram aquam fingas dari, non manebit iam aqua: concresecet enim mox, & subsistet, & fluere desinet. Ita terram, si prorsus siccam & frigidam cogites, erit ea adamante durior. Quę si euadat eiusmodi, factura desinet plantarum. Hac desita simul alimentum interibit animantium: atque si hoc, nimirum & ipsa animantia. Si enim terra styripibus alimentum est datura, humore perfundatur oportet. Eoquē principio adaecta agricultura, agrorum irrigationes excogitauit, & viros aquę ductus fingit. Vt vniuersum igitur seruaretur, oportuit elementa syncera non esse, & propriam naturam prorsus non custodire. Hinc causam cuiusdam problematis addubitati à multis, pendere putō, Quare scilicet terra nostra, gravitate vincatur a plumbo: & aqua, frigiditate relinquatur ab opio. Respondent vrgones, quędam mista, vincere in his effectibus, elementa ipsa (licet habeant qualitates elemētales remissiores) eo quod diriguntur à forma prestantiori. Est enim elemēti forma omnium ignobilissima. Sed quid mistorum nobilitati detraheret, si elemēti minus aut infrigidarent, aut grauescerent? Animantium præterea corpora, cum nobiliorem sortiuntur formam: & refrigerantiora & grauiora euaderent. Dicunt alij eiusmodi opera in mistis, consequi non ad qualitates primas, sed ad secundas diuersi generis. Ego verò non video, cui nam qualitati, refrigeratio opij sit referenda, nisi frigiditati, ab elemēti frigidis, in mistione acceptę: nec quo referri possit, plumbi pondus, quam gravitati, a grauescentibus elemēti impartitę. Quare non à diuersis qualitatibus in mistione creatis, huiusmodi effectus nascentur. Nostrorum ergo elemētorum qualitates, refractę magis sunt, atq̄ attemperatę magis, quam quorundam mistorum. Terra enim nostra, vt pascuis, & facturę plantarum, esset idonea, aquę humiditatem, aëris calorem, atq̄ pinguedinem, & ignis præterea, atq̄ solis vim accepit. Aqua rursus, ab eisdem elemēti, beneficium atq̄ attemperationem, opio atque plumbo maiorem summit, aliter enim nec fluida esset, nec in animantium potum cederet. Nec tamen due superiores rationes, prorsus sunt reiiciendę, nam tunc hic, tam etiam libro de temperamentis, ipsis vt veris ac vtilibus vtemur.

☞ Caput quatuordecimum, de mutua elemētorum actione, qua se frāgunt, atq̄ temperant, dum admisti concretionem veniunt.

Sed



Sed ingens difficultas suborta est, qui fieri possit ut mundi elementa se frāgant atq̄ temperent, tum in suis sphaeris, tum etiam quando ad misti concretionem veniunt. Sunt autem quinque precipua, quae difficultatem pariunt hac in re. Primum est quod tangentibus se se, calido & frigido, si calidum est potentius, quomodo patitur? si impotentius, quomodo agit? si aequae potens, quomodo fit aut actio aut passio? ab impotentiori enim aut aequali, actio quae passionem inferat nasci nequit. Secundum est, argumentum maximè inter nostri temporis philosophos celebratum, de parte non repassa, eo enim argumento probant, quod corpus aliquod, secundum eandem partem, simul mouebitur motibus contrarijs. Nam si corpus pedale frigidum, & bipedale calidum, agant & reagant inter se, ea ratione ut totum calidum, agat in totum frigidum, frigidum verò agat tantum immediatam calidi, puta in primum pedale (alterum enim pedale ponitur extra sphaeram actiuitatis frigidi) constat quod prima ea pedalitas, refrigerabitur à pedali frigido, ob actionem reciprocam: calfiet quoq̄, à secunda pedalitate sibi continua. Tertium est quod si ignis calfacit aquam, & aqua refrigerat ignem, per medium aërem: calfiet simul & refrigerabitur medius aër. Quartum est, quod nunquam agens assimilabit integre passum, si aliquid amittit in reciproca actione, nam per id quod amissit, iam non est actu. Nec est à quo id rursus producat, per id ergo non assimilabit passum. Quintum est, quod in antiparistasi, experimento deprehenditur, non modo retundi alterum contrariorum, obiectu alterius contrarij, verum & succrescere magis.

Plurimi ex philosophis nostri temporis, ut hos euadant laqueos, reactionem secundum eandem contrarietatem, fieri posse negant, ita ut si ignis calfaciat aquam, non refrigeretur ab aqua, sed ab ipsa, secundum alteram contrarietatem humectari possit. Dispercam si genus hominum unquam fuerit insanius, non aduertunt miseri, se friuolis quibusdam calumnijs tempus ludere, sensum negare, & in sempiternum eruditum odium venire. Si frigidam manum, sinui calido immitas, sinum refrigerabis, manum vero calfacies: Quod vel ipsi norunt pueri, media hyeme, manum pectori, & ad mouentes, & ad mouere timentes. Si glaciem manu apprehendas, manum refrigerabis, glaciem verò eliquabis. Si cādens ferrum, aqua mergas, ferrum frigefacies, & aquam calidam redes. Si feruentem aquam, gelidissimae misceas niui, exacte temperatum facies. Atq̄ ex hoc, ceu principio sensui noto, corpus temperatum vestigat Galenus primo libro de Temperamentis. Elementa insuper in suis contactibus, non sunt sincera, quae autem se contingunt, unam tantum contrarietatem habent, ergo secundum eandem, reciproce se retundunt. Misti praeterea omnia, aut summe calida erunt, aut summe frigida, si alternatim utraq̄, non conficiunt, atq̄ temperant se se. Ars insuper componendi medicamenta peribit, si ad mediam naturam, ut actionis reciprocae, non veniant simplicia. Omnes praeterea autores qui celebre aliquid scripserunt, in hac fuisse sententia constat. Galenus sanè primo libro de temperamentis, ex aequato con-

tra-

trario, temperatum corpus gigni arbitratur, exemplo niuis, & feruentis aquae, dum
 “ miscentur. Tertio libro de temperamentis, capite quinto, in hunc scribit modum. Om-
 “ nino enim ubi duo corpora inter se commissa, multo tempore pugnant, certantq̄ de al-
 “ terando, utrumq̄ eorum, tum agere, tum pati necesse est. Fortasse autē & si non mul-
 “ to tempore id fiat, attamen agit etiam, id quod vincitur, in id quod vincit: verum ita
 “ exiguum, ut sensum effugiat. Neq̄ enim si acutissimo ferro, mollissimam ceram, toto
 “ die ac nocte incidas, fieri potest, ut non fiat manifestè obtusius: ita nimirum illud cō-
 “ mode dici videtur, assiduo illis, durū cauat undula saxum: quippe ita quoq̄, factū
 “ cernitur: ceterū vno aut altero ictu, nihil adhuc euidenter videre in talibus licet. Ex
 “ quo factum arbitror, ut quaedam ab admotis sibi, nihil prorsus pati, opinati nonnulli
 “ sint: & cedendum est ita loquentibus. Saepè verò nobis quoq̄, ipsis, ita plerumq̄, loquen-
 “ dū est, nisi sicubi ad vltimum examen, disputationem perducimus, quenadmodum in
 “ praesentia facimus. Tertio libro de causis symptomatum, capite secundo, haec habet.
 “ Apparet enim omnia, tametsi multo ijs quibus appropinquāt, sint valentiora, aliquid
 “ tamen ab ipsis sensibile manifestumq̄, pati: & si non primo statim occurso, at certe tē-
 “ poris processu. Iam ferrum acutissimum, in mollissima secāda carne, est hebetatum:
 “ durissimus lapis, a guttula longo tēpore ictus, cavitatem contraxit. Quid verò in his
 “ quae mista sunt fiat, omnes norunt: siue enim in amphoram aquae feruentis, frigida he-
 “ minā inijcias, quod mistum ex ambobus est, non solum quod hemina vincatur: sed etiā
 “ quod aliquo modo vicerit, indicabit. Et primo libro de locis patientibus, non modo
 “ aquam, saxum excavare dixit, sed unāquāq̄, aquae guttulam, idem efficere testatur.
 “ Neq̄ enim (inquit) fieri potest, ut primo ictu nihil efficiēte, alter aliquid faciat. Neq̄
 “ Aristotelis locus, è libro octauo physicorum capite tertio, oppositum edisserens, quen-
 “ quam debet deterrere, (ut id obiter admoneamus) non enim voluit Aristoteles, prio-
 “ res aquae guttas, nihil excavasse: & totam excavationem, prodijisse simul ab vltima
 “ gutta, ut quidam male interpretantur: Sed quod excavatio, quae à quavis gutta fit,
 “ tota simul, & non per partes proportionales accedit. Neq̄, accretio enim, neq̄ decre-
 “ tio, neq̄ alteratio insuper vlla, infinita est. Quod praeterea inter quaecunq̄, contraria,
 “ actio reciproca reperitur, dum modo in materia communicent, non modo Galeni, ve-
 “ rum & Aristotelis, primo libro, de ortu & interitu, capite septimo dogma est. Quar-
 “ to insuper libro de generatione animalium, capite tertio, ita scriptum reliquit, Causa
 “ ut motus soluantur, est quod omne agens patitur, etiam à patiente: ut quod seccat,
 “ hebetatur ab eo quod seccatur: quod calefacit, refrigeratur etiā à calefcente. Deniq̄,
 “ quodcumq̄, mouet, excepto primo, mutuo mouetur aliquo motu. Verbi gratia quod
 “ pellit, pellitur quodummodo, quod premit, reprimitur: interdū etiam ita fit, ut quod
 “ agit, magis patiatur, quam agat, & refrigeretur quod calefacit, calefcat quod frigefa-
 “ cit, cū aut nihil fecerit, aut minus quam ipsum affectum est. Quid verò ad haec unus-
 “ quisque dicat, ut suam absurditatem tueatur, nostrum institutum, non est nunc re-
 “ censere.

Quid

Quid verò rationabiliter scribāt, alij reactionem recipientes, vt singulas obiectiones euadant, audiamus. Primæ difficultati quæ actionem ab impotentiori aut equali fieri probat, respondet ferè vniuersa philosophorum schola, quod quatuor primæ qualitates, non eundem, sed potius contrarium ordinem seruāt, virium agendi & resistendi, ita vt quæ plurimum valet agendo, minimè resistat, maximè verò, quæ minimè. Virium verò agendi ordo est, quod post calorē, sequatur frigus, post hunc humiditas, vltimum locū teneat ariditas: quæ sicuti minus omnibus, præstat actione, ita maximè passionem repellit, & humectantibus resistit. Humiditas quoq̄, exiccantibus resistit plurimum, at siccitate minus. Humiditatem sequitur frigus, calor verò, qui in altero ordine, primatum obtinuit, postremum in hoc, locum habet. Ex hoc omnē actionem, (etiam eius quod vincitur, in id quod vincit) à maiori fieri probant. Nam vis agendi vnius, in actionibus, conferenda est cum vi resistendi alterius, & non cum vi agendi. Exemplum esto, quod si calidum & frigidum, cuiuscunque mensuræ, aut equalia, aut in equalia, mutuo ad actionem cōgrediantur, tunc calidum calfaciet frigidum, & necessario ab eo interim refrigerabitur. Calfaciet quidem, nam si vis resistendi frigoris, est minor quam eiusdem vis agendi: & vis qua agit calor, superat vim, qua agit frigus: Superabit etiam vim, qua frigus resistit. Refrigerabitur verò, nā si vis agendi frigoris, superat propriam vim resistendi, & eiusdem vis resistendi, superat vim qua resistit calor, necessario fiet, vt vis agendi frigoris, superet vim resistendi caloris. Quare calidum & frigidum, quibuscunq̄ mensuris, superant & superantur, agent quoq̄, & reagent inter se. Nec ob id actio exit ab impotentiori, quoniam non comparantur, vires agendi inter se, sed cum potentijs resistendi.

Sed is ordo qualitatum primarum, in agendo & resistendo, voluntarie fingitur. Nec an verus sit, constat ex aliquo probato autore. Sed age quanquam seruent hunc ordinem qualitates primæ: Vnde est quod ex duobus colluctatoribus, si potētior deicit alterum, pariter & ab ipso in pugna lassetur, decidens etiam nonnunquam? Vnde præterea est, quod duo gladij se occurrentes, retundantur ambo? Nō erat sanè illa, vniuersalis reactionum ratio, quæ diuersum ordinem agendi, & resistendi, in primis qualitatibus spectabat. Si vis præterea agendi frigidi, superat resistētiam calidi, excessu finito, eam superabit: Nihil enim quod infinitum non sit, infinito excessu, aliud potest superare. Fiet igitur, vt is amittatur excessus, additione calidi & imminutione frigidi. Vires enim tum agendi, tum resistendi, augentur & imminuuntur, aucta aut imminuta multitudine formæ. Vis præterea agendi frigoris, potest corrumpi & deduci ad non gradum: Ergo ante integram corruptionem, reddetur equalis, & minor, quam resistētia calidi, quo casu cessaret reactio.

Dicunt alij actionem, à resistētia non distare, sed tantum inquirunt vnumquodq̄ resistit, quantum agit. Quod si non agit, ne resistit quidem contrario. Quare cum vnicuiq̄ rei, sit maximè naturalis affectus resistere corrumpenti, & non resistat nisi agendo, fit vt maximè naturali lege, vnumquodq̄, etiam quod vincitur, agat in id quod ipsum

ipsum vincit, plus aut minus, prout maiori aut minori excessu vincitur. Neque hoc (aiunt) est, actionem fieri ab impotentiori, neq̄ talis actio, præstantiam aliquam significat: cum ex resistētia proficiscatur, quæ maximè est vnicuiq̄ naturalis. Sed si actiue qualitates, ad agendum, quam ad resistendum, sunt magis idoneæ: & passiuæ contra vt asserunt: Quomodo idem erit & agere & resistere? Saxum præterea fluuiio demersum, mille annis humectationi resistit, ne aut humidū reddatur aut molle, aquā verò interim, nihil admodū aut exiccat, aut indurat: parū ergo agit, & multū resistit. Quomodo præterea huiuscemodi actio, quantumvis ex resistētia proficiscatur, nō significat præstantiam, si passionē infert? Quoniā omnia (respondet Valestus) quæ vincuntur, resistunt agendo, & actione, necessariā passionem inferunt vincuntibus, ita vt nisi clade accepta, non reportent palmā. Omnia ergo quæ vincuntur, eatenus etiā vincunt, quatenus cladem inferunt, neq̄ eam vnquam inferre possent, nisi vsq̄ ad eā mensuram vincerent. Vniuersalis enim veritas est, quod omnis actio, præstantiam significat. Siquidem omnis actio, infert passionem, passio verò non fit ab equali, nedum à minori. Id quod reliquit scriptum Aristoteles, libro de animalium motione, in hæc verba: Et quæcunq̄ sunt equalia, à se inuicem non patiuntur, per excuperantiam autem vincuntur. Vnde rectè Galenus tertio libro de Temperamentis capite secundo, Si in amphoram aquæ feruētis, frigida beminam inijcias, quod mistum ex ambo- bus est, non solum quod beminam vincatur, sed etiam quod aliquo modo vicerit indicabit. Hæc ergo actio, præstantiam atq̄ victoriam significat.

Ego verò de resistētia, atq̄ vi agendi cōtrariorum, sit ne vna altera maior, aut minor, aut fortè equalis, crediderim certam legem condi non posse. Quædā enim cōtraria, plus agunt quā resistant, vt actiue qualitates: Alia contra vt passiuæ: Nō nulla verò tantundem resistunt, atq̄ agunt, vt duo colluctatores inuicem se deicientes, dum æquis viribus certāt. Vt cunq̄ tamē se habeāt, statuendū est, quod omnis vis, per quam passum resistit passioni, quæ sibi infertur à cōtrario, est minor, quā potētia per quam fit actio. Ob idq̄, siue resistētia sit maior, aut minor, aut equalis actiuitati, semper passum resistit minus, passioni quæ inducitur, quam agens agat. Vt id autem clarius intelligatur, aduertendum est, quod potentia & conatus agendi, consurgit ex contrarietate, vnius contrarij in agente, ad alterum cōtrarium in passo: ea enim quæ contraria non sunt, nō agunt, & quo magis dissidentia sunt, eo magis crescit bellum, & agendi cupiditas inter ipsa. Potentia verò resistendi, consurgit ex contrarietate, quam habet passum, cum qualitate, quæ ab agente sibi inducitur. Pensandæ ergo atque librandæ sunt huiusmodi contrarietates, & si ea quæ passo & agenti intercedit, est maior: quam quæ inter passum, & qualitatem quæ sibi inducitur, reperitur: tunc vis per quam fit actio, erit maior vi per quam resistitur, & contra contrarium. Modo constat, contrarietatem agentis ad passum, maiorem necessario esse: quam passi, ad id quod inducitur ab agente: eo quod agens, successiue inducit in passum, & creat, qualitatem quam habet, incipiens a remississimo gradu, patæ

ab uno, vel forte a medio, aut minori. Quod ergo primo inducitur, est remississimus gradus, cum quo, minimam repugnantiam habet passum, parum ergo eius inductioni resistet. Deinceps inducetur ulterior gradus, aut ipsius pars aliqua, cum qua exigua contrarietatem habet, & ita consequenter, donec bellum finiatur, reciproca aderit actio atque passio. Exemplum esto, quod si tertio gradu calidum, & octavo frigidum, se contingant, potentia agendi calidi, consurgit ex contrarietate, quam habet cum frigido, habet autem contrarietatem, per omnes sui gradus, eo quod cum summa frigiditate, nullus caloris gradus potest stare. Potentia vero resistendi frigidi, ne a calido patiat, consurgit ex contrarietate ipsius, cum calore qui sibi inducitur. Inducitur autem primo, remississimus gradus, cum quo, remississimam etiam contrarietatem seruat, fiet igitur ut calidum, agat per potentiam resultantem ex tribus gradibus, frigidum vero, resistat per potentiam, resultantem ex gradu remississimo. Et ex consequenti id quod vincitur, reciproce etiam, debet agere in vincens, quoniam quadantenus etiam vincit, facta nimirum comparatione, virium per quas fit actio, ad vires atque conatum resistendi. Hæc in qualitatibus alteratiuis dicta sunt. De motiuis vero, eadem ferme est ratio, quanquam non simpliciter eadem, sed aliqua ratione diuersa. Semper enim resistentia passi, est minor actione agentis, ob idque duo gladij se occurrentes, retunduntur ambo: & gladius vnus, si integra die ceram discim. lat, hebetiori redditur acie, & aqua guttulla, assiduo illissu, saxum cauat. Prima enim non excauante, nec reliquæ possent excavare, primo de locis autore Galeno. Quod autem vis hæc resistendi, in saxo & gladio, quam agendi, in gutta & cera sit minor, ex alio principio nasci videtur. Forte vero rationabiliter dicetur, quod vis agendi, resultat ex toto agente: resistentia vero, non ex toto passio, sed ex parte ipsius tantum, quæ diuisionem suscipit. Gladius enim lignum scindens, scindit, actione omnium partium sui, non sola acie: Nam quo maior est gladius, eo magis seccat, non ergo sola acie seccat, sed omni sui parte. Lignum vero quod diuiditur, diuisioni reluctatur, secundum eam partem tantum, quæ seccatur: Proxima vero pars, quæ nondum seccatur, non resistit diuisioni prioris: Vel si ea resistit, quoniam nonnihil condensatur, remotior, quæ nec condensatur, nec seccatur, non resistet. Nec enim posterior pars, affectat prioris continuitatem: ergo eius distractionem non impedit. Hæc (dices) causa est, quare gladius, lignum scindit & ceram, gladius vero, quare retunditur, a ligno & cera, dictum non est. Quin dictum iam esse puta, nam potentia pariter agendi, ligni & cere, in gladium: non modo consurgit, ex parte cere aut ligni quæ diuiditur: sed ex tota cera aut ligno, adeo ut magis forte, aciem gladij retundat, pars proxima parti diuise, quæ post diuisionem tangit aciem, quam ipsa pars diuisa. Hebetationi vero gladij, & excuationi saxi, sola acies, & lapidis minima & insensibilis pars, quæ excauatur resistit. Id igitur per quod passum resistit, semper est minus, quam id per quod agens agit. Quod vero ex duobus colluctatoribus, lassetur non modo infirmior, verum etiam potentior, ad perpetuam spirituum animalium consumptionem, quæ per motus sit arbitrarios, etiam sine luctu, referendum duco. Atque de prima difficultate iam satis.

De

De secunda vero dicunt, quod sicut frigiditas in parte repassa, producitur a frigido, ita corrumpitur, a parte non repassa ipsius calidi. Quare frigiditas ea, habet naturam puri successiui, & in sola generatione, perinde atque motus essentiam continet. Obstat vero nihil (inquiunt) si quod calefit, simul etiam refrigeretur, frigiditate successiua, & quæ nullam habet intensiorem, in ordine ad suum subiectum. Sed o immanis sophistarum temeritas, si refrigeratur, frigiditatem suscipit: Omnis autem frigiditas, latitudinem certam habet: latitudo autem omnis, est partibilis: Ergo frigiditas quæ suscipitur, partes habet: Non est ergo ens successiuum. Entis enim successiui, duas partes simul dare, repugnat. Minori insuper difficultate, fit conseruatio, quam productio. Si igitur frigidum, potuit producere frigiditatem, potuit etiam conseruare: Quare frigiditas non erit successiua. Non minus præterea repugnat, quod entia permanentia, fiant successiua, quam quod successiua, fiant permanentia. Vtriusque est sua incommutabilis natura, tempus enim aut motum successiua, nunquam sistes, nec permanentia reddas: nec frigiditatem igitur fluere facies, ita ut suum esse, sit suum generari. Nos vero certius credimus, quod pars repassa, non caliet a parte sui non repassa: quoniam obstat frigidum, a quo ob actionem reciprocam, frigiditas creatur in parte repassa. Si pars enim non repassa, non fuit potis, impedire frigiditatis inductionem, minus poterit impedire, eiusdem conseruationem. Minori namque labore, fit conseruatio, quam productio. En quam facile, sophistarum cum demonstratione soluitur nodus.

Tertia difficultati respondent quidam, quod medius aer caliet simul atque refrigeratur, alia atque alia sui parte. Vbi vero vniformis, atque æque paratus, ad calorem & frigiditatem fuerit, per species spirituales, omnes partes simul calfiunt, & infrigidantur. Nec id absortum esse censent, sicuti enim albedo, atque nigredo, realia atque materialia, simul esse nequeunt: Spiritalia vero, in eadem parte aut aeris, aut pupillæ suscipiuntur: Ita de calore atque frigiditate, ferendum censent. Alij vero non modo spirituality, sed verè atque reipsa, calfieri simul atque refrigerari, eandem aeris partem statuerunt.

Quod sensisse videtur Gal. tertio libro de simplicium med. fac. cap. 16. exemplo duorum lapillorum, qui si vno tempore, in diuersas aquæ tranquille partes coniciantur, duos efficiunt circulos, qui per se inuicem feruntur. Nam cum circulus, circulum non sistat, contrarios in quauis aquæ particula, motus conspiciunt. Si pedes præterea (inquit) in calidam, manus vero in frigidam indas, in totum corpus vtriusque affectionis motus peruadit. Tunc enim nec nihil pati corpus, nec ab altero duntaxat dicere queas, nam & manifesto patitur, & ab ambobus patitur incalescens ac frigescens. Quod utique, & in febribus lypirys & epialis euenit, Præterquam quod in illis non extrinsecus, sed ex ipso corpore, caliditatis frigiditatisque, affectus exoritur. Tale quid euenire existima, si parè absinthij portionem, melli exquisitè commistam, lingue imponas: & cum in vno succu coeuit, austera & nitrosa facultas. Nam eodem tempore lingua, vtriusque succi qualitatè percipit. Ac si percipit, nimirum afficitur. Si parti præterea insensibilis, solani succu imponas, desari eam, constiparique, & cohiberi transpiratus conspicias, & si plusculo

C 2 id

id tempore facias, non rubram seruabis particulam, sed liuidam aut attram. Quod si non solum sed chamemelum, parti inflamatae imposueris, eam prorsus contra affici videbis. Quippe rara, fissa, mollis, laxa, euadet, nec liuida amplius attraue erit, etiam si vel plurimis deinceps diebus chamemelo utaris. Simul vero impositis, solano & chamemelo, neque ita densa, dura, tesa, liuida reddetur, atque si solo usus solano esses. Neque adeo rara, mollis, laxa, rubens, ac si chamemelo solo usus fores. Sed dictorum media, accipere affectionem particula conspicitur. Ob idque consentaneum est, utrumque medicamentum, secundum suam operatum esse facultatem. Nam si neutrum quicquam egisset, sed quiescisset utrumque, quam ab initio affectionem particula habebat, eam haud dubie seruasset, non secus ac si omnino nihil impositum foret. Sin autem alterum quidem eorum operatum fuisset, alterum vero penitus deiectum, non mediam affectionem, sed extremarum alteram perpeffa particula esset. At si utrumque agit, eaque contraria facultatibus fuere, contraria utique corpus eodem tempore perpeffum. Nec enim partitis agendi viribus operantur, tanquam si utriusque exempli causa, per totum diem impositis, sex horis prioribus medicamentorum alterum, reliquis vero sex alterum, suo vicissim munere fungeretur. Nugax enim haec est hypothesis, nec solum demonstratione, sed probabilitate quoque omni destituta. Ex his sane, quae Galeni omnia sunt, colligunt fieri posse ut intermedium aer, incalescat simul atque refrigeretur. Alij vero quibus haec minus arriident, medium aerem non simul, sed alternatim incalescere, & refrigerari tradunt. Quoniam nec frigefactio, nec calfactio, nec motus insuper ullus continuus est, apud ipsos, sed ex transgressionibus, & morulis quibusdam coalescit. In morula igitur frigefactionis, cum non refrigeretur calfiat, & in morula calfactionis refrigerabitur. Hi sane omnes quaequam non vera, probabilia tamen loqui videntur, ob idque non omnino forte sunt rejciendi. Primi qui caloris atque frigiditatis, species spirituales ponunt, nihil mihi dixisse videtur. Nam aut eiusdem sunt natura, cum calore & frigiditate, aut diuersae. Si primum vere calefit & refrigeratur aer: si secundum, quomodo calorem alterius naturae producent? ego sane existimo medium aerem, non posse ignem refrigerare, & aquam calfacere, nisi frigeat, & caleat ipse. Adde quod spirituales species, non sunt nostris philosophis excogitatae, productioni qualitatis realis, sed sensationibus obedientis. Nec omnes praeterea sensus, spiritualibus speciebus valent commoueri: Tangibiles enim qualitates, & non earum species, sunt quae tactum immutant. Alioqui aequae calida aut frigida sentiremus, refragante Aristotele secundo libro de Anima capite undecimo. Nec obstat, quod capite ultimo, eiusdem secundi de Anima, in vniuersum de omni sensu accepit, quod est susceptiuus formarum sensilium sine materia, non enim his verbis, sunt intelligendae spirituales aliquae qualitates, sed aduertenda potius est differentia passionis, qua patiuntur naturalia corpora, quatenus corpora sunt, & qua patiuntur sensus, aut sensificae facultates. Naturalia enim corpora, non modo patiuntur a formis, sed etiam a materijs agentium. Sic enim fit aqua dulcis aut amara mistione corporis dulcis, aut amari, non solum dulce, limis aut amaroris. Vestes quoque redduntur bene

olentes

olentes, non odoris qualitate affussa, sed odorifero corpore, aut vapore insidente. Dicitur lana quoque colore aliquo inficitur, non solus color, sed coloris etiam materia, ipsi immiscetur. Sic & sonus qui lignum rupit, subiecti aeris profusione id facit. Sensus vero, aut sensificae facultates, patiuntur solum a formis sensibilibus, visus quidem a colore, non a cerusa vel lana. Et in reliquis simili modo, a sola forma fit passio, perinde atque cera a sigillo. Sicut enim cera, quod in auro est signaculum, non autem aurum aut argentum suscipit, sic sensus, formas sensilium sine materia, & puras sensilium rationes cognitiue suscipit. Fit ergo sensatio omnis, per species reales, eiusdem naturae cum qualitibus, cuius sunt species. Nullaque alia ratione spirituales dici queunt, nisi quoniam sensilis materia, cum ipsis non migrat ad sensum, sed nude potius qualitates sensibus obijciuntur. Minus probabilis est opinio altera, quae aerem simul calefcere & in frigidari, atque idem corpus, contrarijs motibus moueri percenset. Nec huius placiti autor vnquam fuerit Galenus, qui libro de inaequali intemperie capite sexto, apertis verbis oppositum edisserit. Huius quoque opinionis absurditas, ex duobus colligitur, per se, & ad sensum notis. Primum est, quod contraria, ab eodem subiecto mutuo se pellunt: & alterum est, quod calor & frigiditas, sunt qualitates contrariae. Nec obstant quae ex Galeno tertio simplicium afferebantur, nam lapidibus proiectis in aqua, varij creantur circuli, quoniam partes aquae vicinissimae, contra se inuicem feruntur, non solum duobus, sed pluribus motibus: ob vicinitatem autem partium, circuli integritatem seruare videntur. Dum pedes praeterea in calidam, manus vero in frigidam indis, per vniuersum corpus, calor & frigus sentiuntur: sicut & in epialis & lypirys, ob partium quae refrigerantur & calfiunt vicinitatem, autore Galeno libro de intemperie inaequali capite sexto. A contrarijs quoque saporibus, iuxta vicinissimas partes, contrario modo afficitur lingua, nec ea partium diuersitas, sensu deprehenditur: tum ob paruitatem, tum ob propinquitatem. Ex dentibus enim duobus, saepenumero nescius vter doleat, vbi vnus alteri sit coniunctissimus. Solanum quoque chamemelo mistum, diuersas partes membri alterant: Nec tamen ob id quaedam denigrantur, aliae impense rubent: quoniam solanum, mistione chamemeli, refrigerat minus. Sicut & chamemelum, adiuncto solano parum calfacit, retunditur enim vnus vis, a contraria facultate alterius.

Qui vero nullum motum continuum faciunt, praeter omnem rationem loqui videntur. Primo quoniam in morula aut mansione quam ponunt, agens est proximum passo, & nihil deest ad actionem, ergo non intercipientur actio. Secundo quoniam intermedium aer, saepe saepius incalesceret & refrigeraretur. Easque mutationes non leues, sed sensui manifestas subiret. Si insensibiliter enim aut calefceret, aut frigesceret aer, insensibiliter quoque aquam calfaceret, & ignem refrigeraret. Tertio quia agens iam non repateretur agendo, sed potius vbi ab actione quiescit. Vltimo nam tertio simplici non, capite decimo sexto citato, fallacem dixit Galenus hanc hypothesis esse & omni probabilitate destitutam. Quare prorsus nobis rejcienda venit.

C 3 Ob

Ob id ego probabilius existimo, quod si aer calfit ab igne, non refrigeratur ab aqua. quomodo ergo aqua refrigerabit ignem, si intermedium aërem non refrigerat? facilis me iudice est solutio, conseruando aëris frigiditatem quo ad potest, tatum enim aër medius, sua frigiditate refrigerabit ignem, quatum aqua, aëris illam frigiditatem seruauerit, ne ab igne accendatur. Quartæ difficultati dicendum, nullum agens posse assimilare passum, ad qualitatem quæ inerat initio actionis, qualitati tamen relicte in fine actionis, necessarium est ut passum simile euadat agenti. Sicque assimilatio, passi ad efficiens, simul & mutua ipsorum actio, salua manent, atque seruantur. Quintæ difficultati tantum tribuunt quidam, ut antiparistasim, plurimis retro seculis antea recepta, de medio tollant. Nam præter id (inquiunt) quod ageret quidpiã nihil perpassum, aut calor seipsum auget, aut frigore augetur, quorũ utrumque est improbable. Ridendi tamẽ sunt huiusmodi disciplinarũ inuatores. Nam quod calidũ, augeatur obiectũ frigidis, aut cõtra, cõtingere potest primo, quãdo ob frigus circumstãs non effluit: Sed potius colligitur, calida aliqua substãtia, quæ aliã esset effluxura. Sic hyeme intromente spiritũ atq; sanguine, ventres plurimum habent calidi innati. Sic aquæ puteales, hyeme sunt calidiores, & ad oculũ extracta, fumare visuntur, ex experimẽto & Alexandro quarto problematũ capite quinquagesimo quinto, & Gal. 6. Epidem. parte. 4. com. 12. Nec enim (ut putant) hanc causam negauit Galenus, tertio simplicium capite septimo, sed secundã eius apparentiæ rationem, addidit ex tactũ nostro, aliter atq; aliter affecto. Sic hyeme valde augetur, & nutriuntur radices styrpiũ, sicut germina per æstatem. Sic germani robustissimi sunt, Aethiopes imbecillimi. Sic mediã aëris sedes frigidissima est, quoniã eo se recipiunt frigidi vapores, ex vna parte radiatorũ solis vim, & ex altera ignis feruorem fugientes. Sic iuxta pollos perpetuo alget aër, quoniam vapores aquei & terrei, fugientes medium locum terræ, per quem sol calore suo discurret, recipiunt se ad mĩdi extrema, ut docuimus ante. Sic Aegypti vina frigida sunt, Scythiæ calida autore Alexandro. 5. problematum cap. 5. Sic olera frigida æstate nascuntur, hyeme calida, ex eodẽ Alexandro 5. lib. problematũ cap. 6. Augetur præterea calidum obiectũ frigidũ, vel contra, etiã si nulla substãtia extẽrna aliunde accedat, quoties partes quædam calidæ aut frigidæ in minutissimas partes distractæ, fugientes contrariũ quod eas circumstat, uniuertur in medio. Antea enim ob distractionẽ, aut nullius aut infirmæ actionis erãt. Postea verò unitæ, vehementius operantur. Nã licet quantitas, nullam habeat agendi vim, est tamẽ necessaria ad actiones. Atq; ob id scintilla ignis non calfacit, tertio simplicium cap. 17. autore Gal tres verò aut quatuor distractas, si vnias scintillas, cõspiciam iam vstionẽ animaduertes. Sic grãdo in aère calido per æstatẽ gellatur, & quo aër est calidior, eo magis concrefcit, autore Arist. 1. lib. Meteororum capite duodecimo: Vbi in hunc scribit modũ, patet igitur concretionẽ non ideo euenire, quod nubes, in superiorem locum, qui multo frigore rigent propellantur. At cum hic mutua calidi ac frigidi pugna, antiparistasim fieri videamus (ob quod ut æstuate tempore

subterranea loca frigida sunt, ita gellantẽ calida) hoc ipsum in supero quoq; loco fieri putandũ est, proinde frigus tempore calidiusculo, introrsum per antiparistasim coactum, ob circũdantẽ calorem, interdum celeriter aquam e nube facit. Quo circa & multo maiores stillæ, & aquæ impetuosiores æstuantibus diebus, quã hyberno tẽpore fiũt. Impetuosiores namq; dicuntur, cũ densiores ex alto ruunt: quod profecto euenire solet ob concretionis celeritatem. Et rursus Paulo inferius scribit: Cum autem frigus adhuc magis, in profundum coactum fuerit ab exteriori calore, quã fecerit aquam congeliat magis emergitq; grando: quod accidit vbi aquæ in immutationem congelatio anteuertit. Quibus planẽ verbis manifestum fit, quod partes quædam frigidissimæ, quæ antea non operabãtur, intro coactæ atq; unitæ congeliant. Sic dũ per æstatẽ aqua, aut vinũ, aut melopeponem refrigerare studemus, soli exponimus. Eoq; artificio rustici medio æstu, vtriũ quodã genus (zaque appellant) insolant, quo aqua frigidissimam reddunt. Ab ambiente enim solis calore, frigidissimæ quædam aquæ partes, intro repulsæ atq; unitæ, reliquã aqua frigefaciunt. Interim verò & ipsæ non nihil calfiunt, ex reactionis iam sepe dicta lege. Nec sequitur tamẽ, quod si calidũ circumstat frigidũ, mutua debeat intercedere actio atq; passio, ob idq; frigidũ remitti. Partes namq; frigidæ, quæ fugiunt cõtrarium, & colliguntur in medio, non patiuntur, sed potius fugiunt passionem contrarij. Nec sequitur præterea quod calor, augeatur frigore aut seipso: Calor enim partiu minus calidarũ, augetur calore partiu calidiorũ. Vnum tamẽ præter dicta animaduertere expedit, quod in antiparistasim qua corpus nostrũ hyeme calidius redditur, sola augetur caloris natiui substãtia. Tũ quia non diffatur, tũ etiam quia collectus in visceribus, coquit succos semicrudos, ex quibus sanguinẽ creat, & auctior redditur. Caloris verò qualitas & intensionis gradus, non modo non augetur, verũ & remissior redditur, eo quod non modo corpora nostra, circumstat hyemalis aër, verũ & inspiratione & arteriarũ totius corporis perspiratu, nostri corporis penetralia adit, atq; refrigerat. Non enim qui in medio colliguntur spiritus, aut humores, passionẽ cõtrarij omnino effugiunt, si contrarium ipsum eo quoq; penetrat. Atq; hoc voluit insinuare Gal. 1. lib. Aphor. com. 15. dum dixit, quod humores cõcrescentes per hyemẽ, funduntur adueniente vere: hyeme igitur remissior est eorũ calor. Hippocrates insuper libro de Natura humana, bilẽ docuit hyeme minui. Et Auicẽnis secunda, primi, doctrina secunda cap. 6. eandẽ dixit reprimi. Caloris igitur natiui qualitas hyeme est remissior, feruentior verò æstate, ut apertis etiam verbis docuit Gal. 3. lib. de causis pulsuum, capite sexto. Quid igitur de antiparistasim sit sentiendum, & quod ipsa non repugnet, cũ altero reciproce actionis dogmate. Quod præterea nec pars repassa, nec intermedius aër, moueantur motibus contrarijs: Quod item actio fiat semper a potentiori, atq; demum agens passum assimilare possit, simul & inter omnia contraria, in materia communicantia, actio reciproca reperiatur, hætenus dictum sit.

Caput quindecimum, de formis elementorum

substantialibus, quid senserit Galenus.



Primis qualitates, esse elementorum formas substantiales, tū apud Alexandrū Aphrodisiensem, tum apud Galenum, ut non dubito: ita eorum opinionem minime probo. Alexandri loca, qui primitus hanc opinionem inuexit, non indicamus, quod cuius Alexandrū legenti sint obuia: de Galeno verò, nemo quod viderim suspicatur, huius fuisse sententiæ, quanquam ex multis ipsius Galeni locis, id apertissime constet. Primo sanè libro de Elementis post medium ita scribit: Quod sit igne simplicior, caliditas summa, & quod hæc materiæ adueniens, igne constituat: omnes philosophi consenserunt, quos atheniensis studet emulari. Et quidem quod sit ignis generationis principium, materia exqualis, quæ omnibus subicitur elementis, deinde ea quæ huic caliditas aduenit summa, hæc quoq; pariter, ipse fatebitur. Et eodē libro ante finem in aere, igne, aqua & terra, nullam compositionem agnouit, nisi ex materia & qualitatibus. Et paulo inferius à qualitatibus (inquit) nominat elementa Hippocrates, per quas etiam facta sunt elementa, nam summa adueniente materiæ caliditate, iam corpus est elementum. Eadem ratione & frigiditate, humiditate ac siccitate. Præterea locū è primo de natura hominis, commentario tertio, & decimo quarto & alios quos diligens lector passim offendet. Ex quibus luce clarius apparet, Galenum non agnouisse in elementis, formam aliquam vocatam substantialem, præter qualitates subiecto primo & intransmutabili accedentes. Quod si pœnitius Galeni mentem contemplemur, nullibi reperiemus, substantiæ formam aliam à primis qualitatibus posuisse, non modo loquor de elementis, sed etiam mistis, tam animatis, quam inanimatis corporibus. Primo de Usu partium, capite nono sic scribit: Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum unicuiq; id esse quod est, ob quatuor qualitatū prædictarum, certam quandam temperaturam, mistionemq; cōtingit. Hæc igitur eis, secundum substantiæ rationem insunt. Consequuntur autem necessario odores, sapes, colores, duricies, mollicies. Alia verò necessario accidunt, positio, magnitudo, connectio conformatioq;. Libro quod animi mores, corporis sequantur temperaturas, omnium simularium partium substantiam, primis qualitatibus constare affirmat: dubitat autem de instrumentis atq; anima, sed & hæc vult ex illis esse. Vnde anima sæpissime apud Galenum temperatura est, nisi ea sit immortalis, tunc enim temperatura non erit anima, sed eiusdem ancilla. Vix autem credere potuit Galenus, animā esse immortalem, & aliud à temperatura, ut ex eius scriptis clarissimè constat. Sed veritati iam parcat Galenus, forma quæ largitur essentiam rebus, & est altera pars cōpositi substantialis, substantia necessario erit, ergo non qualitas: categoriæ enim sunt impermixtæ. Nulla præterea substantia per se, sub sensum cadit, ut docet Aristoteles, libro secundo de Anima, capite sexto. Nemo autē nescit, primas qualitates, per se à sensu tactus sentiri, primæ itaq; qualitates, non sunt substantiæ dicende: Quare nec formæ substantiales elementorum. Elementa insuper habent binas qualitates, & singulas tantum formas, ergo formæ non sunt qualitates. Dum attigua præterea elemē

t.

ta, migrant in se se, remanet qualitas symbola, incorrupta. Et non manet forma, diuersa igitur est forma substantiæ, à qualitate elementi. Si ignis insuper solo calore atq; siccitate, summā leuitatem, tenuitatem, raritatem, & agendi efficaciam consequeretur: non posset pyrethrum crassissimum, tā valido calore & siccitate insigniri. Terra insuper si ob solam frigiditatem & siccitatem, grauitatem habet, non esset plumbum grauius ea, siquidem minori, tum frigore, tum siccitate insignitur. Quare formæ substantiales in his omnibus sunt statuendæ, ex quibus magis quam ex qualitatibus primis omnia alia pendeant.

Caput decimum sextum an apud Galenum, formæ substantiales elementorum, maneant in mistis.



Qualitates primæ, ut docuimus de mente Galeni, sunt elementorum formæ: frustra dubitant quidam, insint ne mistis apud Galenū, elementorum formæ, an solæ qualitates. Multoq; magis ridiculi habentur, qui putant in fragmento de substantia facultatum naturalium, hanc quæstionem proposuisse, ad hæc esseq; parti, quæ solas qualitates manere adstruit. Verba Galeni sunt: Corpora quæ apud nos sunt, quatuor elementorum temperatione, conflari vniuersa, certo me scire aio. Quæ præterea & per se contemperentur tota, nō ut putabat Empedocles, exiguis comminuta partibus misceantur. Num autem se totis peruadentibus corporeis inuicem substantijs, an solis qualitatibus, neq; cognitu necessarium arbitror, neq; pronuntio: ceterum qualitatibus fieri tēperaturas probabilius censeo. Primo præterea Methodi post principium, huius quæstionis meminisse tradunt, ubi ita scribit Galenus, dissident in eo, quod Aristoteles, qualitates tantum, in se mutuo transire, omninoq; misceri: stoici non has modo, sed etiam substantias ipsas, existiment. Quod autem hoc definire, me dico superuacuum sit, quodq; ad Medicinæ opus, abunde sit, si tantum concedantur ea, quæ ab utrisq; sunt demonstrata: itē quod qualitates virtutesq; in mistis, totæ sint totis permixtæ, hæc & ante à me sunt demonstrata. Octauo præterea libro de Placitis ante medium, apertis verbis, potestate mistis inesse elementa, actū verò humores adstruit. Galeni verba sunt: Accuratius de elementis, medicoq; etiam vtilius, scripsisse Hippocratem constat, quippe qui cum ex quatuor elementis, corpus nostrum dicat extitisse, ab effectricibus qualitatibus ea appellat siccū, humidū, calidū, frigidū. Potestate siquidē in corporibus, nō actu insunt, actu verò insunt, quæ ex ipsis, per media alimēta gignūtur, sanguis, pituita, flaua, & attrabilis. Igni flaua, attræ terre, pituita aquæ correspondet. Quibus sanè testimonijs, quidā persuasi, nō sine demonstratione, partē suā egisse pronuntiant. Decipiuntur tamen: primo, quoniam apud Galenum qualitates primæ, sunt elementorum substantiales formæ. Secundo, quoniam qualia ele-

C 5 menta

menta, in vniuerso reperiuntur, talia etiam in animalium corporibus, ostendit Galenus primo libro de elementis ad medium. Vti enim in mundo (inquit) de terra qualis sit quæsitus, lapidē mōstro terrestre corpus, ita in animalibus ossium genus, & cartilaginum, & pillorum, quod ad terræ formam, est exquisite exiccātū, atq; densatū. Nā sicuti in vniuerso, elementa syncera non reperies, ita nec in animalium corporibus, impermistum aliquod querere debes. Sed tibi sufficiat hoc quidem frigidū, ac siccum, & densum inspiciēti terræ meminisse: hoc verò rarū, & humidū, ac fusile, aquæ intellectū suggerere. Et plurimus calor, in corpore animalis ignē adesse significet, & spiritus natura, sine qua animal cōstare non potest, aērē quidē maximē, ignē vero simul cū ipso. Pura enim & alteri non cōmista, nec in vniuerso, nec in animalium corpore reperiuntur. Sed omnia constat esse adulterata, & alteri naturæ diuersæ cōmista, & secundū magis ac minus, simul cōiunguntur. Verū in hac mistione, is qui mentē habent, elemēti exuperantis forma deprehenditur. Tertio quoniā friuola sunt Galeni testimonia quæ adducunt, non enim erat antiquū disidiū stoicōrum, atq; Arist. de formis substantialibus elementorū, neq; ipsi id vnuquā in mentem venit: sed de corporeis substantijs elemētorū. Stoici enim totas substantias, totis cōtēperant, atq; omnino miscent. Aristoteles verò solas qualitates cōtēperat, substantias verò in minima diuidit: sicq; diuisas inter se confundit, veritus manifestā penetrationē corporum asserere, si totas elementorū substantias, totis coire, atq; omnino misceri decernat. Hunc esse Galeni sensum, monstrāt omnia Galeni testimonia quæ citāt, si diligētī animo expendantur. Quid enim aliud portendunt verba hæc, è fragmento libri de substantia facultatum naturalium? Num se totis peruadentibus corporeis inuicem substantijs, an solis qualitatibus, neq; cognitu necessarium arbitror neq; pronuncio, cæterū qualitatibus fieri temperaturas, probabilius censeo. Vbi (corporeis inuicem substantijs) dixit, non formis substantialibus: atq; (corporeis peruadentibus se totis) id est vndiq; cōiungentibus dixit, non secundū minima distractis. Idem sensit primo methodi qualitates solas, in se mutuo transire, & omnino misceri scribēs. Nam corporeæ substantiæ, cū vndiq; misceri atq; coire non possint, in minima quæ se contingunt diuiduntur. Sed hæc fortē obscuriora sunt, quā vt hominem cogant verū fateri. An alicubi apertius? in proæmio sanè de Natura hominis, his verbis quæstionem proponit, Vtrū elemēta per se tota sint cōmista, an modo se se cōtingāt. Vbi per se totis cōmistis, opponit se se contingētia. Ergo quæ per se tota sunt cōmista, sunt quæ se penetrāt, et vniuersim se peruadūt. An alicubi clarius? locus est locus, parcant lectores, omnē enim detegit Nebulā. Primo libro de elementis postrema libri verba sunt: Et quidem quo modo per tota tēperentur, ea quæ recipiunt tēperaturā, an qualitatibus solis, vicissim agētibus, ac patientibus, vt Aristoteles existimauit: Vel etiam corporeis inuicem cōiungentibus, neq; Medicis scire est necessarium. Ob hanc rationem, neq; Hyppocrates quicquam de istis ostendit, sed satis esse existimauit, si diceret, per tota temperari elementa. Quare ista sufficiunt, & ad eam quam debeo deinceps transigere, de temperamentis tractat

tractationem, & præterea ad alterā, quæ de medicamentis inscribitur: dicitur autē à me, & amplius de ipsis, in libris de curatiua arte. Verum satis fuerit, præsentī adie-
cisse sermoni, quod ea quæ Asclepiades scripsit, in libro de elementis, aduersus illos, qui totas per totas substantias, inuicem confundunt, ac temperant: nihil illos perturbant, qui secundum solam qualitatem aiunt cōtēperari. Quare si propter nihil aliud, saltem ob certitudinem, dogma est eligendum. Atq; dicendum, quod dum vinum si ita contingat, aquæ admiscetur, partes vtriusq; ad minimas particulas confringuntur: vnde illis mutua actio, & passio contingit, & qualitatum inuicem participatio, quæ tanto præoptior est, atq; facilior, quanto ad minores particulas confringuntur. Quare qui hæc simul commiscet, impensius agitant, ad minima diuisionem quantum fieri possit intendentes. Quod autem qualitates magis vniuntur, eorum quæ plus inuicem commiscet, & longius tempus miscellæ habent, non est à ratione alienum: tempus enim requirunt, particule minime temperaturarum, vt integrè agant inuicem ac patientur: atq; ita totū efficiant, quod sibi sit, vnde quæq; consimile. Quapropter statim quidem, possunt rursus inuicem separari, quædam ex his quæ commista sunt: quod si longius tempus cōmorentur, ita vt totum vniatur impossibile est, vt etiā distinguatur ac separatur, alterum ab altero. Verum de ea quæ fit, per tota temperatura, dicitur aliquid in libris de medicamentis. Nec magis vrget locus octauī libri de placitis, vbi potestate corporibus inesse elementa, & non actu, humores verò actu scribit Galenus. Potestate enim sunt elementa, quoniā vt ipse subdit, terram nullibi videmus, per se solam, in corpore congregatam esse, nullibi ignem, nullibi aquam, nullibi etiam aërem, nisi is tantū, qui in respirationibus, & pulsibus trahitur & eliditur: sed omnia sunt commista, & ob mistionē coercita. Humores verò secreti visuntur, & sui iuris omnes, quare si modum seruant, sanus degit homo, si præter modum vnius excrescit, aut in membro aliquo colligitur, multorum morborū est causa & origo. Ob idq; rectè Hippocrates, morborū causas, in humores reiecit, Plato verò in elementa nō rectè. Nam humores sunt actu separati, elementa verò non actu, sed potestate vt separantur: separabuntur autem postea, atq; ad se redibunt. Necessarium enim est, reuerti ad sui ipsius naturam, singulum post mortem hominis. Nam & siccum ad siccum, & humidum ad humidum, & calidum ad calidum, & frigidum ad frigidum, reuerti dixit Hyppocrates, in libro de natura hominis. Nomine autem calidi, frigidi, humidi, & sicci, intelligit Galenus, primo de elementis ante finem, non solas qualitates, sed ipsas substantias, in quibus sunt qualitates ipsæ. Substantiæ enim sunt, quæ recedunt in hominis morte, & vniuersi elementis commiscet. Qualitates verò, corrumpi in hominis morte dicerentur, ad propriam verò reuerti naturam, non dicerentur.

☞ CAPVT decimū septimū, Quid de
proposita quæstione, tum Aristoteles, tum huma-
na ratio dicet.

Sed



E D iam quantum valeat ratio, & Aristotelis testimonia perscrutemur: siquidem ad hoc dissidium, Galenus non est vocandus. Si generationem omnem, antecedit, alterius praeexistens corruptio, ut est omnium philosophorum, commune proloquium, elementorum corruptionem, excipiet misti generatio. Si praeterea ex pluribus in actu, non fit unum per se, septimo libro metaphysicorum autore

Aristotele: aut elementa non manebunt actu in misto, aut mistum non erit verè unum. Forma insuper misti, adueniet enti in actu, quod est praeter naturam formae, quae eruitur semper de gremio, atque potentia materiae. De minimo praeterea carnis, ex quatuor elementorum minimis genito dubitat, an in ignea portiuncula, sit forma carnis, nec ne? Si primum, datur mistum uno constans elemento: Si secundum, cum in ignea portiuncula, non sit forma carnis, nec eadem erit in aëra, nec aquea, nec terrea: & ex consequenti, nec in ipso minimo carnis, ex quatuor illis genito. Huc praeterea tendunt plura Aristotelis testimonia. Primo libro de ortu & interitu, capite ultimo. Et quoniam eorum quae sunt, alia facultate, alia actu sunt, fit ut quae in mitione recipiuntur, quodammodo sint, & non sint. Et paulo inferius, Nec verò actu permanet, uti corpus & albedo, neque corrumpuntur, aut ambo aut alterum, nam eorum virtus & potentia salua manet. Tertio caeli, capite tertio, In carne & ligno ac similibus, inest ignis potentia atque terra. Secundo de partibus animalium capite primo, Cum itaque triplex sit compositio, prima statui potest, ea quae ex primordiis conficitur, usque nonnulli elementa appellant: terram dico, aquam, aërem, ignem. Sed melius fortasse dici potest, ex virtutibus confici elementorum, usque quae non omnibus, sed ut ante expositum est. Humiditas enim & siccitas & caliditas & frigiditas, materia corporum sunt compositorum. **SOLVUNTUR** autem haec omnia, nam agens Aristoteles de elementorum ex se ipsis, generatione atque transmutatione mutua, dixit quod unius generatio, est alterius corruptio: Nam si de generatione misti ex elementis ageret, & elementa corrumpi censeret, unius generationem, esse plurium corruptionem dixisset. Dum praeterea elementa mista constituunt, licet sint actu elementa, sunt in potentia ad ulteriorem formam, sic quod mistum fit vere unum: & pariter forma misti, accedit enti in potentia. In singulis praeterea minimis elementorum formam carnis esse dicere, non formidamus. Nec enim obstat, dari mistum uno constans elemento, si alijs elementis, ad mitionem necessarijs sit coniunctum. Nam sicut minus minimo, seiunctum non reperias, ita mistum uno constans elemento, per se secretum non monstrabis: Coniunctum autem, utrumque ponimus. Aristotelem quoque, aut oscitanter legunt, aut negligenter intelligunt, Primo enim de ortu & interitu, elementa, facultate, potentia, & virtute, manere adstruxit, quoniam calfaciunt, refrigerant, siccant, & vnum faciunt: actu verò manere negavit, non quoniam corrumpantur, (dixit enim ipse nec corrumpi, aut ambo aut alterum) Sed quoniam coercentur, & atterperantur: suumque ius amittunt: idque indicavit dicens, quod non permanent actu, uti corpus & albedo, neutrum enim horum

vini

vim alterius frangit. Sic sanè tertio caeli, capite tertio, in carne & ligno, ignem atque terram, non actu sed potentia dixit inesse. Quod enim elementa sint attemperata, & a misti forma coërcita, ut calfacere possit ignis, non urere, refrigerare aqua, non stupescere, potentia inesse appellat. Potentia autem, idest sic refracta manere probat, quoniam manifeste segregantur à mistis elementa, ergo mistis ea insunt. Nam quoniam ex elementis non segregantur mista, ob id nec actu, nec potentia, sunt mista in elementis. Si enim essent, aut integra, aut refracta, aut quomodolibet aliter, segregari quoque possent. E quis iam non videt, ex hoc loco convinci adversarios? Potentia enim inquit sunt elementa in mistis, quoniam à mistis segregantur, non quoniam generantur. Mista verò non sunt potentia in elementis: quoniam etiam si ex elementis generentur, non tamen separantur ex ipsis. Quis ergo ferat dicentem, quod uti compositio mistorum, facta est ex elementis corruptis secundum formas: Ita resolutio fit ipsdem regeneratis. An nos Aristotelis sensum referentes, aliquid aut addimus aut detrahimus? Is sanè ita scribit: Quod si id quod est dictum, est elementum, talia quaedam corporum esse necesse est: in carne enim ac ligno & similibus, inest ignis potentia, atque terra, manifeste enim ex illis haec segregantur. In igne autem caro, aut lignum, non inest, neque potentia, neque actu, si enim esset segregaretur. Similiter neque si unum quid solum sit, tale in illo est: neque enim si caro, aut os, aut quoduis ceterorum erit, inesse potentia continuo est dicendum: sed antea quisnam sit generationis modus est contemplandum. Et profecto si ista, quae contingunt attendimus, non modo in mistorum interitu, elementa ab ipsis segregari, sed etiam in misto ipso, adhuc vigente, diuersae partes, contrariorum temperamentorum, ex quibus id mistum constat, advertemus inesse. Quarum quaedam, separantur tempore, aliæ distillatione, lotionem, aut elixationem aliæ: raro enim aut nunquam reperias mistum, quod valde contrarijs, & separabilibus, non constet partibus & facultatibus, ob contraria, quae actu continet elementa. Vehementius iam nos urgeret, locus secundi de partibus animalium, ni scirent omnes, Gazam, alioqui oculatissimum interpretem, abstractum pro concreto, non recte vertisse. Graeca enim verba, calidum, frigidum, humidum, atque siccum sunt: non caliditas, frigiditas, humiditas, atque siccitas. Mibi sanè huiusmodi hominum de elementis, quae mistis insunt sententia, omni videtur non dico demonstratione, sed leui etiam probabilitate destituta: Nisi quis malit antiquorum sententias contorquere, naturae operibus imponere, & bonarum literarum praetextu aliquo, sophisticam agere. Agedum nulli sis opinioni addictus, omnem affectum exue, bonam indue mentem, plures deinde rationes, quae sparsae, apud bonos autores & Galenum leguntur expende: & manus per deos vincetas dabis, nisi lapis molaris es. Convincit sanè Galeni ratio, primo de elementis fateri, quod qualia in uniuerso, elementa reperiantur, talia etiam, animalium corporibus insunt. Id suadet quoque, altera Galeni ratio, octavo libro de Placitis, Nam ex quatuor (inquit) elementis, plantarum & fructuum & seminum, tum ortus, tum nutritio existit: his vescuntur oves, boues, & caetera animalia: quae rursus hominibus

minibus alimento sunt. In omnibus igitur, reperitur elementorum substantia. Insuper in simplicissimis mistis, qualia sunt metalla, gemmae, sales, bitumina, plantae, nemo negauerit elementa seruari: gleba enim, lapis, ferrum, bitumen, terrae substantiam manifestissime habent. Adderunt igitur & reliqua tria, nisi velis quaedam elementa corrumpi, & quaedam tantum manere. Vterius aut calida elementa ex quibus mistum concreuit, superant frigida, aut superantur, aut aequis viribus certant. Si primum, non corrumpuntur calida: si secundum, non corrumpuntur frigida: si vltimum seruantur vtraque incorrupta. In euphorbio insuper & in pyretro, mistis calidissimis, vbi valde superat ignis elementum, qui fieri potuit, vt ignis ipse a coeuntibus elementis corrumpatur? Ratio praeterea mistionis, & diffinitio elementi subuenterentur, nisi formae elementorum, manerent in mistis. Mistio enim, est vnio miscibilium alteratorum, non autem corruptorum. Elementum vero, est id ex quo aliquid fit, cum insit. Quo modo autem inierit, si formam suam amisit? Ex solis praeterea aqua & igne inuicem attemperatis, possent mixta perfecta generari. Quatuor enim qualitates primas, habent haec duo elementa, quae frangi hac aut illa ratione possunt, & in temperaturam huic aut illi mixto opportunam transire materia autem prima, eiusdem rationis, subest omnium elementorum formis. Ergo si formae elementorum quatuor, non requiruntur ad generationem misti, duo illa elementa sufficient. Quin & in materia vnus cuiuslibet elementi, induci poterit forma mixti, si ab alijs elementis, aut a caelo & stellis, refrangantur eius qualitates. Neque enim deest materia, quoniam eadem est vnus atque omnium, nec qualitates quoniam per alterationem producantur. Ergo formis substantialibus est opus, si quatuor elementorum mixtio, ad misti constitutionem est necessaria. Praeterea manifestam, elementorum a mistis separationem, & leuiore alias autorum rationes. Libero enim animo dictae sufficiunt, adducto autem alteri sectae, nec si plura addantur erunt satis.

Caput decimum octauum, quam dispositionem & necessariam vtilitatem, praestent elementorum corpora, & qualitates, mistis corporibus quae ex ipsis componuntur.



Ed quorsum indiguit natura, ad mistorum generationem, qualitatibus elementorum, aut ipsorum substantijs? sufficeret enim forma misti, cum prima atque communi omnium materia, sicut elementis ipsis, sua forma suffecit. Si enim haec duo adesset, nihil aliud requirere, oportuisset. Nec enim dicere poteris, elementorum corpora, & qualitates: fuisse necessarias, ad generationem formae misti: nam cum haec, sit elementis perfectior, ab illis nunquam prodibit, nisi quidpiam ultra suae perfectionis gradum agere existimes. Cui sane dubitationi dicendum est, quod quauis elementa,

ob

ob minorem perfectionem, non possint attingere formas mistorum, sunt tamen necessariae dispositiones, ad introductionem ipsarum, quibus praesentibus de gremio, atque potentia materiae eruuntur, aut operante caelo, aut natura (quae Dei lex est & pactum) id efficiente. Qualis autem sit eiusmodi dispositio, quam elementorum qualitates & corpora praestant? Dicimus quod calor qualitas est efficacissima, & quae reliquarum est forma, separat etherogenea, & congregat quae vnus naturae sunt, suisque locis disponit omnia. Tres vero reliquae, quauis minori constent efficacia, necessariae quoque sunt: frigus enim calorem temperat, ne vrat, & omnium elementorum massam constipat, cogit, & diutius perseuerare facit, & calorem suapte sponte diffluentem & mobilem, cogit, vnit, atque roborat. Humiditas calori, frigori, atque siccitati est vtilis. Caloris enim est pabulum, quem etiam obtundit, suauem, & minimè mordacem reddit: Frigiditatem vero, crassiore facit, & minus penetrantem: Siccitati quoque subigendae est vtilis, per eam enim, formam, & variam prout opus est terminationem suscipit. Siccitas item, nec ipsa caret vtu, humiditatem enim continet, & in vnu cogit ne diffluat, & calorem ad quasdam operationes, velut lima quaedam exacuit: Frigiditatem etiam ad retentiones, reddit constipatiorem, & magis tenacem. Habent quoque, ipsa elementorum corpora, suos vsus: Ignis enim reliquorum trium, est veluti forma, & plastes quidam ac fictor, qui ex tribus reliquis, ceu ex materia quam tractat, varia effingit corpora: permiscet enim, maturat, attenuat, & leuitatem praestat, reliquisque permiscetur, vt ipsum quoque, fingens, fictionem admittat. Aer massam terrae & aquae, tenuitate sua fermentat, & spongiformem reddit, vt ignis vis, quam etiam humiditate sua temperat, per ipsam vndique meare sit potis. Facitque terram & aquam, quibus permiscetur, pinguiorem & aeream, ita vt quauis igni, sua natura contraria sint, eius beneficio ignis pabulum fiant. Habetque hoc elementum, efficaciam & vim formatoris, minorem quam ignis, & maiorem quam reliqua duo elementa. Terra enim, est omnium mistorum perfectorum materia, nam quae in sublimi sine terra fiunt, perfecta non sunt, nec sine ipsa, constata esse queunt. Aqua autem terrae miscetur, vt terrae partes inuicem possint cohaerere: Est enim sine aqua, praesiccitate friabilis: Siccum namque atque humidum, terrae & aquae cum permiscetur, mutuuum beneficium accipiunt, siccum quidem ab humido, vt facile tendi & figurari possit, humidum vero a sicco, vt figuram impressam retineat. Vnde Aristoteles, quarto libro Meteororum, capite quarto, Humidum arido (inquit) vt definiatur causa est, & alterutrum alteri glutinis instar existit, id quod Empedocles etiam in naturalibus asseruit, farinam aqua conglutinans. Quibus conuenit, sacrae paginae lectio, quae hominem de limo terrae formatum esse testatur. Nam quamuis ignem etiam & aërem, admiserit dominus, ad compositionem hominis, solius terrae & aquae, luti nomine meminit: quoniam maior est materiae partem, haec duo elementa praestant. Efficaciam vero, nihil aliud, quam domini voluntas, in prima illa creatione fuit operata. Hinc quoque, natam esse puto, eorum opinionem, qui crediderunt, primos homines, terrae fertilitate maxima prodixisse, vt hodie quoque.

Liber

quoque plantarum genus omne, & exanguium animalium nonnulla gignuntur. Terre enim ubertas, præter glebam, reliqua tria requirit elementa, nam dum aratro profcinditur, aërem concipit: dum pluit, aquam: ex sole quoque ad ipsam refracto, ignis gignitur. Quæ cum tempestiue fieri non desinunt, ingens tum tritici, tum etiam aliarum plantarum, fit in terra prouentus, sicut penuria & fames, in ipsorum deffectu. Sic quauis animantia omnibus constant elementis, in terra & aqua solum sunt, in aëre autem & igne minimè: propterea quod terra & aqua, corporum materies existunt, ut scribit Aristoteles quarto libro Metheororum capite citato. Hinc Auicenna prima primi, de elementis edisserens, & omnium elementorum usum explicans: Duo elementa grauias, tradit magis iuuare ad generationem membrorum (supplè & humorum) atq; ad ipsorum quietem: sicut & duo leuia ad generationem, & motu spirituum, & ad mouenda membra. Quauis enim sola anima, actionum, motionum que omnium nostrarum, sit autor: his tamè elementis opus habuit, cùm disponentibus materiã, tum ad animæ superuentum, tum ad operationem: Ex ipsorumque varia mensura, & commistione, omnia quæ in nostro corpore sunt, continentia, contenta, & impotentia consurgunt. Nec tamen hic quispiam intelligat, elementa rudia, & exigua quandam mutationem perpeffa, ad nostri corporis generationem sufficere. Id enim à veritate & Galeno valde est alienum, nam primo de elementis, & octauo libro de Placitis ita scribit: Non enim eo modo fiunt corpora ex elementis, ac si dicas, ex terra aqua inperfa, soleq; excalfacta, continuo generare animal asserentes, sed multis interuenientibus mutationibus. Ex quatuor siquidem elementis, plantarum ortus & fructuum, & seminum existit. Quæ omnia postea ouibus, suibus, capris, bobus, reliquisq; animalibus, quæ vel herbis, vel arborum fructibus, vel ramis, vel radicibus vescuntur, alimentum præstant. At hominibus, ipsa hæc animalia nutrimento sunt. Ex quibus quidem cibus, sanguis in ipsis gignitur, & pituita, & gemminæ biles. Sed sanguis plurimus, vnde solus ex omnibus, in venis apparet, alia pauciora creantur. Atque hic sanguis, est nostre generationis, quasi materia, qui ex quatuor quidem humoribus constat: à dominio tamen ita appellatur gignimur quippe ex ipso, dum in vtero concipimur, primanque formationem adipiscimur, æditiq; in lucem, deinceps formatorum membrorum distinctam explicationem, incrementum, & perfectionem, inde accipimus. Ac principio lactè educamur, ex sanguine ortum habente, deinde iisdem quibus adulti, cibus vescimur, vnde rursus sanguis, & pituita, & flaua, & atra bilis generatur. Hæc Galenus, quibus conficitur, quod quauis ex naturæ elementis primis constemus, ut reliqua corpora: ex ijs non rudibus, sed cicuratis, & multiplici opera elaboratis constamus: ob idque verius, & ad Medicos usus accomodatius, ex secundis nos constare elementis, sanguine nimirum, pituita, & bile vtraque: quam ex primis igne, aëre, aqua & terra dicemus. Illa enim integra atq; secreta, in nostris corporibus sunt, ex quibus immediatè generamur & nutrimur: non autem igne, aut aqua, quæ ob multiplices mutationes, & mistorum formas quas receperunt, sub humorum

formis

formis delitescunt. Ob idq; non ægotamus, ex ignis aut aquæ elemento exorbitate, sed ob sanguinem, pituitam, bilem flauam, aut atram immoderatis, ut libro primo de Natura humana, scribit Hyppocrates. Quare quæ Plato tradidit de elementis, rectius de humoribus ea tradi debere, eodè octauo libro de Placitis docuit Galenus. Hic tamen aduertere expedit, quod non eodem modo, sed diuerso admodum, ex humoribus constamus, ac humores ex elementis. In humoribus enim, & in mistis omnibus, seruantur elementa incorrupta: attemperata tamen & coërcita, ac formæ misti parètia, quoniam omnibus mistis materiam exhibent, communè & necessariã, ex qua cuncta componantur. Humores verò, dum in membrorum nostri corporis substantiam vertuntur, non manent sed corrumpuntur, gignitur quæ caro, os, aut neruus ex ipsis corruptis, manentibus primis, communibus, & necessarijs elementis. Quorsum ergo prima illa elementa, dicuntur Galeno manere potestate, non actu? Secunda verò actu manere? & verius hominis corpus, ex secundis constare quam ex primis? Dicendum ut supra monuimus, quod prima elementa dicuntur, non manere actu, quoniam suo iure vtentia non manent: ignis enim non vrit, nec terra congellat, sed vtraque formæ misti deseruiunt, & eius motibus parent. Potestate vero manent, quoniam suum ius aliquando resument, in misti nempe dissolutione. Secunda autem elementa, actu manent: non in membrorum, sed totius corporis compositione: quæ ex continentibus, contentis & impotentibus fit. Contenta autem sunt humores, qui in venis actu habentur, ex quorum commoderatione & debita inter se mensura, magna salubritatis aut insalubritatis pars pendet. Non enim tantum ex igneo elemento exorbitante, quantum ex bile causus pendet, atq; tertiana: & ita in reliquis humoribus, de quibus iam nunc agere decreuimus.

¶ Explicit Liber de Elementis.

D De

SExcupla hominis compositio, notatur in praefatione.
 Quomodo priuatio rerū naturalium principium sit statuendum. *ibidem.*
 Elementi diffinitiones expēdūtur. *cap. 1.*
 An minima elementorum, sint minima naturalia, an minima ad sensum. *ibidem.*
 Quo modo Medicus est artifex sensualis: si minima naturalia, quae sensum fugiūt considerat. *ibidem.*
 An elementa, sint plura vno secundum formam. *cap. 2.*
 Cur ex elementis insensibilibus, gigni potest sensibile corpus, & ex impatibilibus, non potest gigni patibile. *cap. 3.*
 Quod calidum, frigidū, humidū, & siccū, sincera sint rerum elementa. *cap. 4.*
 An ignis sphaera, sit statuenda. *cap. 5.*
 Tres locandi elementa rationes traduntur. *cap. 6.*
 Quod terra, iuxta partem habitabile, non mergatur, ob aëre interclusum. *ibidem.*
 An violentum, possit esse perpetuū. *ibidem.*
 An praeter motum violentum & naturalem, addendus sit motus praeternaturalis, aut supra naturam. *ibidem.*
 An elementa in suis sphaeris grauia aut le-

uia sint. *cap. 7.*
 An binæ elementorum qualitates, sint summae, an vna ipsarum, sit summa ceterior. *cap. 8.*
 An aquae, potius conueniat frigus, quam humor. *cap. 9.*
 An aqua, sit aëre humidior. *cap. 10.*
 An aër, perpetuo exiccet corpora nostra. *ibidem.*
 An aër, sit calidus an frigidus. *cap. 11.*
 Quibus gradibus, & cur, contrariae qualitates, in eadem substantia cohabitare queant. *cap. 12.*
 Quod elementa, non reperiatur sincera, vt seruari possit vniuersum. *cap. 13.*
 Cur aqua, frigiditate vincitur ab opio. Et terra, vincitur grauitate à plumbo. *ibidem.*
 An omnis actio, sit reciproca. *cap. 14.*
 An antiparistasis, de medio sit tollenda. *ibidem.*
 An primae qualitates elementorum, sint eorundem formae substantiales. *cap. 15.*
 An elementorum formae substantiales, manent in mistis. *cap. 16. & 17.*
 Quid vniquodq; elementū, praestet misto ex ipsis composito. *cap. 18.*

¶ Dum haec vero, praecipue inquiruntur, multa alia, per transcursum, ingenti vtilitate tradita, reperies.

Caput primum, an ex quatuor humoribus constemus & nutriamur, an vero solo sanguine.



Orpus nostrum perfectum cum sit, non ex rudi, atq; elemētari (vt cetera) constat materia: sed expolita atq; elaborata magis: esculēta enim atq; poculenta, ex quatuor mundi elementis orta, oris primo confectionē, & cū salua misionem perpetiūtur. Haec deglutita, ventriculi & adiacentiū membrorum beneficio, in albū succū (chylum appellatum) vertūtur. Nā cum natura, ad animalium formationem, varios meatus cōstruxerit, quibus alimentū in singula mēbra perferatur: opus fuit, id quod per illas vias, ad nutriendū transmittitur, humidum esse & fluens, autore Arist. 2. lib. de partibus animalium, cap. 2. & 3. Ob idq; chylum huiusmodi, in pthysanae formā praeparauit, qui rursus per meseraicas abies, in rudē vertitur sanguinē, id est sanguineam massam appellatā: & ad iecur delatus, integrā confectionem subit: ex qua consurgūt sanguis, pituita, & vtraq; bilis: Quae certa inter se mistura tēperata, per vasa corporis ad eius nutritionē ferūtur. Ex quibus mox vtero cōceptis, accedēte seminis virtute, corpus nostrum primam generationem sortitur: & eisdem per vniuersae vitae cursum alitur. Eos enim qui nutri, e nequeūt, siue innaturales, siue naturales sint, vt bilis quae est in felle, & atter succus, qui est in splene, minus proprie humores appellaueris: siquidem nō sunt secunda elementa, humanae constitutionis: nec materia restauratio- nis, eius quod dissoluitur. Quāquā etiam hic, iam est orta discordia, Aristoteli ex solo sanguine nos & ali, & esse genitos: Hippocrati vero ex semine & quatuor humoribus asseuerantibus. Non possumus autē, eque in his ostendere veritatem, sicut in primis elementis: nā sermo vtriusq; habet probabilitatē. Libro sane, 4. de partibus animalium, cap. 2. & 4. & 1. de generatione animalium, cap. 18. & 2. de partibus animalium, cap. 3. Arist. ex solo sanguine, corpus nostrū, & ortum fuisse, & alimoniam capere putat. Nā sicut sanguis mensalis, fuit generationis nostrae primordiu: ita sanguinē natura, in venis studiose seruat, nutrimenti gratia. Nā & pituita (cui nullū peculiare conceptaculū natura cōstituit) initiatus quidā sanguis est: flauā vero atq; attrā bilē, ad vesicā felleā, & lienem, iecur eructat, nō custodit, neq; per venas aliquid eius trāsmittit, quoniā alitioni opportuna nō erant futura. Eorū item quae eadē specie continētur, naturalis locus est idē: non enim diuersus locus est, vniuersae telluris & glebae: si ergo melancholicus succus in lienē, & biliosus in fel refunditur, in venas nō nisi violēter mouebūtur. Adhaec ex cibis & potibus, quae ore cōparamus nutriamur, haec autē non aliter nutriunt, quā in sanguinē conuersa. Argumēto est, quod si plura insumuntur, copiosus est sanguinis prouentus, exiguus si pauciora, calidus si calida, frigidus si frigida. Solus ergo sanguis est qui nutrit, ex quo etiā solo constamus. Adde ex 2. de partibus animalium, cap. 6. quod ossa quae minus sanguine ali vidētur, sanguine alūtur.

medulla enim (inquit) natura quaedam sanguinis est. Patet hoc experimento, quo cer-
nimus, in recēs natis animantibus, medullā sanguineā, qualem nō haberent, nisi à san-
guine fouerentur. Quarto rursus de generatione animalium, cap. 8. libro de longitudine
& breuitate vitæ, & lib. de sensu & sensili, & Gal. 4. de simp. med. fac. & 1. de fa-
cultatibus alimentorum, vnanimiter fatetur, nihil nisi dulce sit nutrire: pituita vero
insipida est, bilis amara, melancholia accida: solusque sanguis dulcissimus, & maxime
coctus euasit, ergo is solus corporis nutritioni præest. Vltimus præterea in superpur-
gationibus educitur sanguis, 3. simp. autore Gal: Ergo nutrimenti gratia solus à natu-
ra seruatur. Ad hæc sana habentes corpora, difficile ferūt medicationes, nā pharmacū,
nō reperiēs humorē expurgandū, sanguinē colliquat, & carnes, vt inde familiare edu-
cat, vt 2. Aphor. sententia 37. scribit Gal: Ergo in corporibus integre sanorū, nō re-
peries alios humores à sanguine. Secundo præterea libro de nat. fac. Gal, Sanguinem
ex mediocri calore nasci docet, reliquos succos ex immodico: idque probat ex naturis,
ætatibus, vitæ generibus, tēpore, regione, celi statu. Ergo in corpore temperato, vbi
nulla subest caloris intēperātia, nō alter a sanguine gignetur succus. Hyppocrates au-
tem, ortū nostrum & nutritionē, ex semine & quatuor humoribus, iūsta mensura cō-
mistis, fieri tradit. De semine sanē tractatio, & quod nō solū efficientiā, vt Aristote-
les censet, sed etiā materiā præbeat animalium generationi, locum alterū postulare vi-
detur. Ad hunc enim, de solis humoribus contēplatio, opportuna est: In qua Hyppo-
crates ad ostēdendū, quod duæ biles, sanguini semper cōmiscēantur, & ruffa & attra-
& tertia præter illas pituita: ea quæ secundū naturā, & in ætatibus, & tēporibus an-
nuis apparēt, suo sermone trāsēgit, Si enim dederis (inquit) homini medicinā quæ bilē
ducit, euomet tibi bilē. Et si (inquit) aliquā ipsius corporis partē percuseris, ex quo ic-
tu sequatur vlcus, fluet ab eo sanguis. Et hæc (inquit) tibi fient, noctu & interdū,
hyeme, & æstate. Ad ostēdendū autē, quod omnes hominis partes, ex quatuor genit. e-
sint, & nutriātur: hæc inquit, Primū quidē perspicuo apparet homo, hæc omnia in se-
ipso habēs, donec vixerit. Deinde genitus est ex homine, qui hæc omnia habet, & e-
nutritus est in femina, quæ hæc omnia habet. Verisimile præterea (inquit) est, si ex so-
lo sanguine cōstaret homo, eoq; solo nutrireretur, aliquod esse anni tēpus quo solus san-
guis, in eo inesse appareret: quoniā vero nullū tēpus est, in quo geminæ biles, & pitui-
ta nō visantur: certius creditur omnibus quatuor constare, totidēq; hominē nutriri.
Cur præterea animā egerint, qui in superfluis purgationibus, aut bilē, aut pituitam,
præter modū vomere sunt cōspicati: si neq; his genitū corpus est, neq; nutrimentū assu-
mit, difficile est reddere, ne dicam impossibile. Validissimum præterea est Galeni ar-
gumentum, primo libro de elementis, ex membrorum varietate desumptum: Simila-
ris siquidem est, & caro & neruus, sed caro quidem sanguinea est, & calida, & ex to-
to mollis: neruus vero cōtrario modo se habet, exanguis, durus, ac frigidus existens:
non tamen aut illa mollis & calida integre est, neque neruus durus ac frigidus, sed
sanguis quidē, carne mollior est atq; calidior, os vero neruo frigidius ac siccius. Sic &
qualibet alia particula, altera altera, hæc quidē frigidior est, atq; calidior, hæc vero
mollior,

“ mollior illa durior. Nunquid igitur omnes ex eadem materia sunt genitæ? an potius
“ natura, optimus opifex existēs, quo primū tēpore ex sanguine matris, in vterū immif-
“ so, gignebat atq; affirmabat fœtum: ad corporū quidē durorum structurā, partē eius
“ crassiorē attrahēbat, ad molliorū verò humidiorē, sic & calidiorē, ad partium cali-
“ diorum, & frigidiorē ad partium frigidiorū generationem? mihi videtur quidē, hoc
“ longē magis nature consentaneū, & quod statim ab initio formatus sit hoc modo con-
“ ceptus: & quod in sequenti tēpore omni, alimentum, atq; augmentū, pars vnaquæq;
“ ex propria materia suscepit. Sic sanē lib. 5. Aphor. com. 39. simili alimento, quā-
“ libet partē nutriri, dixit Gal: Ossa medulla: hepar sanguine: pulmo spumeo quodā hu-
“ more: cartilagines, & articularum compages, humore glutinoso: testes, semine: caro
“ quæ sub lingua est, saliuāli quodā liquore: mamma lactē: vētriculus chylo: & reliqua
“ membra, tale etiam nutrimentum requirunt, quale cuiusq; natura postulat: Frigida
“ frigidum, calida calidum, & biliosa biliosum, sicut & pituitosa pituitosum. Quatuor
“ enim humores, cum per se à iecore prodeant, non nisi diuersarum partium nutrienda-
“ rum gratia, institutos esse, cū Galeno atq; Hyppocrate, credere possumus. Nam nec
“ pro Aristotele rationes plurimum vrgent. Sanguis enim tū mensalis, tum etiā qui
“ in venis à natura custoditur, nō est vtriusq; bilis, atq; pituitæ expers, etiam si primo
“ obtutu simplex appareat. Vnum enim quodā videtur lac, sicuti & sanguis: docet au-
“ tem ratio, quod non sit vnum. Pars enim vna lactis, est maxime serosa & tenuis, al-
“ tera autem maxime casealis, & crassa: hæc vero donec inuicem contēperatæ manēt,
“ medium lac reddunt, inter caseum & serū: postquā vero sunt separatæ, propriam for-
“ mam ostendunt, & lactis naturā indicant, quod non sit exquisitissimè vnum: sed ex
“ contrarijs & differētibus constitutū. Sicut igitur in lacte, pars quidē vna serum est,
“ altera vero caseus: ita in sanguine, altera quidem veluti liquor sanguinis, sero lactis
“ proportionē respondēs: altera verò veluti lutū, & fex, caseo proportionalis. Et qui-
“ dem quaedā veluti fila, quæ sanguini insunt, licet manifestè videre, quibus ablatis san-
“ guis nō concrefcit. Quin à filis sanguis separatus, colore differt atq; substātia, quidā
“ enim abunde rubeus videtur, quidā hoc magis flauescit, quidā plus nigricat, quidam
“ veluti albedinē, in superficie representat, & nonnunquā liuidus apparet totus, & per
“ Iouē sæpius nigro proximus est, ac si esset purpura plena. Quare nō est sanguis exqui-
“ sitè vnū, nam omnium (vt opinor) & animalium & hominum semper similis esset, si
“ verè vnū esset: at nonnunquā in eo superabundat, crassus ac niger humor, adeo quod
“ totius corporis colorem nigriorē reddit, & cicatrices facit nigricare, atq; in cruribus
“ venas varicosas, simul cū liuenti colore constituit, aliquando autem exsuperat fla-
“ uus, quemadmodum & hoc ex capillis, & totius corporis colore licet perspicere, nec
“ non ex vomitionibus, & deiectionibus. Nonnunquā vero rubeus, vel albus, quæad-
“ modū ex coloribus totius corporis, & capillis, & vomitionibus, & deiectionibus ap-
“ paret. Et si etiā venas secueris, hominum qui adhuc sanitate fruūtur, ex eorum ali-
“ quo fluet sanguis flauus, ex aliquo rubidus, ex aliquo nigrior, & ex aliquo albior.

quare iecur vtramq; bilem eructans, in felleam vesicam & lienem, non deponit vniuersam, sed redundantem. Sic etiam non modo sanguis augetur, aut minuitur, ex copia aut inopia ciborum qui ingeruntur, sed reliqui etiam humores secum misti, augmentum atq; decrementum, eadem ratione suscipiunt. Medullam praeterea ex sanguine, & eo attrahibiliari, ortum ducere non negamus. Omne insuper alimentum, dulcedinis debere esse participem fatemur. Dulcissimum autem quale est sanguis, Alterius saporis condimento eget, alioqui & offendit, & occisime creat fastidium. Reliqui igitur succi, sanguinem condiunt, ita ut ex vtrisq;, selectissimum consurgat alimentum. In superpurgationibus vero, ultimo educitur sanguis, quoniam maximè retinetur: reliqui humores vero, ante ipsum vacuantur, quoniam retinentur minus, ceu minus familiares. Eatenus enim vniquodq;, magis aut minus retinetur: quatenus corpori aledo, est magis aut minus opportunum. Sana praeterea habentes corpora, difficile ferunt medicationes: quoniam pharmacum, non reperiens humorem peccatum expurgandum, sanguinem (id est sanguineam massam) debita ratione temperatam, & carnes quae ex eadem massa concreuerunt colliquat, ut inde quod familiare est eliciat: biliosum si cholagogum est pharmacum, & pituitosum, si phlegmagogum. Quod vero Galenus dixit, sanguinem ex mediocri calore nasci, reliquos succos ex immodico, intelligatur de redundantia: scilicet quod redundantia bilis ab immodico fit calore, pituita à frigore, sanguinis vero à temperato: citra redundantiam enim, omnis humor, ab omni generatur calore, siue modico siue immodico. Nam si alimentum quodcunq;, ex quatuor elementis concreuit, ab vno & eodem iecoris calore, diuersorum in diuersa fiet commutatio. Accedit quod docti quidam nostri temporis medici, Aristotelis sententiam, cum Hippocratica, ita coherere existimant: quod cum sanguinem asserit esse vltimum alimentum, de sanguine qualis per venas fertur, commistus intelligit. Primo quoniam dicit, eum in venis tanquam in proprijs vasis contineri. Secundo, quoniam pituitam (etiam citra sanguinem) posse nutrire fatetur primo libro de generatione animalium capite decimo octauo: Vbi pituita (inquit) alimenti utilis excrementum est. Cuius rei inditium est, quod permistum cum cibo puro alere potest. Tertium, quoniam si vtramque bilem & pituitam, excrementa appellat, tertio libro de hystoria animalium capite secundo & alibi, de bile flaua, quae ad folliculum felis secedit: & de atra, quae tendit ad splenem: sicut etiam de pituita, quae sanguini mista non fertur per venas: facile interpretari potest & debet. Ego vero superfluum laborem insummi existimo, in conciliandis autoribus, qui nolluerunt de industria esse concordēs. Hippocrates sanè primo libro de natura humana, inuehitur aduersus antiquorum quorundam opinionem, qui praeter sanguinem, nullum alium humorem posuerunt: ex quo aut gignamur, aut nutriamur. Hanc Aristoteles postea colluisse videtur, nam bilem cum sanguine, ad cor propterea perducere negat, quod eius acrimoniam perferre cor nequeat. Non ergo apud ipsum, bilis per vasa fertur, nec nutrire est apta. Nec pituitam nutrire censuit, primo de generatione animalium, sed eam, excrementum

utilis

utilis alimenti appellauit, quoniam in sanguinem commutari, & ulterius coqui potest.

CAPVT secundum, de Humiditatibus, quae Secundae appellantur.



OR P V S nostrum, ex quatuor humoribus, certa ratione temperatis, & ali & generari diximus: An vero aliquibus humiditatibus intercedentibus, vel nullius interuentu nutritio fiat, est dubium. Nam Aristoteles secundo libro de Partibus animalium, capite tertio & quarto, & libro de Somno & Vigilia, & de Iuuetute & Senectute, sanguinem, vltimum alimentum esse fatetur, nullius igitur interuentu alit. Id quod ratio pariter videtur suadere, nam eadem est generationis & nutritionis materia, secundo de Semine Autore Galeno, ex mensali autem sanguine generamur primo, ergo ex sanguine ad vltimum nutriemur. Id praeterea in nutritione carnis, videtur sensisse Galenus, primo libro de Facultatibus naturalibus, vbi ita scribit. Si eatenus naturae opera, crassescat sanguis, ut constantem substantiam habeat, nec etiam sit fluidus, prima & recens concreta caro iam existet. Quibus verbis patet, sola consistentiae mutatione, sanguinem in carnem, apud Galenum decedere.

Sed contra est veritas, nam cum solidi membri substantia, crassa sit & alba, sanguis vero fluidus, tenuis, atq; ruber: nunquam nisi mutationes aliquae interiaceant, in membrum commutabitur sanguis, sed vertetur prius, in humiditatem quandam, crassiore, & albicantem, quae roris modo, per singula membra sparsa enutriet ipsa, & in cuiusq; membri substantiam, commutabitur. Hinc Auicena, in Prima primi libri, quatuor statuit humiditates post sanguinem, Primam innominatam, in extremitatibus paruarum venarum contentam. Secundam ros, omnibus membris simplicibus sparsus: Tertiam cambium nominarunt, à similitudine eius, in quo vnum pro alio redditur: Est enim alimentum vbi primam concretionem, aut congelationem in membrum, fuit assequutum. Quartam gluten, & est humor intus in membris simplicibus, à principio natiuitatis complantatus, per quem partium eorum continuitas existit, & eius principium est ex spermate. Has humiditates, ex Galeno mutuatus est Auicenas, septimo namq; libro Methodi, post principium, quatuor ponit, in nostro corpore siccitates, aliunde quam à sanguinis defectu natas: Totidem ergo erunt, humiditates contrariae, praeter sanguinem, corpus nostrum substantifice humectantes. Sunt autem Galeni verba quae sequuntur. Est autem prorsus consummata siccitas, vbi solida similarum partium substantia, reddita est siccior. Nam est & altera siccitas vtiq; cum ea, quorum substantia ex humore concreto constat, sicut caro & adeps sunt liquata. Etiam tertia cum propria humiditas vnde partes nutriuntur, omnino est absumpta, continetur ea, in omnibus animalis partibus, ceu ros quidam, per eas sparsus, de qua dictum alibi sepe est. Hanc igitur inferre particulis, sine nutrimento

D 4 non est,

non est, ideoque difficillima est, omnium eiusmodi affectuum curatio. Diuersa ab ijs siccitas est, quem proprijs cuiusque particule, exilibus arterijs, venisque consistit. Prouenit & hæc ex sanguinis penuria. Quibus verbis Galenus, quatuor siccitatis differentias memorat: & ipsis prorsus contrarias humiditates, recensuit Auicennas, inuerso ordine: Nam siccitatum vltimæ, contraria est humiditas prima: tertiæ, secunda: secundæ, tertiæ: & primæ, vltima. Est ergo prima humiditas, humor qui in proprijs, cuiusque particule, exilibus arterijs, venisque continetur: ex sanguine inibi cõcocto, ortum ducens: Ob idque quibus multum sanguinis inest, ijs vberimus fit, huius humoris prouentus: quibus verò sanguinis penuria adest, eiusdem defectus: nõ quod sanguis sit. (vt quidam) credunt, sed quoniam ex sanguine ducitur. Secunda fit ex prima, quæ a vasis in vris modum excidens, omnes animantis partes perfundit, & earum fit appositissimum alimentum. Hanc licet intueri, vbi quispiam aut se scalpens, aut quid aliud agens, cuticulam corporis deradit, & membrum aliquod leuiter exulcerat. Tunc enim rorem, subito manantem videbit, præsertim si partem, aut comprimat, aut abstergat. Est hæc humiditas, pro ratione diuersitatis membrorum diuersa, & unicuique parti nutriendæ opportunissima. Pulmo enim roratur, spumeo quodam humore: cor solidiore atque crassiore: cerebrum, nerui, & cartilaginee glutinosiore: mammae lacteo: & reliqua simili modo. Suo enim peculiari rore, vnumquodque perfunditur, & nutritur. Tertia humiditas, carnis atque adipis, est pars humidior, & quæ non dum exacte cõcreuit: reliquam carnem, & adipem, humidam, teneram, & facile liquabilem, redens. Hanc si pinguedinem, aut carnem recens concretam appellaueris, a Galeno non discesseris. Huius sane tertiæ humiditatis, plurimum decidit, tum ad vesicam, tum ad intestina, per febres colliquantes: vbi & pinguedo, & recens concreta caro, caloris vehementia liquantur: & vrinas, & Alui recrementa, pingua reddunt. Quarta humiditas, est solidiorum substantificum, & primogenium humidum, quod solida ipsa præsens humectat, absens verò, reddit ea veluti senum, frigida atque sicca. Huius dissolutione, fiunt febres hecticæ, marasmodes appellatæ, quæ quanquam ex genere colliquantium sunt, decimo methodi ad finem autore Galeno: à colliquantibus ea ratione differunt, quod paucum & vaporis forma est, quod in ipsis liquatur. In colliquantibus verò multum, & pinguedini aut carni, in craticulis dissolutæ persimile. At vero vt ad id, quo digressi sumus, nostra regrediatur oratio, par est ex dictis colligere: nec sanguinem, nec humores alios à sanguine, immediate corpus nostrum nutrire, nisi intercedentibus, quibusdam mutationibus & formis, prima scilicet & secunda humiditate. Nam cum Aristoteles, vltimum alimentum dixit esse sanguinem, non de alimento, immediate alente, quoduis membrum, sed de communi, ad omnia membra mandato, intelligendus est: ad differentiam chyli, & pituitæ, quæ nõ nutriunt, nisi in sanguinem vertantur. Quare tantundem refert, sanguinem vltimum alimentum posuisse, ac si dixisset, nihil nutrire posse, nisi aut sanguis sit, aut ex sanguine ducat ortum. Nam tertio de historia Animalium, capite quinto, neruos dixit, & gigni & ali, ex humore albo,

glutino

glutino & mucori simili. Et secundo de Partibus, capite sexto, Ossa nutriuntur medulla, quoniam natura quedam sanguinis est. Et tertio de Partibus, capite decimo, rorem ponere videtur, his verbis, Extremis autem venarum interioribus, hæc necessario adiunguntur, vaporem enim prodire, eumque sanguineum necesse est: ex quo consistente, concrecenteque, viscerum corpus, contrahatur & coagmentetur. Mammæ præterea, lacte nutriri, non negauerit Aristoteles. Sicuti verò sanguine, immediate corpus ali non putamus, ita neque gigni: easdem enim perpeti mutationes, sanguinem mensalem in vtero, nihil est absoni. Si sanguis præterea, naturæ opera crassescat, & constantem substantiam accipiat, caro fit: secundo de Facultatibus naturalibus autore Galeno. Dum verò consistentiam mutat, naturam quoque & speciem mutare credimus, neque enim aliud voluit Galenus, nisi minori negotio opus esse, vt ex sanguine caro fiat, quam os aut neruus, aut quid aliud simile, credamus. Quod valde absorum non esse, dicemus alibi.

CAPVT tertium, an a Iecore, omnes prodeant humores.



P V D omnes, tum medicos, tum philosophos (vno dempto Aristotele, qui cordi omnia fere opera tribuit) tam est vulgatum, quod iecur, quatuor humores generet, vt nec id in dubio, vertat medici. Difficile tamen apparet. Nam iecur naturale agens est, nulla igitur tangitur cura, generandorum humorum, sed propriæ tantum nutritioni intendens, chylum in iecoris substantiam permutat, ignis atque reliquorum agentium naturalium more: quæ non nisi ignem, aut tale quippiam, quale ipsa sunt producunt. Secundo, nam iecur, sanguinem sibi similem, & congenerem creat: ab vnicò autem agente, vnica prodit operatio, & effectus vnus, idem enim, quatenus idem, semper est naturam efficere idem. Non igitur alter humor à sanguine, in iecoris confectione prodibit. Tertio nam venæ meseraicæ, vertunt chylum in sanguinem, quarto de Vsu partium capite primo: & venæ corporis, ex pituita sanguinem conficiunt: ob idque natura, nullum vas condidit quod pituitam purgaret, secundo de Facultatibus naturalibus ad finem, autore Galeno, non est ergo soli iocinori, tribuenda generatio humorum, & sanguificatio. Quarto, nam pituitam in vetriculo generari, tradit Galenus, primo libro de Natura humana, cõmentario quadragesimo, vbi ita scribit, Pituitæ natura, ad morum cultum nihil facit, sed in ciborum prima mutatione generari videtur. Et libro de Attrabile inquit, Porro à nobis demonstratum est, pituitosum humorem, ex pituitosis cibus, in prima, hoc est vetriculi confectione fieri, vti biliosum, & melancholicum, in iocinore. Et secundo libro de Vctu acutorum, trigessimò primo cõmentario, Pituitæ (inquit) generatio, in pituitosis edulij, sanguinem perpetuo antecedit: atque generatione ipsius mediæ, cibi in sanguinem transeunt. Neque

D 5 hoc,

hoc, deterioribus tantum cibus contingit, verum & quibusdam etiam eorum, qui salubres admodum esse videntur: ut pani, chondro, semidali. Non igitur, omnium quatuor humorum, autor est iecur. Adhuc morbos ex vitiatibus humoribus, ob vitium tertie coctionis, memorat Galenus, tertio libro de Symptomatum causis, capite primo, ergo non omnes humores, in secunda coctione prodeunt. Galeni verba sunt, Ad eundem modum, in tota quoque animalis mole, quae velut priuatio est, in crudis istis consistit succis: Quae tanquam deficiens est functio, in semicoctis: sicut praua in vitiosis hoc loco succis. Porro ex istis vitiosis succis, erysipelata, cancri, gangraenae, que nascuntur: praeterea phagedaenae, carbunculi, ulcera serpentia, alia que eiusmodi. Sed cum ad iecur, deferatur chylus ex ventriculo, & non humores quatuor: post iecur vero, in omnibus vasibus, reperitur sanguinis massa, ex omnibus quatuor humoribus constans: necessario sequitur, nec ante iecur in ventriculo, nec post iecur in vasibus, quatuor huiusmodi humores, sed in ipsomet iecore generari, ut vniuersa medicorum schola proclamant.

Neque obstant, quae in contrarium adducebantur, Nam iecur, propriae nutritioni incumbens, sanguineam massam generat: non ut reliquis partibus nutriendis, eam reddat accomodam (sic enim, non tam naturale esset organum, quam animal, quod ratione, menteque praeditum, quod melius est eligeret) sed ut tali alimento, quale ipsum est, alatur. Quare decuit, ut sanguineam massam (ex qua primo sui ortu concreuerat) conficiat, atque ex ea nutriatur, quod redundans est aut abiiciens, aut alijs membris permittens. Sic ventriculus, chylum sibi conficit, tertio libro de Facultatibus naturalibus ante finem. Sic vbera lac, & testes semen, sibi tantum parant, quinto libro Aphorismorum commentario trigesimo nono, autore Galeno. Quanquam huic sententiae, locus alter Galeni videatur aduersus, sexto libro de partium Usu, ante finem: ubi cordis ventriculus dexter, non sibi, sed pulmone, parat alimentum. Vniuersi enim cordis substantia, venis nutritur, a vena caua deriuatis, crassum sanguinem, & cordi similem ferentibus, non autem a sanguine, in dextro cordis ventre attenuato. Sunt autem Galeni verba, quae sequuntur, Quod verum corpus ipsius cordis, crassum erat ac densum, ciboque egebat crassiore, ob id sanguinem ducit, a vena caua, quo nutriatur, prius quam ad cor immiteret: eo enim cum peruenisset, calidus, tenuis, ac vaporosus, futurus erat. Qua in re, quod nonnullis videtur absurdum, maxime omnium, rationi congruere est putandum: ut cor scilicet pulmone praeparat alimentum, sibi autem ipsi minime. Ille enim, sanguinem postulabat tenuem, ac vaporosum, hoc autem nequaquam: cum enim ex se moueatur, corpus validum habere ipsum oportebat, & crassum, & densum: Pulmonem vero, ut qui a thorace moueatur, neque grauem neque densum, sed leuem ac rarum esse praestiterat. Cum autem quale est vnumquodque, tali ipsum nutriri alimento oporteat: iure optimo, cor quidem crasso, pulmone autem, vaporoso sanguine indiguit. Quae causa est, cur cor non alatur ex seipso, sed prius quam vena caua, dextro ipsius ventriculo inferatur, pars eius tanta, quanta maxime cordi nutriendo, satis sit seiuueta, circa cordis caput, extrinsecus obuoluitur, & in omnes ipsius partes dispergitur. Haec Galenus

que

quae manifesta, cum priori sententia, contradictionis exhibent phantasiam. Cui tamen nos respondemus, Quod cor, parat alimentum pulmone, non hoc, sed aliud intendens: nempe spirituum vitalium generationem, quam necesse est, antecedit sanguinis attenuatio. Sanguinem ergo attenuat cor, ut idoneam materiam, spiritibus sibi generandis faciat: ex qua assumit, quod sibi conueniens est, reliquum vero redundans, pulmone permittit. Sic ventriculus, chylum iocinori concedit, iecur sanguinem, cor spiritus vitales, & cerebrum animales, vniuerso corpori. Sic mammae remittunt lac infanti, & testes semen corpori glandoso, citra ullam horum membrorum prouidentiam. Nec obstat quod secundo loco dubitabatur: nam si omne alimentum, ex quatuor elementis concreuit, ab vno & eodem iecoris calore, in diuersa diuersorum fiet commutatio. Satius enim est humorum diuersitatem, diuersis alimenti partibus referre, quam difformitati iocinoris, ut quidam faciunt. Nam licet iecur, non esset vndique quae simile, ridiculum tamen est, eam in ipso difformitatem asserere, quae humorum diuersitati respondeat. Perinde enim, atque caelestis calor, vnus existens, ex dissimili materia, & ranas producit & pisces, in lacubus stagnantibus: ita iecoris calor, bilem vtriusque, ex impuriore parte chyli, & sanguinem ex puriore producit. Nectamē ob partium alimentum, quam diximus diuersitatem, necessarium putet quispiam esse, ex quocumque alimento, quatuor semper generari humores. Siquidem iuuenibus, potissimum si calidiori natura sint, ac vitam degant laboriosam, totum mel vertitur in flauam bilem, 2. lib. de naturalibus facultatibus ad medium, autore Galeno. Erit autem bilis ex melle genita, non vndiqueque similis, sed ex partibus calidioribus calidior, & ex frigidioribus minus calida. Nec obstat quod tertio adducitur, nam venae non sanguificant vi propria, sed facultate a iecore distributa, sexto libro de Placitis ante finem autore Galeno. Quare errat Vesalius, tertio libro de humani corporis fabrica, capite primo, & libro quinto, capite septimo, aduersus Galenum affirmans, venam non posse sanguificare, eo quod (inquit) in omni naturali partium nostri corporis concoctione, concoctum necessario sibi concoquentis colorem asciscit: venae autem albæ sunt: igitur in album, & non in rubicundum, commutabunt appositum alimentum. Sed inutilis est hominis ratio, quoniam si venae illae, dum sanguificant, agerent per ingentem virtutem: in album colorem, & non in rubicundum mutarent. At quoniam virtus qua agunt, a iecore manat, rationi est consentaneum, ut in rubicundum, & non in album, commutent chylum. Distribuitur vero a iecore vis sanguifica, non secus ac ab igne vis calefaciendi, & a quocumque agente naturali, vis agendi, intra propriam sphaeram actiuitatis, a iunioribus philosophis appellatam: sphaera enim actiuitatis iecoris, venae sunt. Sed quare cum omne agens naturale, in ambitum diffundat suam vim, iecur non vniuersum, & in ambitum, sed per venas, vim sanguificandi exporrigat, dubium est. Cui nos respondemus, quod si ea quae ambiunt naturale agens fuerint apta ad suscipiendam vim agentis: agēs vndique vim suam deriuauit, ut in igne nostro apparet, qui vim calefaciendi diffundit per aërem in ambitum. Si vero corpora, quae circumcirca agens sunt, non omnia

nia

nia, sed quaedam fuerint apta, ad suscipiendam actionem agentis, in corpora apta, tantum distributio fiet, minimè verò in inepta. Sic ignis in sua sphaera, aërem sibi conterminum calefacit, & exsiccat, cælum verò nulla afficit qualitate. Sic iecur ex sui natura, vim sanguificam undique distribuit: non suscipitur autem nisi in venis, nam septum transversum, ventriculus, & intestina, cæteraque conterminae partes, ineptae sunt ut facultatem sanguificandi suscipiant. Sic cor vim pulsatilem arterijs, cerebrum sensificam & motoriam nervis, & testes procreatricem solis vasis seminarijs transmittit. Exorta enim, ob similitudinem quam habent in substantia, cum suis principijs, aptissima sunt ut eorundem vires suscipiant.

Locus verò generationis pituitae, quod quarto dubitabatur, varie à varijs interpretatur, quorum sententias hic non recensebo, tum breuitati studens, tum ne aliena fortè detexens, mea videar commendasse. Ego sanè de pituitae generatione ita censeo. Alimenta ingesta, primam confectionem, atque mutationem in chylum, summunt in ventriculo: omnem autem alimenti mutationem, duplex sequitur excrementum, alterum crassius, alterum tenuius, autore Galeno, tertio Methodi post principium. Quare in ventriculi coctione, aliarum more, duplex excrementum resultabit, crassum alterum, atque feculentum, quod per alium prorsus expurgatur, ad nihil ulterius utile: alterum, vero tenue, quòd est accida, atque cruda quaedam pituita, quae non prorsus est inutilis. Pars enim ipsius ad iecur delata, magis cocta, & dulcis, atque naturalis redditur: atque hanc natura in venis seruat, nullumque ei condidit organum, quo à sanguine mundaretur: nam ulteriori coctione, per longiores praesertim medias, in probum sanguinem verti solet. Pars verò quae cruda manet, in ventriculo & intestinis, omnino inutilis cum sit, non alterari, sed vacuari postulabat, ut autem commodissime ac citissime vacuaretur, machinata est natura, reatum quendam, à vesica fellea, in ieiunum intestinum derivatum: per quod bilis delata, quandiu rectè ac naturaliter, animal se habet, pituitam omnem, sua detergendi quam habet facultate deradit. Cur autem meatus hic, non in ventriculum, sed in intestina feratur, & pulchra plura, huc spectantia, reperient studiosi, apud Galenum quinto de Usu partium, non longe à principio. Pituita ergo accida, cruda, & excrementosa, in ventriculo gignitur, est enim tenue excrementum chyli. Ex hac in iocinore, generatur pituita altera, cocta, dulcis aut insipida & naturalis, quae quartus est humor, secundo de Facult. natur. ad finem autore Galeno: quae tamè, verius dicetur, ulterior aut perfectio aut elaboratio, quam generatio. An vero generetur etià ex chylo pituita in iecore, sicut alij humores, si percontetur quispiam? Probabiliter existimamus, ex chylo apud Galenum, pituitam non generari. Primo, quoniam partes crude, ex quibus fit pituita, in ventriculo fuere separate. Secundo, quia in coctione quorūcūque succorū, duo tantū agnoscit excrementa Gal. 3. Meth. crassum, & tenue: & speciatim in sanguinis coctione, duo recēset (vini exemplo) florem scilicet, & fecem, secundo de Facult. nat. & quarto de Usu partium,

vbi

vbi nihil de pituita meminit. Quā non esset praetermissurus, si ex chylo generari fuisset arbitratus. Neque enim multum arridet, opinio quorundam, qui aqueas partes sanguinis, pituitam esse arbitrantur. Nam sicut bimestre vinum (inquunt) à fecibus & spuma iam expurgatum, gustatu subcrudum, austerum, & minime acre deprehenditur: quod crudis partibus, visum fugiētibus, perfussum sit, quas antiquitate vini calor, euincit & coquit: sic in sanguine, à quo vtraque bilis secreta iam est, crudus quidam humor confusus permiscetur, qui pituita appellatur. Quae tamen sententia non placet: Primo, quoniam serum est hoc, non pituita, quod in oleo absimitur in solatione, sale in iecto, aut frumēto circūcirca appposito, ut scribit Galenus secundo simplicium cap. 17. In vino vero, atque fere in omnibus succis, antiquitate euanescit: in sanguine autem à renibus & emulgentibus separatur, & etiam suapte sponte absimitur, sicut in alijs succis omnibus. Secundo, quoniam aqueum hoc recrementū, compositum est ex aërea essentia, & tenui serosa, secundo simplicium citato: quare tenuissimam habet substantiam, pituita vero crassissimā & frigidissimā. Tertio nam pituita, actione caloris in sanguinem migrat, serum vero hoc, non migrat in aliud, sed exoluitur. Hanc nostram de pituita sententiam, confirmāt omnia Galeni testimonia, superius allata, nam libro de natura humana, Mores animi sequi dixit, abundantiam vnius è tribus humoribus, in epate genitorum, non pituitae: haec enim in ventriculo prius genita, eatenus à natura seruatur, quatenus in ventriculo, & venis, ulterius alterata, dulcescit, & aut in sanguinem vertitur, aut sanguini fit maxime affinis. Quare mores animi non pituitae, sed sanguini sunt tribuendae. Satius enim est, sicut litera iacet, Galenū interpretari, quā ad rationis leuitatem & ad nescio quae verbo phantasia quod quidam faciūt, recurrere. Libro quoque de atra bile, pituitosum humorem in ventriculo generari: Sicut biliosum & melancholicum in iocinore dixit. Nam uti iecur sanguinem conficiens, duo exerit excrementa, bilem, & melancholicum succum: ita ventriculus in chyli confectione, superuacua pariter exerit duo, pituitam & feces. Libro praeterea secundo de Vitu acutorum, media pituitae generatione, cibi in sanguinem transeunt: est enim pituita, media inter cibos & sanguinem, non ut quidam putant, inter chylum & sanguinem. Nec obstat, quod libro de atra bile, & secundo libro de vitu acutorum, particularem tantum sententiam, tulerit Galenus, de pituitosis cibis. Primo quoniam maior copia & euidentior, ex pituitosis, quā ex alijs cibis gignitur: & ob id euidentiori, videtur usus exemplo Galen. is. Secundo, quoniam aperte subdit, Non modo pituitosis cibis id contingere, verum & quibusdam etiam eorū, qui salubres admodū esse videntur, ut pani chondro & senidali. Quibusdam sane dixit, non omnibus, nam ex melle aut alio simili, in valde biliosis, nulla gignetur pituita: ex pane vero atque frequentibus & necessarijs hominum cibis, pituita semper gignitur. Nam quae quæso hominum, aut canum, aut prandium, sine pane fit? aut quae praeter panem, carnem, pisces, aut olera, pane ipso pituitosiora satis, non recipiat? ex quibus palam fit, pituitam crudam, acidam, & excrementosam, in prima ventriculi

Liber

triculi confectione creari, quæ tamen nunquam fit naturalis, nisi in iecore dulcescat, & ad sanguinis naturam proxime accedat. Ob id quæ quatuor humorum naturalium autor est iecur, innaturales vero humores, aliubi generari non est indecens. Humores quoque in iecore & secunda coctione geniti, in tertia posse vitari, & tumores præter naturam excitare, ut tertio libro de causis symptomatum retulimus, consentaneum est. Quod vero quarto libro de morbis, Hippocrati adscripto, capitibus octavo & nono, ventriculum alimenta in quatuor humores conuertere, illius autor dixit: sicut & quod lienem aquæ, vesicam felleam bili, sanguini cor, & pituitæ caput adscribit, ut fontem, & instrumentum, in quod suscipitur: melaboratū est, & excusatione dignum: Quoniam ars, quæ rudis tunc, & inculta erat, per hæc & similia alia, quæ minime vera sunt, fuit adiuta, ut proxime tunc ad veritatē accederet, & posterioribus ad ipsam inueniendam manum daret.

Caput quartum, an omnes humores abundantiores efficiat, temperatum iecur, quam intemperatum.



Ni iecur temperatum, singulos humores augeat, plusquam intemperatum, in dubium vocant quidam. Putat autem Iacobus, plus pituitæ à temperato, quàm à calido epate generari, ob maius robur virtutis, cuius ratione, plures partes alimenti, potest in probum sanguinem commutare, & plures etiam alias, in sanguinē crudiorē. Simili autē argumēto credere videtur, eo loci quo Galenus cerebri signa exponit, plus bilis atque sanguinis, in temperato epate generari: quo enim validior virtus est, eo plus eliciet humoris, ex partibus in alimēto, unicuique succo respondentibus: ex igneis plus bilis, ex aqueis pituitæ, ex terreis melancholici succi, & ex æreis sanguinis. Quare vnusquisque humor, magis abundabit, in temperato corpore, quam in quolibet intemperato. Sed fallitur, nam quod à ventriculo, per meseraicas in iecur, ducitur alimenti, id omne, in quatuor humores, & serum transit: quo igitur iecur, vnus humoris plus gignit, eo magis deficiet materia, reliquis humoribus tribus generandis. Nam serum, aqua cum sit, quæ in iecore alteratur, & cū pauca bile miscetur, in humoris substantiā transire nequit. Neque enim vlla ratione aqua coctionē patitur, Quarto libro Meteororum autore Aristotele. Ob idque natura, eius vacationi intēta, renes condidit, qui substantiæ quadam proprietate, serum à sanguine separarent. Temperatū ergo iecur, & quod calidū & humidum est, plus sanguinis, & reliquorum humorum minus eliciet: frigidū vero, & quod frigidū & humidum est, plus pituitæ: sicuti frigidū & siccū, magis melancholici succi: Calidum quoque, & eo magis quod calidum & siccum est, bilem habebit abundantiorē. Calidum quidem, calore tantum à temperata bile excedentem: calidum vero & siccum, non modo calore, verum & siccitate, exorbitantem bilem creat. Nec enim magni momenti quippiam ad
ferunt

ferunt, qui calidi hepatis bilem, sicciore temperata ponūt: eo quod caliditas (inquiūt) iecoris, maior temperata, bilem vltius exsiccat. Sed horum sententia facile redarguitur, nam calor hepatis, quantumlibet temperato sit maior, carnem hepatis, non reddit, temperata sicciorem, ergo nec bilem. Sicut enim calidius iecur, solo calore temperiem excedit: ita bilis ab ipso genita, nihil prohibet, solo calore, à temperata bile discedere. Nec mirum videri debet, quod calefit, nihil interdum exiccari: aer enim aquam calefaciens, nihil prorsus exiccatur, alioquin in se nunquam eam conuerteret.

Caput quintū, quod omnes humores simul a iecore prodeant, & quæ sit humorum, inter se mensura naturalis.



De ordine quo à iecore prodeant humores, statuunt plurimi, frigidus prius generari, calidos vero posterius. Nam iecur non simul, sed gradatim suam qualitatem inducit: prius ergo frigidorum, quam calidorum dispositionem creabit. Sicque prima omnium gignetur pituita, quæ frigidissima est: deinceps atra bilis, quæ à temperato generatur calore secundo de Facultatibus naturalibus autore Galenox sanguis, qui calidus iam est: vltimo vero, bilis calidissima. Sed ridicula est hominum ratio, nam non ex eadem parte alimenti, quatuor gignuntur humores, sed ex diuersis: in quas iecoris calor æquabiliter penetrat, quo tempore ex mediocri portione, sanguinem facit: eodem ex calidiorē bilem, & ex terrenam melancholicum succū creat. Adhæc iecur sua actione, sanguinem conficit, & duo istius coctionis exerit excrementa, bilem & melancholicum succum: simul igitur prodeant est necessum, non enim excrementum est, nisi ab alimento secretum, nec alimentum, nisi excrementa vomerit. Pituita vero, quo tempore reliqui humores generantur, naturalem dulcorem, & cum sanguine affinitatem accipit, omnes ergo generantur simul & non separatim. De proportione quoque, & naturali mensura, humorum inter se se, nihil certi statuere oportet. Licet enim diuersi diuersa sentiāt, soli tamē naturæ, plene id cognitum esse vel eo constat, quod rerum quantitas, omnium maximè in coniectura versatur: atque ea est, quæ artem Medicam, quam maxime coniecturalem reddit. Ratio tamen persuadere videtur, sanguinem reliquos copia vincere. Primo quoniā naturæ familiarissimus est, & calore atque humiditate, ad vitam maxime necessarius. Secundo nam pluri constamus sanguine, quam pituita, aut bile vtraque, ergo pluri etiam sanguine nutriemur, ex eisdem enim constamus & nutrimur. Tertio nam nutritio est reparatio absumpti, absumptum autem magna ex parte est æreum, cui inexistit innotus calor. Ergo sanguis cum sit æreus, maiori copia quam cetera reparatur. Quod voluit Gal. octavo libro de Placitis, vbi ita scribit: Ex cibis quidē sanguis in hominibus

nibus gignitur, & pituita, & gemminæ biles, sed sanguis plurimus, unde solus ex omnibus in venis apparet, alia pauciora creantur. Post sanguinem, pituita abundat, initiatus sanguis existens: & nullum receptaculum habens, quo à sanguine mundetur. Tertium locum tenet bilis flaua, vna enim qualitate cum vita conuenit, altera aduersatur. Cui accedit, quod ex igneo excremento, periculum marcoris calidi innati, per humidi exiccationem impendit. Omnium minus est melancholici succi. Primo quoniam magna pars terreni excrementi, ex quo melancholia constat, fuit in ventriculi confectione separata. Secundo, quoniam melancholici receptaculum, maius est quam vesica fellea, exquisitius igitur repurgabit sanguinem. Tertio, nam melancholicus succus, vtraque qualitate est vitæ contrarius, frigiditate scilicet & siccitate: Minor igitur eius, quam aliorum erit copia. Accedit, quod cum frequens morborum causa, sit obstructio: decuit melancholici succi, qui ad obstruendum est paratissimus, copiam minorem, in bene constituto corpore congeri. Nec verum est, quod quidam arbitrantur, in sanguinis missione plus subsidere lutulenti, quam innatet biliosi: nam tunc sensuum iudicio, tum rationibus dictis, contrarium potius euenire (cum Alexandro Aphrodisiensi secundo problematum, & cum Mose secundo Aphor.) censemus.

Caput sextum, de humorum inter se, actione reciproca.



M quatuor succi à iecore, ex alimento geniti, & per corporis venas distributi, diuerso constant temperamento, & valde dissidentibus qualitatibus insigniantur, pugnabunt inter se se reciproca, & necessaria quadam actione, ita vt nullius eorum qualitas, à modo exorbitet, alterius contrarij occursum coërcita. Ex omnibus autem sibi inuicem copulatis, totalis vna complexio surgit & forma, cuius ratione vnum per se, & non per aggregationem, redditur sanguinea massa appellata. Sic enim in lacte euenire cernimus, vbi serit pingue, & caseus, vna lactis forma superueniente continentur, quibus dissolutis, non manet amplius forma lactis. Sic in rosa, lentibus, brassica, & multis alijs, diuersæ aduertuntur (sub vna comuni forma) partes: Vt quid ergo in sanguine non ita eueniet? Nam & secundo libro de elementis Galenus, docere studens, sanguinem non esse vnum, lactis exemplo est usus, quod vnum apparens plura continet. Perinde igitur sentit sanguinem esse vnum atque lac, nam & lac ex sanguine fit. Si fermentatio præterea, ponitur in Medicis compositionibus, vbi contraria coeunt medicamenta, libro de Theriaca ad Pisonem, capite decimo tertio, & decimo quarto, & libro de Pthisana, capite quarto, auctore Galeno, vbi scribitur, quod confusis multis coeuntibus, credendum est ipsa peruenire ad vnitatem quandam, diuersam ab omnibus, per quam operantur: multo magis ad eam vnitatem, peruenient humores contrarij, intra corporis vasa multifariam misti, & calidi,

calidi natiui alteratione agitati. Est autem huiusmodi adeo leuis humorum mistio, vt leui quacunque occasione peruertatur, nam sanguine per venæ sectionem extra vasa effuso, innatet in eo biliosum, & subsidet lutulentum. Intra vasa quoque, si humorum alteruter, aut quantitate aut qualitate, à naturali & modo & mensura excefferit, statim ab humorum vnitatem recedit, difficile à natura gubernatur, facile putrescit, & morbum parit: biliosum, si bilis fuerit: pituitosum, si pituita: sanguineum, sanguis: & melancholicum, succus atter: Neque aliter fiunt tertiana, & quartana, quotidiana, & continentis febres, atque alij morbi, ab humorum vitio nati. Atque hæc, de humoribus in vniuersum dicta sufficiant, de vnoquoque autem sigillatim, deinceps dicemus, à sanguine orsi.

Caput septimum, de quarta sanguinis substantia medicis appellata.



SANGVINEM qui sit quarta substantia, à tribus alijs humoribus diuersa, ab humorum numero eximere, conatur turis sanus monachus. Existimat enim, friuolis quibusdam rationibus persuasus, præter vtramque bilem & pituitam, nihil in venis contineri, sed ex his tribus sanguinem constare. Primo, nam tot credit esse humores, quot humorum excrementa, nam hæc ab illis deciduntur. Sunt vero excrementa biliosa in felle: pituitosa in ventriculo: melancholica in liene: sanguinea nullibi: ergo præter tres primos humores, nullus reperitur sanguis. Secundo, nam lac, in tres tantum partes dirimitur, fit autem lac ex sanguine, nulla parte ipsius sanguinis amissa, ergo in sanguine pariter tres, non quatuor erunt partes. Quod & sanguis ipse, per sectam venam detractus monstrat. In tria enim secernitur aquam, rubrum, & nigrum subsidens. Tria præterea in vrina videntur, spuma, liquor, & hypostasis: tribus igitur humoribus, non quatuor respondebunt. Quarto, quoniam tres tantum sunt, putridarum febrium periodi, tribus humoribus à sanguine respondentes, nullus ergo est sanguis: nam si esset putreret, & propriam periodum nancisceretur. His adde quod natura, expurgantia pharmaca condidit biliosa, pituitosa, & melancholica: sanguinem vero expurgans nullum, quoniam præter illa tria, nullus habetur sanguis. Sed absurda est hominis sententia, primo, nam si sanguis sit congeries pituitæ, & vtriusque bilis: cum bilis atra, & pituita sint frigida, vniuersus sanguis, frigidus foret. Et cum bilis vtraque sit sicca, sanguis mistus ex vtraque bile sicca, & pituita humida, siccus esset. Secundo nam ex albo, pallido, & atro mistis, non resultat ruber color, vt constat miscenti, cerusam, sulphur, & atramentum: pituita vero alba est, bilis pallida, melancholia atra, ergo ex eis, non consurget sanguis rubeus.

E Quod

Quod etiā experimento constat, nam si misceatur extra, bilis vtraque & pituita, non euadent rubra. Tertio, ex insipido, amaro & acerbo, non fit dulce, ut constat miscenti, aquam, aloem, & sorbam immaturam, aut quid tale: pituita vero est insipida, bilis amara, melancholia acerba, ergo ex his mistis, non resultabit dulcis sanguis. Alimentum præterea omne, ex quatuor elementis concreuit, in quatuor igitur humores, singulis elementis respondentibus, vertatur par est. Adhæc in temperato corpore, mediocris est sanguinis copia, in calido autē & humido abundat, in calido vero & sicco deficit, libro artis medicinalis de signis iecoris autore Galeno: Si igitur sanguis, sola est trium humorum massa, necesse est, in calido humidoque corpore, vel plus pituitæ contineri, vel plus flauæ, aut attractæ bilis. Si pituitæ, in frigido humidoque corpore, plus erit sanguinis, quā in temperato: Si attractæ bilis, in frigido & sicco, plus erit: Si bilis flauæ, in calido siccoque corpore, sanguinis copia abundabit: quæ omnia apertissime falsa sunt. Præterea experientia constat, medicamenta acriora, postremo sanguinē educere, reliquis humoribus iam foras euocatis: si vero sanguis, est sola trium humorum congeries, nulla ratio est, cur omnibus humoribus seorsum attractis, congeriem trahat. Neque enim magnes, si ferum imprimis traxerit, mox lignum, demum paleam, deinceps omnium congeriem trahet. Adhæc ubi agens quædam coquit immodicæ, & alia infra modum, necesse est ut quædam moderate coquat & assimilet. Id autem moderatum, est quod sanguinem appellamus, medium (inquā) biliosorum atque crudorum. Vterius reperitur sanguis crudus, qui pituita nūcupatur, ergo reperietur etiam perfecte coctus, is autē triū humorū summa esse non potest. Sanguis in super intregre cocti, qualibet pars integre cocta est: pituita vero, nō potest esse integre cocta, ergo neq̄ erit, integre cocti sanguinis pars. Pituita præterea, necessitatis tēpore, in sanguinem conuertitur: pars autem in totum, minime conuertitur potest: oportet igitur sanguinem, qui suus sit humor reperiri. Sanguis itidem, in flauam bilem facile conuertitur, trium autem illorum congeries, non potest facile in bilem decedere: nam pituita difficulter, melancholia difficilime, flaua autem bilis, in seipsam non commutabitur: ergo sanguis debet dari, qui quartus atq̄ simplex sit humor. Vno præterea contrariorum posito, necesse est in eodem genere alterum poni, in genere autem humoris, melancholia est frigida & sicca, ergo alterum reperiri, calidum & humidum est, necesse. Ex differentia quoq̄ partium enutrientiarum, quartā sanguinis substantiam statuere, necessariū arbitror. Ut enim quædam reperitur partes, ad quas reliqui humores accommodari possunt: ita quædam etiam deprehenduntur, calidæ & humidæ, ut caro: quædam temperatæ, ut cutis: quæ non nisi puriori sanguine, nutrirī possunt. Nec monachi argumenta, multam vim inferunt, nam non est opus, ex omnibus humoribus, aliquod superesse excrementum, sed tantū ex impurioribus. Adde quod ex sanguine, quandoque superfluere vedetur, mulieribus per menses, viris quandoq̄ per Hæmorrhoidas, interdū per nares, nonnunquā per vomitiones, aut alui excrementa, interdum nulla parte erūpens, ad membrū aliquod

coni-

confluit, & inflammationes parit, aut in vasis contentus putrescit, & continentes febres creat. In lacte vero quatuor esse partes, ratio dicitur: Butyrum calidum & humidum, sanguini respondet: nam non video quomodo cum bile (ut adstruunt quidam) possit comparari. Caseus respondet succo melancholico: Serum vero in duas partes dirimitur, aquosam vna pituitæ respondentē, cuius ratione, serum & vniuersum lac, frigidum & humidum est, quarto simplicium, capite decimo septimo, autore Galeno: Acrē alterā & biliosam ratione cuius, serum ipsum vlcerat, alium soluit, & extenuat humores, ut scribit Galenus, tertio libro de alimentorum facultatibus capite decimo quarto: pueris apthas inducit & vim habet abstergendi tertio Aphorismorum commentario vigesimo quarto. Atq̄ huius partis ratione, numeratur serum, inter saluginosa, secundo simplicium, capite duodecimo autore Galeno. Adde quod non est necesse, ut lac, aut sanguis, aut quoduis aliud mistum, quouis artificio, ostendat numerum componentium. Quædam enim nunquam separantur, ut aurum: Alia separantur, in pauciora componentia, quam intrarint compositionem: ut lac, coaguli vi, in caseum tantum, & serum dirimitur: vi vero ignis, pars pinguis, à reliquo lacte separatur, & ab ambientis frigore, in superficie concrevit. Sanguis etiam perfrigeratus, in aquam & grumum: exassatus vero, in bilem flauam, & atram resoluitur. Quare falsum est, quod existimant, sanguinis detracti tres partes, quas ostendunt, tribus humoribus respondere. Pars enim rubea quæ multa & crassa visitur, non respondet bili: tenuis enim & pauca bilis, per vasa, integre valentium fertur. Serum etiam lactis, cum tenue sit, non respondet pituitæ crasse: Nec caseus plurimus, melancholice: quæ in sanis paucissima cum sanguine fertur: Nec etiam butyrum, dulce cum sit, atque temperatum in actiuis, & humidissimum in passiuis, bili calidissimæ, siccissimæ, & amarissimæ, potest respondere. Tria præterea quæ in vrina spectantur: spuma, liquor, & hypostasis: tribus humoribus non respondent. Nā spuma, non in omni habetur vrina, sed ubi crassus, & sub crudus flatus, intercluditur liquori: Liquor vero, serum est alteratū, & nonnihil bilis adeptum Hypostasis autem est, quidquid alimenti, in sanguinis generatione, naturæ refugit confectionem. Tres præterea esse, periodos februm intermittentium, tribus humoribus respondentibus, par est. Nam sanguis, ob perpetuum feruorem, continenter facit febricitare. Adde quod sanguis, ante transitum in bilem, dum incipit putrere, per tertium repetit: vnde non biliosam, sed quodammodo biliosam, eam febrem appellauit Galenus, secundo libro Crisium capite duodecimo. Ut vel hinc constet, mala fide Auicennam, Galeni verba retulisse, dum ex Galeno refert, Sanguis cum putrescit, colera fit, & non est sanguis. Galenus vero, solum dixit, Non manet bonus sanguis, sed fit biliosus. Male quoque refert Auicēna, febris fit colerica, Galenus enim scripsit, quodammodo biliosa fit. Inuēta præterea fuisse, medicamēta sanguinē expurgantia, testis est Galenus libello de facultate purgantium medicamētorū capite quarto: Et Petrus de Appono, in suo conciliatore, differētia centesima de-

E 2 cima

cima quarta, suo tempore, repertam fuisse herbam amagogam, testatissimo experimento perhibet. Nec tamē ea desideramus, quoniam superfluus sanguis, feliciter venae sectione, quam vi pharmaci educitur.

Caput octauum, de sanguinis temperamento, proprio, & accito.

HYPPOCRATES libello de corde, & Aristoteles secundo de partibus animalium capite secundo, & Celsus libro quarto capite tertio, sanguinem propria substantia, frigidum abseuerant: calidū vero & fuscum ex accidenti, quoniam scilicet, frigidus existens, à corporis calore incalescit, atque ut feruens aqua, ab igne, non à se, habet calorem: ita et sanguis, per venas & arterias, iecoris & cordis suscipit influxum. Argumento est, quod venas egressus gellatur, ac iduo calore euanescente. Adhuc feminae quae pluri sanguine abundant, sunt frigidiores maribus. Cum praeterea proximus est, ut in substantiam ossis vertatur, necessario frigescit. Nec à Galeno abhorret plurimum haec opinio, nam primo de Temperamentis ad finem, & libro de Fœtus formatione, à corde sanguinem, suum calorem accipere fatetur. Contra vero est veritas, nam materia ex qua fit sanguis, calida est & humida, pinguior scilicet, atque aërea alimenti pars: Sanguinem efficiens iecur, calidum & humidum: igitur confectus sanguis, necessario calebit, atque humebit, tum ex materia, tum ex agente. Nec obstat, quod sanguis apud Galenum, primo libro de Sanitate tuenda, capite secundo, plus habet, substantiae aquae terraeque, quam igneae & aëreae. Nam de sanguinea massa, ibi loquitur, in qua quauis terra & aqua, quantitate exuperent: Vi atque potentia agendi, superantur ab igne & aëre. Quare ut idem ibi subdit Galenus, calidum in ipso, superat frigidum, & humidum excedit siccum. Si autem de sanguine, qui quarta substantia est, ibi mentio foret, aëreae potius substantiae, esse diceret, quam aquae aut terrae. Adhuc sanguis custoditur calore, & corrumpitur frigore, dum extra vasa effunditur: conseruatio autem omnis est a simili, & corruptio à contrario, ergo calidus & nullatenus frigidus est sanguis. Adde quod si non esset naturalis, sed accitus, sanguinis calor, non inesset ab ortu: nam quod alteri influitur post ortum, accidere consuevit. Si sanguis praeterea, solo cordis influxu, esset calidus, sanguine quantunuis largius educto, non refrigeret corpus: at manifesto refrigerari constat: ergo proprium calorem habet. Et ut Galenus adstruit, libro de sanguinis missione, capite quinto, natius corporis calor, perseverantiam ex sanguine obtinet. Si frigidus praeterea esset, non obstaret iecoris frigiditas, quo minus sanguis generaretur: adeo vero officit, ut loco sanguinis aqua in hydropicis generetur, calidus igitur dubio procul erit. Sed quo gradu, quaque mensura caleat, dubium est.

Cui

Cui dicendum: Sanguinem ex se modice calere, & ob id temperatus statuitur, primo de natura humana commentario quadragesimo. Nec obstat quod quidam asserunt, de sanguinis massa, id intellexisse Galenum: nam quauis ita sit, quarta etiam sanguinis substantia, modice calet: eo quod à temperato fit calore, sicut bilis ab immodico, secundo libro, de facultatibus naturalibus, capite secundo autore Galeno. Argumento etiam est dulcedo, quae in unoquoque corpore, inest a moderato calore quarto simplicium capite decimo. Sanguis praeterea, est omnium humorum optimus, secundo de temperamentis capite tertio, esset autem pessimus & putredini maxime opportunus, si calidus immodice, pariter & humidus foret. Vltiorem autem calorem, suscipit sanguis à corde, tertio de Temperamentis ad finem, autore Galeno, & Placinius libro de Fœtus formatione, ubi ita scribit: Nullum animal exanguis, est manifeste calidum: Neque manifeste calidum exanguis. Nam sanguini qui est in venis, absque cordis calore, tepida quaedam caliditas insita est, & propterea etiam in iocinore. Cor vero, quasi quendam ignis focus, animalia sortita sunt. Sine corde enim, sanguineorum animalium calor, persimilis est calori qui aestatis tempore in domibus sentitur. Sed quenadmodum domus, incenso in ipsa igne, calidior redditur, ita & animalium corpus, ex corde, maiorem calorem acquirit, quam is sit, qui in venis & iecori insitus est, & sanguini videlicet in ipsis contento. Haec Galenus, ex quibus, nostra quam diximus, deprompta sententia est. Insuperque, tam sanguini, quam iecori eius auctori, tepidam caliditatem inesse, ex eo loco elicimus. Vtra autem sit calidior, dubitant quidam? Cui dicendum: Iecur esse calidius sanguine, quoniam cum sanguinis qualitates, à iecore ceu ab efficiente dependeant, usque ad perfectam assimilationem, & conuersionem in iecoris substantiam, nunquam erunt, iecoris qualitatibus aequales. Neque obstat, quod sanguis ferueat, & magis excalfaciat tangentē, quam iecur: huiusmodi enim feruorem, à corde, & spirituum permissione accipit. Sine ipso enim, temperatum calorem, & modice excedentem habet, ut è libro de Fœtuum formatione mox retulimus. De sanguinis ergo temperamento, statuere oportet: Quod quarta eiusdem substantia, modice calet, & non valde distat, à medio temperamento: calidior tamen est, atque humidior, quam sanguinea massa: quae tamē, quauis exacte temperata, & ad pondus non sit, temperata tamen dici debet, quoniam calidum frigidum, in ipsa, non magnopere excedit. Nam ob id, temperatissimum sanguinem, hanc massam appellat Galenus, primo libro de natura humana, commentario quadragesimo. Quoniam scilicet, quarta sanguinis substantia, quae in ipsa maxime abundat, temperata erat, & adhuc magis temperatur, permissione reliquorum trium. Ergo temperatissima euadat, necessarium est. Idque monuit per verba sequentia, quae ibi subdidit Galenus, Postea quam itaque, & ipse indiget sanguis, quatuor qualitatibus, humiditate, siccitate, calore, & frigore: nemini dubium est, quin cum reliquis humoribus, postullet confundi: quo fit ut temperatissimus sanguis, pituitae sit, & flauae, atque bilis particeps. Quare non placent, qui sanguineam massam, temperatam ponentes reprehendunt:

E 3 siquidem

siquidem præterquam quod à Galeno discedunt, ita temperati & temperatissimi vocabulo utenti: rationibus etiam medicis aduersantur. Primo nam quarta sanguinis substantia, modice calet ut diximus: bilis autem calidissima, mistione pituitæ, & melancholiæ, valde frigidorum, exacte temperari potest: ergo vniuersa massa temperata est. Secundo, nam omnia membra, tam calida quam frigida, æqualitatem seruant inter se, ut ex omnium actione, resultet in cute, media fere temperies. Ergo massa sanguinea, ex qua omnia sunt nutrienda, eam æqualitatem, aut fere, debet seruare: ipsdem enim constamus, & nutrimur. Nec contrarium est, sanguinem menstruum, qui est alterum generationis nostræ principium, non nihil calere, ut primo libro de Sanitate tuenda adstruxit Galenus: exiguus enim excessus, temperati nomē, non adimit, insignis namq̄ latitudo, vnicuique tribuenda est temperamento. Male præterea argumentantur, quod si temperati corporis sanguis est temperatus, corporis pituitosi sanguis, frigidus esse deberet, cum tamen nullus sanguis frigidus sit, apud Galenum decimo libro simplicium capite quinto. Male (inquam) argumentantur, primo quoniam sanguis, non ob aliud statuitur temperatus, quam quod calidum in ipso, non magnopere superat frigidum. Secundo quoniam decimo libro simplicium capite secundo, præfatus fuerat, se de sanguine animalis, secundum naturam habentis, quire vera sanguis est, mentionem esse habiturum, non de pituitoso, aut melancholico. Tertio quoniam quauis iuxta proprii temperamenti rationē, sanguis aliquis frigeret, ob cordis tamen, & spirituum calorem, esset feruidus. Nec obstant, quæ in contrarium adducuntur rationes, nam si ex congelatione, sumptum inditium, esset firmum: sanguis, oleum, & adeps, essent aqua ipsa, magis frigida, quoniam facilius gellantur, quam aqua. Adde quod congelatio, non nisi sanguini mutato accidit, a quo natius iam calor ipsius euauit. Adhæc non est sanguis solus qui concreuit, sed simul cum sanguine, pituita, & bilis atra, quæ cum frigida sint, sanguinem sibi mistum conuerunt. Congellatur præterea sanguis, non quia frigidus, sed quia fibras habet, secundo libro de partibus animalium capite tertio autore A. istotele: vnde damarum (inquit) sanguis, non concreuit, quoniam caret fibris. Fæminæ vero, non plus sanguinis generant, quam masculi: sed minus absument, ob temperamenti frigiditatem. Ob idq̄ menstruæ purgationes, ex eorum nutritione, supersunt singulis mensibus excernendæ. Ossa vero non nutriuntur sanguine immediate, sed medulla (ut diximus) quæ frigida est. Sed qui fieri possit, ut ossa frigida, nutriantur sanguine calido, quantumcunque intercedat medullæ forma dubium est. Nam sanguinem in primis coquere debent, & omnis coctio calore perficitur, minus autem calida, quæ calidiora sunt, non possunt calore, conficere, à validiori enim calore, conficientur potius: vnde cocta omnia, calidiora euadere, docuit nos Aristoteles, quarto libro Meteororum, capite tertio: frigida ergo ossa, ex calido sanguine nutriri nequeunt. Hanc dubitationem multipliciter soluant autores. Primo quod ossa, sanguinem conficiunt, ope spirituum vitalium, qui ipsis ossibus, a corde demittuntur, sunt enim spiritus, san-

guine

guine calidioris. Secundo, quod ossa nutriuntur ex sanguine generato, à frigidis alimentis, qui quanquam sit calidus actu, potestate est ossibus ipsis frigidior. Sanguis enim e lactucis generatus, licet actu sit ossibus calidior, potestate tamen frigidior existit, vnde frigefacit. Tertio, quod sanguis, quo nutriuntur ossa, est frigidior ipsis ossibus, ob plurimam attri succi mistionem. Sed prima solutio non placet, nam spiritus sanguinis, sunt calidiores, quam spiritus ossium: cumque sanguini in quo sunt, semper sint præsentanei, magis multo sanguinem calefacient, quam ossium spiritus, calefacere possint eundem. Quare necesse est, quod ossium spiritus, refrigerent potius, quam calefaciant, si eo caloris, sanguinem perducere non possint, quo proprii, intraneiq̄ spiritus extulerunt. Sanguis præterea non potest, in ossis naturam transire, nisi refrigescat: si igitur ab ossium spiritibus incalescit, nunquam in naturam ossis commigrabit. Secunda vero solutio, Galeno aduersatur, libro de causis morborum, capite sexto, vbi sanguinem, calidum & humidum potestate facit. Nam actu calidum, & potestate frigidum, sanguinem ponere, esset in Aristotelis explossam sententiam incidere. Sanguis ergo qui ex lactucis prouenit, actu & potestate calidus est, atque ipsis ossibus calidior. Quod si refrigerat, ideo est, quod naturalem sanguinem, qui calidior existit refrigerat: refrigeratus vero, ad carnem & ossa, frigidior descendit, & idcirco in frigidiorē carnem, ossa quoque frigidiora, commutari potest. Sed non propterea dubium solutum est, quo sciscitamus, quomodo ossa, sanguinem calore possint conficere. Nec tertia solutio placet plurimum, nam atter succus, quantumlibet multus sanguini misceatur, sanguis permanet, qui calidus & humidus necessario erit, & ossibus suapte natura frigidis calidior. Quomodo vero calida, coquantur à frigidis (ut nostra fert sententia) facile intelliget, qui calidi innati substantiam, qualis sit intellexerit, est enim temperatura quedam, calido participans & frigido, varia pro corporum atq̄ membrorum varietate. Hæc autem temperatura, aut naturalis calor, humidum commiscet & siccum, suisq̄ locis distribuit. Quemadmodum corporis in quo est, natura exoptulat, idcirco aliquando calefacit, si res offeratur frigidior: aliquando frigefacit, si res calidior subigenda sit: & vtrouis modo coquit. Sic mammae, coctione sanguinem refrigerant: sic ossa, nutrimenta se calidiora coagulant: Sic cerebrum, spiritus animales, ex vitalibus calidioribus creat. Nec ob id fatendum est, coctum incrudari, nam si perinde refrigerarentur, ac dñ aër frigidus, frigefacit lutum, aquam, & paleas: quæ omnia ut fors tullit compingit, incrudari fateremur. Seccus vero res habet, in generatione lactis, medullæ, & spirituum animalium: Tali enim ratione, frigesunt à calido illo innato, ut humidum & siccum inuicem, quo oportet ordine, suis locis aptet, & disponat: id vero coquere est. Nam licet mammae, frigide sint respectu cutis. Habent tamen temperatissimum calorem, gignendo lacti: & ossa, gignenda medullæ: & cerebrum, spiritibus animalibus creandis. Quod vero Aristoteles, cocta calidiora euadere dixit, intelligendum est, similia a calido innato coquentis. Nam ex chylo fit sanguis, & ex sanguine rursus chylus, ex

E 4 sanguine

sanguine caro, & ex carne rursus sanguis. Lac ex sanguine generatur, & in sanguinem rursus abit: Alterutrum autem, alterutro calidius esse repugnat, nisi calidius hac parte id dici intelligamus, quod similius est, membro coquenti.


CAPVT nonum, an sanguis, sit bile calidior.



SANGVINEM suapte sponte, modice calidum esse, & cordis beneficio atq; influxu, calidiorē reddi, statuimus ante. An vero ad tantū efferatur calorem, ut bile ipsa sit calidior, dubium est. Nam primo de temperamentis ad finem, hæc habet ad verbum Galenus, Humidissimū frigidissimūq; in corpore pituita est, calidissimū sanguis: non tamen est is, perinde humidus ut pituita. Siccissimum ac frigidissimum est pilus: Minus eo & frigidum & siccum est os. Ex quibus planè Galeni verbis sequitur, sanguinem esse bile calidiorē. Cuius tamen cōtrarium, aperte legitur, libro de inæquali intēperie, in hæc verba: Calidissima natura merito est flaua bilis, at frigidissima pituita est, reliquorum humorum, sanguis post flauam bilem, maxime est calidus, sicut nigra bilis, post pituitam est frigida. Et libro decimo simplicium, capite de felle, sic scribit, Hic succus, omnium quæ in quocūq; sunt animalium, calidissimus esse demonstratus est. Hinc Galeni cōtradictionē, soluunt quidam, ex diuerso librorum Galeni instituto. Nam libro (inquiunt) de Temperamētis de humoribus agit, tanquā de membrorum idoneo alimēto: est autē sanguis (inquiunt) in ratione alimenti, calidissimum quod est in corpore nostro, & bile ipsa, alimentitio calore calidior. Libro vero decimo simplicium, de Medicamētis agens, quæ ab animali sumuntur, bilem dixit esse, calidissimum medicamentum. Libro autem de inæquali intēperie, dum de excrementis, facientibus tumorem præter naturam scribit, bilem calidissimum docuit esse excrementum. Quare (inquiunt) in ratione alimenti, sanguis est calidior, in ratione vero aut medicamenti, aut excrementi, minus calet, quam bilis. Sed frustra se lacerant, Nam libro etiam de Temperamentis, bilem sanguine calidiorē ponit. male ergo ad libri institutum recurrunt. Secundo namq; libro de Temperamentis, capite quarto, ita scriptum reliquit Galenus, Succorum optimus, & maxime proprius, ac domesticus, sanguis est: huius veluti sedimentum, ac fex, atra bilis est. Quæ idcirco tum frigidior, tum crassior sanguine est, sicut flaua bilis, longe calidior. frigidissimum vero ac humidissimum, omnium quæ in animali habentur, pituita est. Ex quo patet, quod tam libro de Temperamentis, quam de inæquali intemperie, & facultatibus simplicium, bilis est absolute, omnium quæ in nostro sunt corpore calidissima, tam in ratione alimenti, quam medicamenti, & excrementi. In ratione quidem medicamenti, quoniam omnium animantium fel, magis est calfactorium, quam vlla alia, eiusdem animantis pars. In ratione excrementi, quoniam mala à bile nata, sunt aestuosissima, causi, erisipellata, ignes sacri, & alia huiusmodi. In ratione præterea alimentitio est

ti est calidior, etiam si sola bilis nō nutriat: Nam quæ pluri bile, alijs humoribus mista aluntur, sunt calidiora: biliosus homo, non bilioso, & biliosum membrum, eo quod diuerso alitur humore. Satius ergo alij, sanguinem esse calidissimum, eorum quæ sunt in corpore nostro, inter eā quæ calida & humida sunt interpretatur. De calidissimo enim atq; humidissimo, loquitur Galenus primo de Temperamentis, sicuti proxime ante, de eo quod est frigidissimum simul ac humidissimum, & proxime post, de frigidissimo ac siccissimo est loquutus: Gemminas enim qualitates, ibi semper, non vnā recenset. Monstrant quoq; id, sequentia Galeni verba, quibus de sanguinis humiditate, calori coniuncta, mentionem habet. Sic enim scribit, Calidissimum est sanguis, non tamen est is perinde humidus ut pituita, ergo non modo de calore, sed etiam de sanguinis humiditate coniuncta, locus is Galeni est audiendus. Si de sanguine præterea, ut subit rationem alimenti, & non absolute is locus intelligendus foret, non faceret pituitam sanguine humidiorē: sanguis enim, humore alimētitio maxime abundat: sicut aqueo & excrementoso pituita.

CAPVT decimum, de Sanguinis in alios humores transmigratione.



IN bilem flauam, posse sanguinem cōmutari, constat primo, quoniam iecur calidum & siccum, nō redundaret plus alijs flaua bile, si sanguinis aliqua portio in bilem non decederet. Secundo ex frequenti euetu, quo cernimus, morbos sanguinis, in biliosos transmutari: & bilis statim more, per tertium repetere. Tertio quoniam dulce omne recalcraftum bile scit, & amarum redditur: exemplo mellis. Sed iam hic subest scrupulus, nā si bilis, ex sanguine amplius incalescente fit, sanguine quoq; ipso, crassior euadat, videtur necessum: nam dum calefcit tenuissimæ partes resoluuntur. Id vero nature atq; proprietati flauæ bilis, maxime dissonat, est enim omnium humorū tenuissimus. Sed soluitur, nam non ex vniuerso sanguine, flauam bilem fieri, dixit Galenus: sed ex tenuiore parte flauam, ex crassiore vero attram, erit ergo bilis genita, crassior parte sanguinis tenuiore, & vniuerso sanguine tenuior. Quod vero crassa sanguinis pars, in attrum vertatur succum, constat primo ob affinitatem coloris, & substantiæ: nam sanguinis feci, nihil sanguine crasso similius euadit, tum crassitie tum nigrore. Secundo quoniam ex sanguine crasso, atq; exusto, attrabiliares & exitiosi morbi, fieri consuescunt. Nam carbo ex sanguine crasso, plurimum incenso, & qui iam in confinio est attræ bilis generatur. Febris præterea quartana, morbos sanguinis interdum fuit sequuta, & tunc maxime cum opportune sanguinis detractiones fuerunt omisse. Et ob id Auicennas, & omnes practici autores, quartanam sanguineam eam appellant. Sed iam hic pugnantiæ quedam Galeni loca se offerunt. Nam tertio libro de locis patientibus, capite sexto,

libro sexto Epidemiarum, parte sexta, commentario tertio, & primo Prorrhethici, parte prima; commentario quarto, attrahi ac crassum sanguinem, materiam esse, attrahibilis statuit. Libro vero de Attrahibile post principium, & sexto Aphorismorum, commentario quinquagesimo tertio, duplicem tantum esse docet, attrahibilis materiam melancholicum succum, & bilem flauam. Dic ut Galenum a calumnia liberet, duplicem esse attrahibilis materiam immediatam, nam sanguis medio melancholiae, in confinio attrahibilis collocatae, transit in attrahibilem: autore Galeno libro secundo de diff. feb. capite duodecimo. Mediatæ vero materiae sunt plures, sanguis scilicet, & cibus etiam externus. Quod vero ex sanguine, pituita gignatur, existimant nonnulli, nam in lac verti potest, est autem lac, medium sanguinis & pituitae, quinto libro, de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite vigesimo, autore Galeno: poterit ergo si tantundem rursus in frigidius transmutetur sanguis, in pituitam abire. Sed contra est veritas, Nam pituita est sanguine crudior, ergo si coctum nequit in crude scire, nunquam ex sanguine gignetur. Secundo nam lac, non est medium transitus, inter sanguinem & pituitam: pituita enim, immediata generatione in sanguinem vertitur, & non medio lacte. Ergo si regredi deberet sanguis in pituitam, non fieret prius lac. Tertio nam pituita per coctionem, fit sanguis, & sanguis ulteriori coctione, fit lac. Ergo magis abest lac à pituita, quam sanguis: est enim lac magis coctum, pituita & sanguine. Quod vero Galenus dixit, lac esse medium sanguinis & pituitae, intelligatur, quod habet temperamentum medium, id est nec adeo frigidum ut pituita, neque adeo calidum ut sanguis. Idque aperte personant Galeni verba, quae ita habent, In medio autem pituitae & sanguinis est lac, utique quod ad calorem attinet: Non tamen aequè ab unoquoque abest, sed longius abest à pituita, propius accedit ad sanguinem.

CAPUT vndecimum, de Temperamento pituitae.

PITUITAE temperamentum quale sit, iam indicauimus, dum Galeni verba, primi & secundi de Temperamentis percensuimus. Quod nimirum, omnium quae in nostro corpore sunt, frigidissima atque humidissima sit pituita. Nam quauis pituita, succus sit, natus ex cibis iam in ventre coctis, nihilominus frigida violentia tractus, dum per vim expurgatur, cal fieri potest, tertio de Temperamentis capite quarto autore Galeno, & experimento consentiente. Quod praeter alia, monstrat etiam aqueus, & insipidus sapor, qui nulla caloris impressione prouenit. Vnde quauis dulcis pituita sit naturalis, quonia sanguis est initiatus, non tamen haec est naturalissima pituita, & elementum secundum quo constamus: sed altera insipida, in qua nondum calor, impressionem aliquam inuexit, quae frigidissima est atque humidissima,

disima, omnium quae in nostro corpore sunt. Eamque natura seruat in vasis, quonia ea ipsa indiget, pro nutritione corporis, eaque corpus ipsum, ceu ex elemento constiturat: constitit autem ex ea, non conuersa in sanguinem (alioqui ex tribus tantum constarem humoribus) ergo ea ipsa etiam pituita insipida nutrimur. Qua etiam dum in vasis seruatur, abutitur natura ad alios usus, nempe ut indigentiae tempore, cum extra non suppetit alimentum, noster natiuus calor, ad eam conuertatur, eamque primo in dulcem, & mox in sanguinem, pro nutritione commutet, aliter enim sanguinem accenderet, & primogenium humidum vastaret. Sed obstare videtur, quod si natiui calidi substantia, consistit in sanguine, & pituita, ut autor est Galenus, octauo libro de Placitis post medium, calida potius quam frigida, statui deberet pituita. Galeni tamen locus mendo non vacat: Graecus enim codex phlegmati id est pituita, pro pneumati, id est spiritu legit. Eam autem lectionem fuisse genuinam, monstratur primo ex affinitate, atque similitudine dictionum. Secundo quoniam haec eadem sententia, legitur ab eodem Galeno, tum alias, tum primo aphorismorum commentario decimo quinto, ubi calidum innatum appellat, sanguinem & spiritum, qui intro comeat hyeme, & feliciorum coctionem facit. Pituitam autem, nullibi ponit innatum calidum esse, nec id vlla ratione, mente comprehendere possumus.

Caput duodecimum, qualiter pituita, ab humore crudo, & à mucò distinguatur, & quotupliciter crudus humor summatur.

PITUITAE nomine, omnem humorem frigidum atque humidum (qualiscumque is sit) intelligit nonnunquam Galenus, ut constat Galenum legenti, secundo de Februm differentijs capite sexto. Secundo vero libro de Facultatibus naturalibus in fine, excrementum quod à cerebro destillat, à pituita separat, & mucum atque destillationem appellat, non pituitam. Pituita namque similis est, nucus vero dissimilis, & vaporoso spiritu plenus, tertio de locis capite quinto autore Galeno. Crudum etiam quendam humorem, qui frigidus atque humidus est, à pituita distinguit: quoniam pituita minus crassa est, ob multam humiditatem & spiritum flatulentum permixtum: Crudus vero succus proprie nuncupatus, crassus est, & colore atque crassitie ad simile puri: nec foetet autem, nec lentus est ut pus, primo libro de alimentorum facultatibus capite de tritico autore Galeno. Quod vero dixit, crudum succum lentum non esse, subaudiatur necessario, maiori enim ex parte lentus est, licet sine lentore interdum reperiatur. Quod voluit aperte Galenus, sexto libro de sanitate tuenda, ad medium, ubi extenuatem victus rationem, vtilem esse dixit, Is qui crudum congerunt succum, qui crassus quidem omnino est, non tamen perpetuo glutinosus. Ex quibus verbis patet, maiori ex parte glutinosum esse crudum succum, licet contra-

contrarium quandoque contingat. Libro præterea de Plenitudine circa finem, crudum humorem ponit, alia pituita crassior, & minus flatulentum: & dum in vrinis subsidet, fauaceæ pulticulæ similem: Lentus ergo erit, si pulticulam representat: nam in omni pulte, lentor adest. Atque hæc est, humoris crudi, propriè sumpti, famosior acceptio. Nam aliter, omnem humorem vitreum, omnem acidum, & omnem aquosum, crudum appellamus. Et aliter, crudus vocatur humor, qui à natura non est superatus: siue bilis, siue pituita, aut melancholicus succus fuerit.

Caput tredecimum, de pituitæ speciebus.



PITUITA contradistincta mucosæ, & crudo humori famosius dicto, in multiplices differentias dirimitur, tum ex substantia, tum ex sapore desumptas. Quas describit Galenus, libro primo de Alimētorum facultatibus, in proœmio, ubi ita scribit: Pituitosi humoris, alius quidem est acidus, alius salus, alius dulcis, alius denique sensibilis qualitatis est expers. Rursum alius est liquidus, alius crassus, alius viscidus, alius dissipatu facilis. Hunc locum produximus, quoniam in eo, utrasque differentias Galenus est complexus: Nam alijs locis, quamuis de pituitæ differentijs agat, per saporis tantum species, distinguit species pituitæ. Libro primo de Natura humana, commentario trigesimo secundo, salisam, dulcem, acidam, & insipidam pituitam percenset. Quarto vero libro de Victu acutorum, commentario decimo tertio, insipidam prætermisit: quoniam de dignotione succorum, per impressionem in linguam, sibi erat sermo. Insipidum vero (omni sapore priuatum cum sit) hac ratione nequit dignosci: neque enim saporis priuatio, in linguam aliquid imprimere potest. Sunt autem Galeni verba, quæ sequuntur: Cum lingua amarulenta redditur, flauam reddere bilē ostendit, cum salsa salsum, salsuginosumque, vocatum humorem, qui ex pituitæ generibus, quæ tria sunt, vnum existit (ut tibi innotuit) accido scilicet, dulci, & salso. Ex quibus Galeni verbis constat, de dignotione succorum, per differentias saporum, locum hunc audiendum esse. Sed secundo libro de differentijs febrium, cap. 6. vitream, acidam, salisam, & dulcem, pituitas memorat. Vbi dupliciter peccare videtur: Primo quod vitreum, admiscet differentijs saporum, cum substantiæ attineat. Secundo, quod insipidum, alijs sapidis non annumeret. Primum vero soluitur, quoniam Paulus inferius, vitreum ad acidum reducit: scribit enim in hunc modum. Forte autem & vitrea pituita, acidæ qualitatis est particeps, adeo ut eius differentiæ, tres sint numero vniuersæ: acidæ, dulcis, & salis. Forte autem aduerbium dubitandi posuit, nam verisimile est, vitreum humorem, sine acore villo interdum reperiri. Insipidam vero pituitam prætermisit, quoniam libro de Febrium differentia, de speciebus tantum, pituitæ non naturalis agit: insipida vero est naturalis. Sed obtrudet nobis quispiam, Galeni locum, è secundo libro de Naturalibus facultatibus in fine,

fine, ubi scribit naturalem pituitam, & animanti salutarem, esse dulcem, Insipidæ vero non meminit. Cui nos dupliciter respondemus, primo quod insipidum, dulce appellamus sepe numero. Atque ut aquam fontanam, nullius prorsus saporis participem, dulcè appellant: quoniam nec salsa est, nec bituminosa, nec sulphurea: sic secundo de Naturalibus facultatibus, insipidam pituitam dulcem appellauit, quoniam alienos sapes non induit. Dicendum secundo, duplicem esse pituitam dulcem, vnam naturalem, præternaturam alteram. Si enim insipida pituita, quæ naturalis est, in sanguinem potest abire: prius pituita dulcis fiat oportet: Quæ præter naturam esse nequit: nam quod mediat, inter duo extrema naturalia, necessario est naturale: hæc vero de qua fit mentio, mediat inter naturalem pituitam & sanguinem. Est vero altera pituita dulcis, præter naturam, propter sanguinis, aut vaporis sanguinei permissionem: aut forte propter maiorem calorem, quam sit is, qui naturalem pituitam creat. Quæ multoties (inquit Auicennas, prima primi de Humoribus) in reumatismis & in salua sentitur. De qua intelligantur Galeni verba, libro de Attrahibile, quæ sic habent. At vero sanguis, dulcis in totum videtur pituita autem qualitatis expers, perinde ac aqua. Quæ si a naturali qualitate diuertat, non modo salsa, verum & acidæ redditur, nonnumquam vero, & dulcis particeps fit qualitatis. De hac quoque agit Galenus, secundo libro de Differentijs febrium citato, quod ostendunt ipsius Galeni verba, quæ sic habent. Est & alia pituitæ species, quæ plerique cum sreatu expuunt, sensibilem habens dulcedinem. Agens ergo secundo de Differentijs febrium, de pituita præternaturali, insipidam non memorat, quoniam est naturalis. De dulci vero agit præternaturali, quæ in reumatismis & in salua sentitur, quæ plerique cum sreatu expuunt, non autem de dulci, quæ ex insipida pituita, in sanguinem meante fit, quoniam & hæc item est naturalis, & ob id secundo libro de Facultatibus naturalibus percensita. Sunt ergo differentiæ ex sapore sumptæ, Insipidum, frigidissimum eorum quæ sunt in corpore nostro: Acidum, quod debilem suscepit calorem: Dulce, quod modice calidum euasit: Salsum, quod putredine, aut seri salsi mixture, tale est redditum. Quod vero Auicenna addit ponticum, frustra est factum: si ex permissione melancholiæ ponticæ, ut ibidem refert ipse, tale redditur. Nec video, cur si ponticam pituitam memorat, ob ponticæ humoris mixturem, non percenset item amaram alteram, ob mixturem bilis. Nam bilis, minori copia faciet pituitam amaricare. Differentiæ vero sumptæ ex substantia sunt (ut ex proœmio libri de Alimētorum facultatibus retulimus) liquidum, crassum, viscidum, & friabile, aut facile dissipabile. Quibus adde si placet, simile atque dissimile, siue id ad sensum, siue re vera sit. Atque hæc est vtilior pituitæ, per oppositas differentias distributio, quæ quæ ab Auicenna ponitur, prima primi doct. 4. cap. 1. in mucilaginosum, crudum, aquosum & gypseum: quamuis & hæc, non sit prorsus aspernanda. Nam per mucilaginosum, mucum intelligit, qui aperte & ad sensum est dissimilans. Per crudum vero, intelligit pituitam vitream, quæ vitro fuso est similis, ut secundo libro de locis affectis, capite quinto, Galenus est autor. Hæc autem ad sensum

sensum similis, vere autem dissimilis est. Aquosum appellat, quod tenuem habet substantiam: & gypseo oppositum habetur. Est enim gypsea pituita, crassa reddita, per serosi humidi absorptionem reperiturque in artubus, & in pulmone, & in alijs meatibus corporis non raro, talisq; appellatur, ante integram exiccationem, & conversionem in tophum aut lapidē. Quae enim iam obduruit, inter humores memorari nequit: siquidem humoris, ab Auicenna prius tradita definitio (quod scilicet est corpus humidum liquidum) thophos non comprehendit. Nec obstat, quod his nominibus, aliter interdum utatur autores. De crudi enim multiplici significato, loquuti sumus antea cō capite. Mucosam vero & vitream pituitam, confundit Galenus quarto libro de sanitate tuenda capite quarto. Quoniam quae mucosa (inquit) pituita est, eadem & vitrea sit. Cum tamen mucum distinxerit alias, non modo à vitrea, sed ab omni alia pituita: quoniam mucus valde dissimilis sit, pituita vero, ad sensum similis habeatur. Auicenna insuper in dicta diuisione, vitreum non apponit: cum tamen postea, dum pituitae species colligit, vitream simul recenseat. Quod euidentem argumētum, ipsam in diuisione non fuisse praetermissam, sed crudi nomine comprehensam, Galeni imitatione secundo libro de Februum differentijs cap. sexto.

Caput quatuordecimū, de falsae pituitae generatione.


Vubium est, quid ratione generetur, falsa pituita. Nam secundo libro naturalium facultatum in fine, de eius generatione ita scribit Galenus, Sane aduertere hoc loco, ac scire oportet, tanquam ex bilis generibus, aliud vitale, naturaleque in animalibus est, aliud innutile, ac praeternaturam: sic pituita quod dulce est, id salutare esse animanti, & naturale: quod acidum salsumq; est, acidum quidem, omnino crudum esse, salsum computruisse. Ex quo loco constat, pituitam putredine reddi falsam. Secundo vero libro de Februum differentijs, capite sexto, duplicem causam memorat falsae pituitae, putredinem scilicet, aut seri falsi mixturem. Auicenna vero, sen prima primi, de humoribus capite primo, causam aliam addit, mixturem scilicet paucae bilis, cum aquea & insipida pituita. Difficultas autem est, nam si salsum putredini, est inimicum, & à putredine corpora omnia praeseruat, non poterit quod putridum fit, salsum euadere. Et ex consequenti pituita falsa, non gignetur putrefactione. Serum praeterea salsum, non magis afficiet pituitam salsedine, quam reliquos humores. Nulla autem fit mentio autoribus, de sanguine salso, bile flaua, aut attra falsis: ergo à sero salso, nunquam pituita reddetur falsa. Quod mixtio praeterea, paucae bilis cum pituita, salsedinem non pariat, constat experimento vomentium pituitam, paucissima bile mixtam: in quibus, etiam si bilis, sui paucitate sensum lateat, amaror tamen, & non salsedo deprehenditur. Tam efficax enim est

est amarus sapor, ut vel minima quantitate, quae sibi commiscetur omnia, faciat amaricare: aloës exemplo, quae exigua quantitate, plurimae aquae permista, amarum prorsus, non falsam eam reddit. Primum vero soluitur, nam acetum, putredine ex vino genitum, putredini quam maxime reluctatur: quoniam dum putrebat, omnes partes putredini opportunae, calidae nempe & humidae, fuerunt separate, & absumptae. Et relinquuntur frigidae atque siccae, putredini inimicae, quae non modo non putrent: verum etiam à putredine, reliqua corpora praeseruant: frigore, siccitate, & adstrictione qua insigniuntur. Sic salsa pituita, putredine generatur, atque alijs pituitae differentijs, difficilius ipsa putret. Serum praeterea salsum, pituitam omnis saporis expertem, salsedine afficit: reliquos vero succos, sic insicere nequit. Reluctantur enim, in sanguine, dulcis sapor: in bile flaua, amarus: & in attra, acidus. Accedit quod de sanguine salso, & pituita falsa, meminit Galenus libro de Attra bile. Nec audiendus est Auicenna, prima primi de Humoribus, aduersus Galenum existimans: quod serum salsum solum, non valet pituitam falsam reddere. Sensui enim patet, ex cuiuslibet falsi mixture, quod insipidum est, salsum reddi. Quare frustra etiam Galenum excusat, mendacium in codicem reiciens, ubi nota disiungendi (aut) scribi putat, pro (&) nota copulandi. Nam aperte generatur pituita falsa, aut ob putredinem, aut mixturem seri falsi, ut docuimus. Nec ferendum est, quod gentilis, locum Auicennae enarrans, tam insolenter in Galenum feratur, ut rudem ipsum appellet. Tam ruditer enim Galenum intelligit ipse, ut putet Galenum dicere, causam pituitae falsae, esse falsam ipsam pituitam, aquositati mixtam: non aduertens, serum humorum, quantam quandam humiditatem esse, à quatuor primis humoribus diuersam. Tertium vero soluitur, nam sicut non quaeuis putrefactio pituitae, reddit eam falsam, (non enim in omni quotidiana febre, peccat pituita falsa, quod oporteret) sic non quaeuis permixtio, amari cum aqueo, reddit salsum: Sed requiritur permixtio amari adusti, ut in sputo ieiunantium, in quo ob inedia, bilis torretur, & salua falsa redditur. Sic lixiuum, ex amaris & adustis cineribus, salsum fit. Sic sudor & Urina, falsa sunt, ob mixturem paucae bilis adustae, cum bibito humore, decimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo quinto, autore Galeno. Sic etiam mare salsum est, ex mixture terrei adusti, cum aqueo: apud Aristotelem secundo libro Meteororum. Nec mirum videri debet, ex pauco amaro, plurima aqua diluto, salsum saporem gigni: Nam aqueo ipso rursus absumpto, reddit iterum sapor amarus. Quidquid enim salsum, plusculum excalesceris, amarum tibi euadet, sic & bituminosi lacus aqua, in caua calidaeque regione contenta, dum sole torretur, amara efficitur: proindeque aestate, quam hyeme amarior est. Ac si quid eius, haustum in vase cauo, regioneque aprica (quemadmodum Galenus effecit quarto libro de simplicium medicamentorum facultatibus capite vigesimo nono) aestiuo tempore deponas, continuo amarior se se reddita videbitur. Merito igitur ex aquae permixtione,

tione, cum amaro adusto fit salsum, si ex eiusdem aquae consumptione, amarum iterum redditur. Sed scrupulus subest, Si enim tripliciter (vt diximus) pituita redditur salsa: vt quid secundo libro facultatum naturalium Galenus, solius putredinis mentionem habuit? Cur item secundo libro, de Februm differentijs, capite sexto, permissionem amari praeterijt? Respondendum pro Galeno est, quod secundo libro de Facultatibus naturalibus, non erat sibi sermo, de salsa pituitae differentijs, nec de earum generatione: sed tantum studuit docere, ex pituitae differentijs, quasdam esse naturales, vt dulcis: & quasdam praeternaturam, vt acidum quod incru- duit, & salsum quod computruit. Libro vero de differentijs februm, non praetermisit amari mixturem, nam haec, includitur in permissione seri salsi. Habet enim serum id salsum, generationem ex bile adusta, & bibito humore, decimo de simplicium medicamentorum facultatibus, capite de sudore, autore Galeno. Sed si amarum est ultra salsum, calidius nepe, ac siccus ipso, fit enim ex salso, plusculum ex calfacto, vt de bituminosi lacus aqua, a Galeno est proditum: quomodo, ex amaro ulterius adusto, fiet salsum? recrudesceret enim, & retro reuenteretur vstione. Dicendum quod vsta omnia, amaricantia redduntur, atque salsa: cinis enim omnis amaricat, & aqua diluta, in lixiuium salsum abit. Salsus namque & amarus sapor, idem fere sunt, autore Aristotele libro de sensu, & ijs quae in sensum cadunt capite quarto: Quia vterque, designat excellentem calorem, absumentem humidum: maiorem quidem in amaro, & minorem in salso. Humidum tamen, in amaro prorsus perit, in salso autem non omnino. Amarum ergo, principio vstionis, fit amarius & calidius, ulterius autem aucta vstione, tam amarior quam acrimonia, minuitur atque resoluitur: sicut & acria omnia medicamenta, vstione redduntur minus calida, & ad salsi naturam, retrocedunt vtraque, praesertim si aqueus humor accedat, ex cuius mixture, salsi natura, quae minus sicca est completur. Cui etiam accedit, quod calore atque amarore, per vstionem in re amara imminuto, salse partes, quae in omni amaro reperiuntur (apud Albertum magnum, quinto libro de Mineralibus capite primo) magis deteguntur & elucent. Sed cur ex alijs humoribus vstis, cum aqueo mixtis, non fit in nostro corpore sal sedo, sed ex sola bile amara. Dicendum primo, quod quoniam ij sapores, maxime sunt affines, & fere idem, vt ex Aristotele retulimus, ob id alterutrum, in alterutrum, commutatio est facilior. Dicendum etiam secundo est, quod frigidi humores, non tantum vruuntur, vt eum saporē induant: sanguis vero, eius est naturae, vt prius fere in bilem vertatur: Quare sola bilis est, quae salsedinem, ulteriori vstione, possit efficere.

**Caput quindecimum, an pituita sal-
sa, sit calida, an frigida.**

De



DE SALSAE PITUITAE temperatura dubitant, calida ne sit, an frigida, nam primo de Facultatibus medicamentorum simplicium, capite trigesimo secundo, & tertio Aphorismorum duodecimo, calidam esse scribit Galenus. Secundo vero de Naturalibus facultatibus, pituitam in genere frigidam facit. Et quarto Acutorum, decimo tertio, vbi causum duplicem scribit, legitimum ex bile, & nothum ex salsa pituita, de legitimo inquit, quod citam habet excretionem, tenuem scilicet, & feruentem asequutus humorem: seram vero spurium, ob frigidam glutinosamque, & crassam pituitae substantiam. Qua oratione patet, salsam pituitam statui frigidam, ab eaque nothum causum pendere.

Huic difficultati, respondet doctissimus Manardus, libro decimo octauo, epistola quinta, quod cum pituita salsa gignatur, aut putredine, aut mixture seri salsi, quae ambo calida sunt: & ex humiditate aquea, quae frigida est: fit vt pro ratione superantis, euadat modo calida, modo frigida. Sed obstat, quod quae a putredinali calore torrefaciente salsa redditur, frigida nunquam erit, sed calida atque exusta semper: quae vero seri salsi, aut vrinæ mixture talis fit, nunquam erit calida, sed semper frigida: nam licet vrina sit calida, est tamen multo magis pituita frigida, quam vrina ipsa sit calida. Vnde in curatione morborum, qui a pituita salsa, ex putredine genita oriuntur, praecipit Tralianus, libro septimo, capite decimo tertio, frigidis atque humidis, vti medicamentis: quoniam quae calore concreuerunt, non aliter quam frigore atque humore soluuntur. Si vero morbus ex altera pituita, quae mixture seri, fit salsa oriatur, calfacientibus, coquentibus, atque extenuantibus est vtendum. Sunt autem haec quae sequuntur, Traliani verba. Si salsa fuerit, quae inherescit pituita, considerato rursus, vnde salsa existat, quippe videtur, interdum etiam ex serosae substantiae commixture salsa: interdum vero non propterea, sed ob calidam quoque intemperiem, quae ipsam torrefacit. Nam pituita incalescens, & salsa & crassa, perpetuo redditur. Quod si igitur ob calidam intemperiem, salsa tibi facta appareat, humectante & tepida potius ratione vtitor. Etenim non a calefacientibus, sed humectantibus refrigerantibusque dissoluitur, sicut etiam sal & nitrum. Haec enim, vt a caliditate concretionem sortita, non igne sed aqua resolui possunt. Haecenus Alexander. Est igitur pituita omnis frigida, praeter salsam quae computruit: Nam quae sero salso permixta, salsa fit, non tantum incaluit, vt frigida esse desistat: Haec vero pituitae salse species (ne in earum dignotione, atque medella, quae ipsis debetur, confundaris) distingues primo, nam quae computruit, valde crassa est, exusta enim fuerunt, inter putrendum tenuiores partes: altera vero quoniam serum asciuit, valde tenuis. Secundo, nam quae computruit, maxime salsa est, vt pote sua substantia talis existens, altera vero salsedinem dilutam habet. Sed scrupulus subest, nam quarto simplicium, capite vigesimo, & vigesimo primo, videtur tribuere Galenus

F lenus

lenus falsedini, calorem immodicum: Omnis ergo pituita salsa erit calida. Dic locum Galeni, intelligendum esse, de salso sincero, qualis est pituita salsa ex prutredine: non de diluta falsedine, qualis in multis subfrigidis reperitur: ut in sero lactis, secundo simplicium capite duodecimo, & in pituita salsa ob mistionem urinae, apud Alexandrum loco citato.

Caput decimum sextum, De generatione acida pituitae, deque eiusdem temperamento.



DE ACIDAE quoque pituitae temperamento, & generatione, non est exigua apud autores discordia. Nam aidi saporis generatio, apud Galenum libro quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, capite octavo, & capite duodecimo, frigiditate tenui est referenda. Hanc vero sententiam, videtur reprehendere Tralianus, libro septimo, capite decimo quarto, haec verba.

Quoniam igitur non pauca, à contrarijs euenire solent, attendendum est diligenter. Etenim acores in stomacho, subinde non solum ex frigiditate, sed etiam calore oriuntur. Nouimus autem plerosque medicos putare, omnem acorem à sola frigiditate prouenire. Qua de causa, semper his calefacientia adhibent. Video rursus multos etiam, à refrigerantibus cibis adiutos fuisse, qui antea à calefacientibus plurimum offenderentur. Nam vinum potius ipsis magis acescebat, quam calidiores potiones factitia, quae ex pipere, aut aniso, aut alio quodam huiusmodi parantur medicamento. Quare talibus repudiatis, contrarijs vsi, temperata aqua largiore, cibis boni succi, & qui aegre confici possunt, ut vulua, omazo, aut anserum ventriculis, iuuenca pedibus ex posca, & ex pisculetis orpho, iscijs pectinibus, ostreis non coctis, tali affectu liberati sunt, ut neque acidus ructus, neque aliam cruditatem in posterum sustinerent. Ex talibus igitur vniuersis, coniectura assequi licet, idem accidens, à contrarijs saepe causis oboriri. Haecenus Alexander. Auicenna etiam, decimateria tertij, tractatu primo, capite decimo septimo, acorem à frigiditate, & interdum à calore fieri tradit. Cui sententiae subscribunt experimeta plurima, nam vinum, lac, pthi sana, & succi fere omnes, citissime acescunt aestate, & exposita soli, seruatur vero exposita frigori, & aquiloni. Frigus ergo qualitate eorum seruat, & in acorem vertit caliditas. Huc accedit experimentum Auicennae, prima quarti, tractatu. 2. cap. 43. quod infantes causo correpti, lac corrumpunt & acetant. At haec non ignorauit Galenus, sed quae ulterius ipsi ignorant attigit. Nam libro quarto de simplicium medicamentorum facultatibus, capite decimo tertio, & decimo quarto, & decimo quinto, vina inualida, lac, pthi sanae succum, & alia eiusmodi: aestatis calore, alterari atque acescere: & hyemis frigore magis seruari scribit. Censuit tamen praeter haec, non omnia quae sequuntur ad calfactionem, opera esse caloris, sed interdum frigoris.

Nam

Nam sicut in iuueni bene carnosio, aestate media ad frigidam affusionem sequuta sanitas, & euasio à conuulsione, non est referenda frigiditati, sed calori natiuo intro meanti: ita dum externum calidum, materiam aliquam tractans, natiuum eiusdem calorem elicit & dissipat: qualitas acciditatis in materia sequuta, non est referenda calori, sed frigori, & paupertati calidi innati, in re ipsa quae accescit. Modo calor aestiuus, huiusmodi succos tractans, innatum ipsorum calidum elicit, dissipat, atque euaporat. Calor quoque validus ventriculi, lac vinum, & huiusmodi succos, eadem ratione corrumpit, & in acorem vertit. Atque hoc personant, ipsissima Galeni verba quarto simplicium capite decimo quarto, ubi ita scribit. Res quaelibet, in propria seruatur natura, calore proprio. Corruptitur autem ab immoderatione extrinseca, nempe caloris, humidum, aut frigoris, abundantia. Quod vero ab utroque efficitur vnum est, non tamen vnus generationis modus: quare non aequae, ab idiotis omnibus facilis cognitu est, haec corruptionis ratio. Etenim ubi quid rerum calidarum, à frigore deuictum est, ne vulgo quidem ignotum est. At ubi à circumstante foris calore validiore, digestum ac dissipatum est, eos sane, qui circa naturam exercitati non sunt latet. Ignorantes caliditatem medicamentorum, omnibus esse vtilem: Immoderatam vero, non minus frigiditate noxiam. Quamquam ergo acciditas, saepe fiat à calore, non est referenda calori, sed frigori, aut ipsius caloris defectui: nunquam enim calor superat, ubi acciditatis gignitur qualitas. Sed tum potissimum gignitur (ut scribit Galenus, libro quarto de Facultatibus simplicium, capite decimo quinto) dum à calido mutatur, non tamen ut supperet. Quod vero calidum, non supperet materiam, tripliciter fieri posse existimo: Primo ob caloris imbecillitatem, cuius ratione conualescentes ex longis morbis, & frigidum ventrem habentes, succum acidum in ventriculo gignunt, & patiuntur quas vulgo azedias vocant. Fit enim in istis ciborum potius inquinatio quaedam, quam coctio. Secundo ob modum quo calor, materiam tractat, si enim mouet humidum, ea ratione ut faciat exhalare calorem natiuum, acciditas generatur. Si vero ea ratione tractet, ut permisceat humidum suo sicco, potius sequitur dulcedo & maturatio maior. Sic lac calore aestatis, & pueri causo laborantis acidum redditur: Calore vero ventriculi sani, & calore ignis, redditur dulce. Quia ambo haec, humidum sicco permiscet: alterum ob temperiem, in qua consistit facultatis robur, & alterum ob vehementiam caloris, validam ebullitionem inferentis, valida autem ebullitio, humidum suo sicco, ob violentiam necessario permiscet. Tertio fieri potest ut calor non superet, ob ipsius materiae, quae calit rebellionem, & contumaciam coctioni inimicam. Aeliones enim actiuorum: sunt in patiente bene disposito. Quare quam habet rationem infirmus calor, ad materiam facile alterabilem, eandem validus habebit ad contumacem: quare ad consimilem qualitatem commutabit uterque. Hac ratione qui plurimum praedat, & qui intemperater aqua satiatur, in acetum vertit ingestos cibos. Sic etiam pituita acida, semper generatur in ventriculo hominis quantuncumque.

fani. Secundo de Naturalibus facultatibus, & quarto de Usu partium, autore Galeno. Duplex enim excrementum cuiusque coctionis, necessario exterit natura, vt supra quoque monuimus. Alterum crassum, tenue alterum. Primæ autem commutationis ciborum, quæ in ventriculo agitur, crassum excrementum feces sunt, tenue, pituita accida atque cruda, ex crudissimis alimenti partibus, coctu contumacibus generata. Fit ergo semper acor, ob calorem non superantem, sed mouentem & superatum, in re quæ acescit. Quod enim acescit frigidum redditur, atque tenue. Tenue quidem, quoniam aliquid passum est à calore: frigidum vero, quoniam calidum in ipso, non superat sed superatur.

Caput decimum septimum, de pituitæ
in alios humores transmigratione.



PITUITAM intra corpus manere, nec ei repurgandæ, ali-
quod instrumentum, naturam fabricasse, constat: quoniam scilicet
in corpore manens, non indiget vacuatione sed alteratione, secun-
do de naturalibus facultatibus, capite decimo quarto, autore Ga-
leno. Est autem hæc alteratio, vltior coctio, qua in sanguinem
commutatur: est enim pituita citra sanguinem, sicut bilis vltra.
Ob idque in medio biliosorum, atque crudorum, sanguinem contineri dixit Galenus
quarto libro de Tuenda valetudine. Fit ergo hæc pituitæ in sanguinem commutatio,
apud Auicennam prima primi de humoribus, necessitatis aut indigentia tempore.
Necessaria enim (inquit est) Ad hoc vt cum membra nutrimentum, quod ad ea con-
suevit venire, amiserint, quod est sanguis bonus, operentur in eo virtutes naturales
eorum, & coquant, & digerant & nutriantur ex eo. Sed cum membra, naturalia
agentia sint, omni arbitrato carentia, omni tempore agent, & commutabunt pitui-
tam. Tam satietatis (inquam) quam necessitatis tempore. Homo insuper opti-
me temperatus, iuxta artem tuendæ sanitatis gubernatus, cui semper suppetit pro
membrorum nutritione, decens sanguinis quantitas, pituitosam quotidie cacochi-
miam congereret: nam pituita in eo non vacuatur: quoniam natura non fabricauit
vas quo vacuaretur: nec commutatur: quoniam membra non destituuntur san-
guine: ergo semper magis atque magis congeritur, & ex consequenti irrita foret &
vana, ars tuendæ satietatis, quæ præcepta traderet quibus cacochimum minime
reddatur corpus. Satius ergo Galenus nullo temporis discrimine factò, pituitam
temporis processu coqui, & sanguinem effici, secundo de Victu acutorum commen-
tario trigesimo tradit. Hinc est, quod qui plurima abundant pituita, in mediam
facile ferant, vicem alimenti supplente pituita. Nec enim miraculum esse cen-
seo, quod refert Albertus, libro septimo de Animalibus, se vidisse Colonie mu-
lierem, quæ interdum totos triginta, interdum viginti dies, nihil cibi summeret.

Et

Et quod portius, puellam germanam narrat, per biennium sine cibo nutritam. Et
quod Aponēsis decimo problematum, in interpretatione vltimi problematis scri-
bit, se à viris probatæ fidei accepisse, puellam in Normandia, sua tempestate fuis-
se, annos natam triginta: quæ annos decem & octo nihil gustasset cibi. Et quod
de vrsis, refert Aristoteles, sexto de historia animalium capite trigesimo: & octa-
uo de historia animalium capite decimo septimo, vt minimum latere dies quadra-
ginta, & eo tempore, nihil omnino cibi summere, attamen adeo pinguescere, vt
non citra difficultatem, se possint loco mouere: atque quatuordecim primis diebus,
ita sopiri, vt ne tantillum quidem se moueant. Cuius rei, causam euidentissi-
mam, tradit Auicenna, libro tertio, capite de destructione appetitus, & debili-
tate, in hæc verba. Abstinet (inquit) vrsus, & chinus, plurimæque animalia, à ci-
bo: hyeme tempore extenso, quoniam natura operatur, in rectificando illud, quod
est ex crudis humoribus in corpore, digerendo ipsum, & administrando loco eius quod
resoluitur. Ex quibus manifesto constat, pituitam in sanguinem verti. Muta-
tionem vero pituitæ, in bilem flauam, non intercedente sanguinis forma: conce-
dit liber quidam de humoribus, Galeno adscriptus, ab Archangelo picolhomino,
nuper editus in lucem. Et ratione satis apparente, eius sententia videtur confir-
mari, nam talis in animantis corpore, potest excitari calor, vt acer sit, & mor-
dax, & omnino præternaturam, qui ad sanguinem procreandum, non erit ido-
neus, quique poterit pituitam expoliare, & humiditate & frigore, & in eam ip-
sam materiam, quæ occupabatur à frigore & humiditate, calorem ac siccitatem
inducere, atque etiam colorem flauum: quod enim album est, actione caloris fla-
uum euadere potest. Si ergo ex pituita potest gigni aliquid, quod siccum sit, &
calidum, atque flauum, & tale prorsus quale est bilis flaua: profecto videbitur
feri posse, vt ex pituita gignatur bilis flaua. Contra est tamen plurium seculo-
rum experientia, quæ post febres quotidianas, vbi acer, & mordax calor, pitui-
tam exagitat, nunquam aduertit, tertianam, aut ardentem febrem sequutas esse.
Tam dissident enim, pituita & bilis flaua, quam aqua & ignis: aqua vero in ig-
nem, immediate non vertitur, quarto simplicium, capite secundo, autore Galeno.
Ergo nec pituita, in bilem flauam vertetur vnquam. Si præterea, talis in corpo-
re excitetur calor, qualem memorant, aut putrefaciet, aut affabit pituitam, vn-
de aut nullus, aut attrabiliaris forte, gignetur succus. Maior autem difficul-
tas est, etiam à Manardo disceptata libro nono, Epistola secunda: An pituita,
in attram bilem transire possit. Nam quod non vertatur, apparet Manardo,
eo quod Galenus, sexto Aphorismorum, commentario quinquagesimo tertio, &
libro de Attra bile, post principium, duplicem statuit materiam attræ bilis, san-
guinis fecem, & bilem flauam. Duplicem quoque memorat tertio de locis capi-
te sexto: & libro 6. Epidemiarum, parte sexta, commentario tertio: & primo pro-
rhetici, parte prima, commentario quarto: scilicet bilem flauam, & attram ac
crassam

crassum sanguinem, nullibi de pituita mentione facta. Adhæc si pituita in attram bilem verteretur, comitalem morbum ex pituita ortum, in melancholiam commutare, non esset impossibile: cuius contrarium, scribitur tertio de locis capite quinto, & sexto. Nam cum morbus comitalis, fiat interdum, à melancholico succo, & interdum à pituita, autore Galeno septimo Aphorismorum commentario quadragesimo: Qui a melancholico succo excitatur, in morbum appellatum melancholia decedit: Qui vero à pituita, decedere nequit, apud Galenum tertio de locis citato. Secundo præterea libro Prognosticorum, commentario quadragesimo quinto, screationem albam glutinosam, ac rotundam, fieri dixit, propter assatam pituitam. Ergo pituita superassata, non amittit candorem: & ex consequenti in attram bilem non abit. Secundo etiam libro facultatum naturalium, capite nono, laudat Galenus, sententiam Praxagoræ, qui decem præter sanguinem statuit humores. Liquido autem constat, bilis esse quinque genera, ut scribit Galenus libro decimo simplicium capite de felle: pituitæ tria, secundo de Febrium differentijs capite nono: locus igitur tantum, duabus attræ bilis speciebus relinquitur: Et ex consequenti nulla ex pituita, bilis attra gignetur. Adhæc fieri nequit, ut ex albo in nigrum mutatio fiat, nisi per medios colores, immo & per medias substantias, libro primo Facultatum naturalium, capite decimo inueniente Galeno. Igitur pituita alba, non commutabitur in attram bilem, quæ nigra est, nisi prius fiat sanguis, & bilis, ceterosque præter hos colores consequatur. Nam in flauæ bilis transmutatione, id ita contingere aduertimus, quod in attram bilem non transit, nisi prius in vitellinam, porraceam, & æruginosam transmutetur. Ergo in pituita, tanto plures fieri medias substantias, quam in bile oporteret: Quanto maior est distantia albi, quam flauæ coloris, à nigro. Hanc autem varietatem, aut pituitarum, aut nigrarum bilium, nec ad sensum percipimus, neque apud autores legimus de humoribus scribentes. Addunt ex Aristotele, quarto Meteororum, capite nono, quod quæ multa humiditate redundant, sunt inepta vstioni: pituita ergo cum sit humidissima, non poterit superassari. Contra vero stat, plurimum seculorum experientia, animaduersa ab Auicenna, Rhaze, Mesue, & alijs: Quod post febres quotidianas & pituitosos morbos, ubi pituita exurit, visæ sunt febres quartanæ, & vitia alia attrabiliaria, migrante in attram bilem pituita. Nam prima quarti Auicennas, tractatu secundo, capite quadragesimo septimo, de febre quotidiana loquens inquit. Et quædoque magnus splen fit, & sequitur eam accidus ructus. Hæc autem palam est, esse initia quartanæ, tunc causas ac signa. Et ibidem capite sexagesimo: Iam (inquit) sciisti, quod melancholia præternaturalis, alia fit ex adustione sanguinis, alia bilis, alia phlegmatis. Et capite sexagesimo secundo diuersa ratione curat utrasque: Nam si fuerit melancholia pituitosa, properet (inquit) ad syrupum acetosum ex melle, cum succo apij. Et Mesue: Fit (inquit) quartana, succedens febre quotidiane à pituita exusta: & tunc da sacharum rosatum, cum succo

succo apij & fœniculi. Et Rhazes, decimo octauo continentium scribit ex autoritate Alexandri (quanquã apud Alexandrum, etiã si vniuersum voluerim, mihi non licuerit legere) quod quartana fit interdum, ex pituita sicca salsa. Ad rem etiã facere videtur quod Aëtius, sexto libro, capite nono, tertium melancholice genus, quod à ventriculo prouenit, fieri ex cruditatibus, ac mala coctione testatur. Ratio quoque suffragatur, nam si pituita putrescat, terreum aliquid, ac veluti cinis, eiusce putrefactionis, relinquatur est necessarium: fit enim humidum à sicco, dum aliquid putrescit separatio. Quid igitur obstat, terreum illud, per putrefactionem exustum, attram bilem appellare? terreum præterea hoc, si putrescat, quam rogo à quartana aliam febrem creabit? Si vero non putrescens, in partem aliquam corporis abscedat, non video, quod tumorum genus efficiat, nisi aut cancrum, aut elephantem vitia melancholica. Omnes tamen angit, quod Galenus, inter materias attræ bilis, totiens percensitas, nunquam de pituita meminit. Cui nos respondemus, rarum esse, attræ bilis, ex pituita prouentum: quod notat Auicennas, prima tertijs, tractatu quarto, capite decimo nono, in hæc verba: Et oportet ut scias, quod colera nigra, faciens melancholiam, quandoque est colera nigra naturalis, aut phlegma cum conuertitur in coleram nigram, propter spissitudinem: aut propter aliquam adustionem: quauis hoc sit rarum & parum. Id est ex pituita per adustionem, fit attræ bilis raro: quoniam non per quauis adustionem, sed dum vehementer aduritur: & parum, id est ex modica, eius quod aduritur portione. Nam cum pituita, humidissimum corpus sit, fere totum, in vapores & putridas fulligines abit: Terreum vero quod relinquitur, non est admodum momentaneum. Hanc ergo raritatem prætermisit Galenus, & post Galenũ eã recte notarũt Arabes, sicut & alia multa, antiquitati prætermissa. Nec obstat morbum comitalem, in melancholiam non verti, nam nunquam in epilepticis, putret, aut superassatur in cerebro pituita. Nec obstat similiter screationem albam, glutinosam ac rotundam, fieri propter assatam pituitam. Primo, nam si diutius in pectore, mansisset pituita illa, nigra forte redderetur: si enim satis fuisset exusta sreatio dicta, minime esset glutinosa. Secundo, quia ex pituita fit attræ bilis, non quauis exustione, sed putredine. Tertio quia non video, ad attræ bilis essentiam, cur sit tam necessarius niger color: si alia adsint quæ in attræ bile spectantur, scilicet substantia terrena, exustione genita, proprio temperamento frigida ac sicca, & quæ ob generationis modum, calorem vehementem asciiuit: cuius ratione, terram fermentat, & nostri corporis partes, exedit & vlcera. Sed nulla alia ratione, sputum rotundum, & grandinosum, tabidos reddit, quotquot illud spuunt, (sexto Epidemiarum parte tertia, commentario trigesimo sexto autore Galeno) nisi quoniam generatur, ab ardente circa pulmones calore: a quo attræ bilis more, summit vim excedendi, vlcera, & putrefaciendi pulmones ipsos. An dices ex attræ bile huiusmodi sputum non esse, quoniam candorem habet? minime: nam rei essentia, alia potius, quam colorem sequi assolet: Bilis enim suam essentiam

seruans, plures & induit & exiit colores. Et sicut non omnia nigra sunt attra bilis, ita nec ad bilem attram, necessaria est nigredo, si adsint reliqua. Nec si nigredo esset necessaria, credere oportet, quamlibet attra bilis materiam, ad equalem nigredinem assurgere: sed quæ ex melancholico succo fit, suapte sponte nigro, nigerrima erit: ex sanguine post ipsam: minorem nigredinem habebit ex bile: Pituitæ vero, dilutissima quædam sufficiet nigræ, candoris plurimum habens: qualis cinereus color est, & forte sufficiet adhuc, cinereo colore candidior. Nec necessarium item esse putet quispiam, si pituita denigranda est, per medios omnes colores, aut substantias transeat: farina enim, aut lana, & multa alia huiusmodi, igni admota, nigra redduntur: per subnigrum tantum, aut cinereum transeuntia: non pallida, non rubra, non flaua, non fulua, non viridia, non liuida, prius reddita. Quid ergo dicendum est Galeno, primo de Facultatibus naturalibus, capite decimo, ubi ita scribit: Vt rubrum flauum fiat, aut flauum rubrum, vnica simplici commutatione est opus: vt vero album nigrum, vel nigrum album, omnibus quæ in medio sunt. Dic Galenum voluisse, faciliorem esse transmutationem, ex medio in extremum, quam ab vno extremo in alterum. Nam plures ab vno extremo colore, in alterum, medijs colores interiacent, quam a medio in extremum. Non tamen voluit, quod omnia quæ transmutantur, ex albo in nigrum, & ex nigro in album, per eosdem colores transeant. Sed id pensandum est, iuxta naturam corporis quod transmutatur, & iuxta naturam causæ transmutantis. Si pituita enim transmutetur à calore naturali fiet sanguis & rubra: Si à præternaturali, cinerea: Si a frigore, alium forte colorem consequetur. Bilis antequam a frigore nigra fiat, liuida redditur: a calore non liuida, sed viridis. Chylus quoque in ventriculo confectus, cum omni ex parte sit albus, iocinoris calore alteratus, fit partim flauus, partim ruber, & ex parte niger, nullo, aut forte dilatissimo altero colore intercedente. Quæ omnia partim sunt referenda, naturæ causæ transmutantis: Partim naturæ corporis, quod transmutatur: Quæ per hæc aut illa media, volunt & agere, & agi, in colorem in quem tendunt. Minus vrget quod alij afferunt ex Aristotele, humidissima non posse vri. Nam humidissima vt aqua, & omnis terræ expertia, nequeunt vri: quoniam in talibus nihil est, quod sustineat vstionem. De pituita vero constat superassari, crassam, albam, & glutinosam reddi: quoniam terram ipsa continet, quæ ignem possit sustinere.

CAPVT decimum octauum, an

Bilis, sit sanguinis spuma.



AVICENNA prima primi de Humoribus, bilem naturalem dixit esse spumam sanguinis, quod videtur sumpsisse ex Galeno, quarto libro de Vsu partium, ad initium, & secundo libro de Naturalibus facultatibus ad finem, ubi humorum generationem in iocinore, comparat generationi vini in dolio. Sicuti enim, dum vinum

conficitur

conficitur, duplex prouenit excrementum, alterum leuius magisque æreum, quod aut florem aut spumam vocant, alterum grauius ac magis terreum, quod fecem appellant: Ita in sanguinis confectioe, dum chylus subigitur, & a iocinoris calore tractatur, quod feculentum est, ac crassum subsidet, innatat vero, quod tenue est ac leue, & veluti spuma quædam, in sanguinis superficie fluitat. Qua comparatione (parcat Aui-cennas) nolluit Galenus, bilem esse sanguinis spumam: sed spumæ vini proportionem respondere: tenuitate, leuitate, & situ. Innatat enim bilis, alijs humoribus, vt vel ex hoc, per vomitum magis, quam per deiectionem sit expurganda, Galeno autore, quarto libro Aphorismorum, commentario quarto. Accedit quod spuma, ortum habet ex flatu, crassæ materiæ intercluso, quarto libro Aphorismorum, commentario quadragesimo tertio, & libro item septimo Aphorismorum, commentario trigesimo, autore Galeno. Quare quiuis è tribus humoribus reliquis, aptior erit spumæ generandæ, quàm bilis tenuissima. Adhæc si bilis ex sui natura esset spuma, non adscriberetur ipsi flauus, aut luteus color. Nam octauo libro de Placitis pituitæ ob id albam apparere dixit, quia in generatione eius, multæ parvæ ampullæ in ea contineantur: quare si bilis, sui natura spumesceret, multo satius alba foret. Cum ergo ex omni humore, flatus concipiente, possit spuma generari: a quo humore genita spuma sit, declarat ipsius spumæ color: qui quanquàm spumescentiæ ratione, in album inclinat, seruat tamen nonnihil coloris pristini. Si enim rubea sit, aut in rubrum inclinat, ex sanguine: si penitus alba, ex pituita: si pallida, ex bile duxit ortum. Quæ ex pituita præterea ducitur, difficillime dissipatur, diutius permanens: quæ ex bile, statim euanescit, ob tenuem substantiam, quæ vapores inclusos non seruat: Inter hæc duo, medium tenet sanguis. Est ergo bilis, humor tenuis, leuis, fluidus: ex quo licet spuma, sicut ex alijs tribus, possit generari, ex sui tamen natura, spuma non est.

CAPVT decimum nonum, de Bilis naturalis speciebus, & ultra earum, sit naturalior.



BILIS naturalis color latitudinem habet, à pallido in flauum, per medium rufi: pallida enim, rufa, & flaua bilis, naturales sunt omnes: & ob id indifferenter his tribus nominibus vtuntur autores, vt naturalem bilem nobis indicent, primo Crisium, capite duodecimo autore Galeno. Vtra autem harum sit naturalior, dubitant quidam. Cui nos respondemus rufam bilem maxime naturalē esse, quoniam est in medio duorum extremorum naturalium, scilicet in medio pallidi & flauæ. Nam si rufæ bili, serosam humiditatem misceas, pallida redditur: si humiditatem detrahas, fit flaua: & naturæ in utroque colore seruat latitudinem: Nam pallida, & flaua bilis, naturales sunt: Hæc quidem vltior, & magis excocta, quæ a vesica

F 5 fellet.

fellea, magis quam alia trahitur, ut per aluum expurgetur: Illa vero ceterior, aquosior, & quodammodo crudior, quae cum sanguine manens, per venas lata, in rufam naturaliore, ipsarum coctione, ut corporis alitioni seruiat, commutatur. Quae si ulterius ibi excocta flavescat: non dum cepit esse praeternaturam. Quanquam non omnis flaua sit naturalis, sed ea tantum quae tenuis, humida, & fluida fuerit. Vitellina enim, quo ad colorem attinet, flaua est & naturalis: A natura vero, eo exorbitat, quod ad ultimum est excocta, non tenuis, non fluida, non humida, sed crassa & vitellis ouorum similis, secundo de Facultatibus naturalibus ad finem autore Galeno. Si vero horum colorum, exactam dignotionem assequi studes, sic consequeris. Pallidum insignitur colore citri maturi, aut maturae palae. Rufum quod appellat Auicenna rubrum clarum, auro non sincero simulatur, aut capillis in homine rufis, Galeno autore, secundo de Temperamentis (quod nos dicimus ruuio. Non quod appellamus bermejo) aut ut idem Galenus assimilatur, secundo simplicitate, capite primo, similis est colori flammularum. Flauum vero, aureum colorem notat, quod puro & splendenti auro, huiusmodi color similis sit. Aut ut Galenus assimilatur, secundo simplicitate citato, similis est carboni incenso. Quae doctrina satis consona est, traditis a Galeno, primo libro Crisium, capite duodecimo, ubi pallidum albo proximum posuit: Rufum vero, tantum a pallido discedere, quantum flauum, discedit a rufo. Rufus enim a flauo, eo tantum differt, quod rufus magis ad album, flauus vero magis ad splendidum vergit. Si enim amara bilis, albior & turbulentior facta sit, rufescit: Si vero splendens sit & purior, flavescit. Nam quod veluti igneum, in bile splendet, ipsam redit flauiore. Sed obtrudet nobis quissiam locum Galeni, è secundo libro de Temperamentis, capite decimo, ubi rufum colorem, flauum albiq; esse medium adstruit. Quare minus distat à pallido rufum, quam à rufo flauum. Sed dicendum, quod rufus color, flauum albiq; est medius, id est interiacet flauo atq; albo: non aequè distat. Quandoque etiam Galenus, bilem rufam praetermissit, vniuersam latitudinem bilis naturalis, comprehendens palido, & flauo. Nam medium, vtriusque extremi, nomen, & rationem, suscipere potest. Sic 6. Epidem. parte quinta com. 14. dixit: Flaua quidem bilis, proxima palida est, & eiusdem fere generis.

Capitulum vicesimum, an rubra


Bilis, ab humorum numero sit ableganda.



OST flauum colorem, ruber sequitur: tanto à flauo distans, quanto à rufo flauum distare diximus, primo Crisium capite duodecimo, autore Galeno. De quo sane colore dubium est, an alteri humori à sanguine conueniat: nam Auicennas prima primi de Humoribus, & Rasius Secundo continentis, & Actuarius libro primo de Iuditijs, capite decimo quinto, & libro primo de Causis

Causis, capite nono, & libro primo de Praeidentijs, capite sexto, bilem quandam rubram statuunt: Quae obscurum (inquiunt) ruborem acquirit, ex atra bile, quae bili naturali commiscetur. Quod etiam videtur sensisse Galenus, libro primo de Natura humana, commentario quinto, ubi bilem quandam rubram, per putrefactionem genitam percenset. Quanquam autem huius rubrae bilis generatio, ex dicta permissione, non videatur impossibilis, experimento tamen communiter medentium nunquam occurrit. Nec credibile est, tam rarum fore huius humoris prouentum: ut vel semel in vita, aut nobis aut socijs nostris, apud quos mille millium quotannis sanantur aegroti, non contingeret. Adde quod inter citatos autores, qui bilem rubram memorant, non conuenit. Rasius enim, & Auicenna, saeuissimam hanc bilem esse censent. Actuarius vero primo de praeidentijs citato, modestiorem eam, naturali crocea, aut aurea statuit, mitioremque in ferre sitim, & somnum non adeo perturbare dixit: quare nihil certum de ea tradunt. Accedit quod Galenus sexto Epidemiarum, parte quinta, commentario decimo quarto scribit: Excogitari non posse, ab alio abundante humore, quam à sanguine, rubrum colorem fieri: ubi etiam de rubra bile mentione facta dixit, eam esse sanguinis serum. Sciscitanti vero, quare serum sanguinis rubra bilis appellatur, respondet ipsemet Galenus, libro de Atra bile in haec verba. Sic igitur & rubram nonnulli bilem nominarunt, quae ad tenuem sanguinem, consistentia proxime accedit. Sed quoniam non coit, bilem idcirco eam appellat. Ex quo loco manifestum est, bilis nomen, sero sanguinis fuisse inditum, quoniam bilis more non concreuit: ob sanguinis vero quem seruat ruborem, rubrae cognomen ipsi fuit additum. Et bilis rubra, a veteribus appellatum. Unde & à Galeno ipso, inter biles quandoque percensetur, ut primo de Natura humana commentario quinto, quoniam scilicet sequutus est antiquorum nomenclaturam: Et ubi res non agitur ex professo, numerat eam inter species bilis. Eius tamen prouentus, ex causis supra memoratis, mihi non videtur impossibilis.

Capitulum vigesimum primum, de vitellinae bilis colore & consistentia.



INTER BILES praeternaturam, vitellina primo occurrit consideranda, haec enim quatenus ad colorem attinet, aut est naturalis, aut naturali multum proxima. Flaua enim est, autore Galeno, secundo libro de facultatibus naturalibus, ad finem. Nam licet bilis flaua recalsacta, mutet consistentiam, & seri dissipatione reddatur crassa, colorem tamen aut non mutat, aut intra terminum flauum, flauior redditur. Quod monstrant apertissime, Galeni verba, è decimo libro simplicium, capite de felle, quae ita habent: Seroso recremento, flauae bili commisto, pallidam constitui contingit: Sicut & flauam, plusculum excalsactam, consistentia reddi crassam, colore autem flauam. Quod vero flauus color, ut vitellina bile, sit intensior,

tenfior, quam in flaua, videtur ex hoc loco Galeni, nam quod flauum iam est, non potest flauum reddi, nisi flauis coloris intensione quadam. Et hanc intensiorem maiorem, in bile vitellina, significauit Galenus secundo libro de Naturalibus facultatibus ad finem: ubi post flauum addit igneum. Sunt autem hæc Galeni verba: In sanguine generando, quidquid abunde crassum, ac terreum, ex ciborum natura, in nutrimento fertur, nec commode à naturali calore alteratur, id lien ad se trahit. Quod vero assum, (vt sic dicam) vstumque nutrimenti est (fuerit sane hoc calidissimum in eo, ac dulcissimum, qualia sunt tum mel, tum adeps) id cum flaua bilis factum est, per fellis vocata vasa expurgatur. Est autem hoc tenue, humidumque & fluidum: nõ quale cum ad vltimum est excoctum flauum, igneum, & crassum, vitellis ouorum simile. Fit ergo bilis vitellina, ex flaua naturali, à calore plus iusto alterata. Dum enim recalscit, eius serum absimitur, & crassa redditur, atque flaua, adeo vt similis euadat, tum colore, tum consistentia, vitello oui crudi, libro de atra bile auctore Galeno. (Crudi (inquã) nam coctum pallefcit: crudum vero flauescit, vt experimento constat. Quod non intelligens Auerrhous tertio collectionum capite tertio, inepte transtulit vitellinam bilem, similem esse, vitello oui nati eo die. Fallitur autem, primo quia apud Galenum legitur crudi, non recentis. Secundo quia vitellum oui, parum ex ætate mutatur in colore, præsertim intra primam septimanam. Tertio, quoniam cum bilis vitellina, sit flauissima, & oia antiquitate magis flauescant, similior erit vitello oui antiqui, quam recentis. Quarto nam vitellinæ bilis similitudo, cum vitello oui, intelligenda potius est in consistentia & modo substantiæ, quam in colore: nam ouorum vitelli non sunt vnus coloris, sed quidam pallidi, alij rufi, & interdum flauis visuntur: substantia vero est vna, crassa scilicet perinde atque bilis, cuius serum fuit absumptum. Et ob id Galenus, separatim dixit, Bilem vitellinam flauam esse, & vitellis ouorum similem, libro de Atra bile, secundo libro de Naturalibus facultatibus, & decimo libro simplicium citato. Quoniam scilicet verbo flauum, exprimit colorem, similitudine autem cum ouorum vitellis, modum substantiæ. Quoniam autem hæc similitudo in substantia, non seruetur cum vitello oui cocti, ob duritiem & consistentiam maiorem, quam debeat humori, sua natura fluido, ideo comparauit Galenus cum vitello crudo, non cum cocto.

Caput vigesimum secundum, an vitellina sit humor simplex, an ex pituita cum bile mista constet.



CM ex flaua bile, propter exuperantiam caloris euaporata, & tanquam assata, fiat vitellina, vt ex Galeno nuper docuimus. Lubricus detegitur error Auicennæ, Haliabatis, Ysac, & Ioanitiy: qui vitellinam bilem ex permistione pituitæ, cum flaua bile generant. Primus autem qui hunc errorẽ aduertit, est Auerrhous,
 tertia

tertio libro Collectanei, capite tertio, & post eum iuniores plurimi. Primo quia vitellina licet sit crassa, lentore caret: quo non careret, si ex mistione pituitæ fieret, quæ viscida semper est. Secundo, quia cum vitellinæ color, sit flauissimus, & igneus, vt dictum est: fieri non poterit ex permistione flauis in bile, cum albo pituitæ: nam permistio albi cum flauo, potius retrahet ad pallidum, quam trahat ad flauis. Tertio nam vitellina, naturali bile esset frigidior, cum omnium sententia longe ardentior habeatur. Quarto nam bilis flaua, pituitæ permixta, similis erit non simplici vitello (quod oporteret) sed conuassato cum albumine. Atque talis sepe numero excernitur, per vomitiones & alium in tertiana notha, & semitertiana, atque horrida febre, & febribus quibusdam compositis. Vitellum enim atque bilis, flaua sunt ambo, albumen vero & pituita sunt alba. Hanc vero bilem ex huiuscemodi permistione natam, non prætermisit Galenus: sed a vitellina diuersam esse censuit: atque de ea & tenui quadam substantia croci coloris simili, mentionem habuit, secundo prognosticorum commentario trigesimo octauo. Et Hyppocrates septimo Epidemiarum, in historia filij Cidis, in quo excrementum prodijt subbiliosum, viscosum, & velut ex ouo conuassato subpallidum. Non ergo errant Auicenna & reliqui, quoniam genus quodam bilis statuunt, ex bile & pituita genitum (frequentissimum enim est, & tertianam notham atque alios morbos illegitimos creat) sed quoniam hoc genus bilis cum vitellina confundunt. Dialectica vero, atque curiosa nimis disceptatio foret, an in hoc bilis genere, ex bile flaua & pituita pauciori genita, seruetur vterque humor, alteri plurimum permixtus, an vero ambo, in tertium humorem degenerent, cuius vna sit forma substantiæ. Nobis enim sat est intellexisse, id genus bilis periodum tantum habere tertianum, non quotidianum. Si vero id contingat ob formæ vnitatem, aut quoniam periodus sequitur humorem dominantem in mistione, medicis parum est vtile.

CAPVT vigesimum tertium, De prassina & æruginosa bile, & vbi generentur.



BILIS porracea atque prassina, perperam à quibusdam distinguuntur, atque due esse putantur. Nam *πρασσινα* a quo prassina nomen duxit, porrum est. Et bilis prassina, est eadem quæ porracea: sic veteribus appellata, quoniam porri virorem præfert, secundo de Temperamentis, capite octauo, auctore Galeno. Ex quo alter quorundam detegitur error, qui porraceam bilem, succo porri similem esse ferunt, nam succus porri, est obscurior & nigrior, bilis vero porracea, clariorem dilutioremque habet viriditatem. Vt quæ ex prima commutatione, in viriditatem consurgat. Similatur ergo folio porri, vt voluit Galenus non succo.

Succo. Quæ vero post hanc, obscuriorem viriditatem habet, magis exusta est, & ad nigrum propius accedit, appellaturque æruginosa. Talis enim apparet, sicuti si quis optimam æruginem, aqua perfunderet, adeo ut ex eorum unione, talis substantia exultaret, quæ defruti crassitudinem representaret, quinto libro Aphorismorum, commentario primo, autore Galeno. Quod vero æruginosa obscurior sit, & ad nigrum magis accedat, quam porracea, constat: quoniam æruginosa ex porracea magis exusta generatur, & atra bili fit vicinior: Et ob id deteriora infert symptomata, memorata à Galeno duodecimo Methodi capite ultimo, & quinto libro Aphorismorum Commentario primo. Et ob id calidissima animantia, qualia sunt miluorum & aquilarum genus, felle visuntur æruginoso, ac nonnunquam atro, decimo Simplicium capite de felle autore Galeno. Hinc Auicennæ detegitur error, qui fen prima primi de Humoribus, bilem Zinariam Albicantem esse definit, quoniam scilicet ex prassina, magis adusta & desiccata generatur. Nam quæ aduruntur (inquit) eatenus nigricant, quatenus humorem, qui concrematur seruant: eo vero absumpto, & desiccato, alba redduntur. Exemplo sunt ligna, quæ primo in carbones, ultimo in cinerem vertuntur. Sic ergo cum bilis prassina magis torretur, partes humidæ in ipsa nigricantes & eam ipsam obscurantes, exoluuntur & desiccantur: generaturque zinaria, aut æruginosa, quæ propter dictam rationem, viridis est, viriditate magis quam porracea trabente ad albedinem. Sed fallitur Auicenna: Primo quoniam ut dictum est, porracea fit, ex prima commutatione ad viriditatem, ergo dilutiorem habebit virorem, & magis albicantem, quam æruginosa. Secundo, quia cum æruginosa, ad atram bilem propius accedat, obscurior & nigrior erit necessario. Si æruginosa præterea albicaret, ob humiditatis desiccationem: ulteriori vitione redderetur candidior, & in atrum humorem nunquam verteretur: quod tamen falsum esse, monstrant experimenta, & autorum omnium testimonia. Adde quod candor, in re concremata, ultimam sequitur siccitatem, quæ cum humoris essentia nequit stare. Fallitur ergo Auicenna, non quoniam bilis zinaria non detur (quod quidam existimant) sed quoniam porracea candidiorem esse censet, leui ratione seductus. Qui vero zinariam tollit, non aliam quam æruginosam negat: de barbaro enim nomine, barbaris autoribus, non est detrahenda fides: quos si consulas, & suum pandectarium adeas, intelliges zinariam esse æruginem: a qua zinarium, quasi æruginosum ducitur. De loco vero generationis, horum humorum viridum, dubium est, nam Auicennas porraceam, & æruginosam, frequentius in ventriculo generari censet: Is enim de humoribus, primo capite, ita scribit. Et quæ in stomacho generatur, duas habet partes, prassinam scilicet, & viridem ut ærugo æris. Galenus tamen, solam porraceam, in ventriculo gigni, est arbitratus, secundo libro Præfagiorum, Commentario trigesimo nono, & libro secundo de Temperamentis, capite octauo. De æruginosa vero nullibi quod legerim, tale

aliquod

aliquid reperitur scriptum. Nam quod libro de attrabile scripsit, bilem in ventriculo gigni, quam porraceam, à porrorum similitudine appellant, sicut & æruginosam, quod ærugini similis conferatur, denominationis est exemplum, non generationis ut constat Galeni verba expendenti. Accedit, quod si in ventriculo, generaretur bilis æruginosa, per integram sanitatem interdum excerneretur, sine morbo aliquo affectu, hoc vero non ipsi, sed porraceæ tantum bili contingit, tertio libro de Alimentorum Facultatibus, capite de melle, autore Galeno: Porracea ergo bilis, in ventriculo generatur, non æruginosa. Nec vero porracea, perpetuam generationem, habet in ventriculo: sed interdum etiam, in iecore & vniuersi corporis vasis generatur, propter calorem immodice assantem: secundo libro Præfagiorum, Commentario trigesimo nono, autore Galeno, ubi ita scribit.

At vero gignitur in corpore, quemadmodum crocea bilis, per naturam habentibus, ita porracea altera, præternaturam, constatque ut hæc sæpenumero, in ventriculo gignatur, propter quorundam cruditatem esculentorum, aut olerum, qualia beta, cepa, brassica sunt: atque ut etiam talibus nequaquam ingestis, ratione egrotationis, in venis gignatur: ac decumbat, aut in ventrem superiorem, aut inferiorem, calorem in corpore indicans præternaturam, atque excrementi proprietatem, talis temperamento, qualis prædictorum olerum succus est. Ex quibus plane Galeni verbis constat, duplicem generationem, porraceam bilem habere, vnam in ventriculo, propter quorundam ciborum cruditatem: & alteram in vasis, propter calorem immodice assantem. contra vero est, quod secundo libro de Temperamentis, capite octauo, bilem porraceam non modo gigni in ventriculo dixit Galenus, sed signum etiam distinctiuum significauit, quo distingueremus bilem euomitam, aut à ventriculo esse aut à iecore. Nam si pallida, aut flaua est, à iecore: si porracea, à ventriculo ducit ortum. Sic enim eo loci scribit. Tertium nota genus, in ipsis est vacuatis. Nam quibus in ventre, biliosum excrementum gignitur, id porri virorem præfert: at quibus ex iocinore descendit, ijs vel plane flauum est, vel omnino saltem pallidum. Ex quibus verbis facile deducitur, porraceam bilem, non alibi quam in ventriculo gigni, si inditium id firmum sit futurum. Quid in huius contradictionis solutione dixerint alij, non curo: ne in re aperta, in qua omne punctum tullimus, paginas impleamus. Quod sentio est, porraceam bilem excerni posse per morbos, & sine morbis: hæc in ventriculo, illa vero in vasis gignitur. Nam quæ ex ciborum ingestorum cruditate, in ventriculo generatur, non est mirum per sanitatem, citra corporis læsionem posse excerni: quæ vero altius egit radices, & ex praua dispositione vasorum, duxit ortum: sine morbo eoque graui excernetur nunquam. Libro ergo de Temperamentis, signa tradens Galenus, dignoscendorum temperamentorum, de porracea bile, quæ per sanitatem excernitur, fuit loquutus: libro vero prognosticorum, bilem vtramque est complexus.

Nam

Nam non parum, ad prædictionis vim attinet, nouisse: an ex cibis male in chilum conuersis, an ex praua dispositione vasorum, porracea bilis traxerit ortum, ut enim illa sine periculo est, ita hæc valde periculosa & interdum exitium portendit. Nec obstat, quod apud Galenum, tertio libro de Morbis popularibus, parte secunda, Commentario octauo, nunquam viridia, aut nigra, excernuntur sine morbo aliquo affectu. Nam supplendus est locus, ex tertio Alimentorum, capite de melle, ubi porraceam bilem excipit. Sic enim eo loci scribit Galenus: Diximus enim iam, sæpenumero medicos solere, bilem eiusmodi, simpliciter citra coloris adiectionem nominare. Reliquas vero biles omnes, cum coloris sui nomine explicare. Alias autem omnes, porracea excepta, cum corpus grauiter ægrotat, excerni videmus. Fluaa vero, & pallida, & porracea, etiam sine morbis euomuntur sæpenumero, ac deijciuntur. Ex quibus Galeni verbis aperte colligitur fluaam, pallidam, & porraceam bilem, & euomi & deijci posse, sine morbis. Fluaa & pallida quoniam sunt naturales: quæ naturalia autem sunt, citra magnum lapsum possunt augeri & excerni: Porracea vero, quoniam in ventriculo generatur: & sine interna læsione, ab externa cibi prauitate, prouenire potest. Cum certe ratione, porracea in ventriculo generata, morbosum aliquem affectum, ipsius ventriculi, non significabit. Nam ex causa externa ducit ortum, puta ex prauo cibo, a coctrice ventriculi non chilificato. Ex laudabili enim cibo, nunquam generabitur, autore Galeno secundo libro de temperamentis, capite octauo, ubi sic ad verbum scribit: Præterea quibus in ventriculo, bilis illa gignitur, quæ porri colorẽ immittatur, debet omnino q̄s, cibis fuisse non panis, non suilla caro, simileue aliquid: sed necessario aliquid, quod his calidius fuit, neque id boni succi. Sed iam hic insurgit Auerrhoës, qui tertio libro Collectionum, capite tertio, porraceam bilem, in ventriculo, nulla ratione posse generari censet. Primo Nam ventriculus, est membrum frigidum, non poterit ergo calidissimam bilem, qualis porracea est generare. Secundo nam si iecur, dum recte valet, est causa bilis naturalis, erit quoque dum ægrotat, causa bilis præternaturam. Non enim alteri, est referendum innaturale, quam cui naturale conueniebat. Sic enim si ventriculo recte valenti, tribuitur naturalis chilis confectio: non erit alteri membro à ventriculo, referenda confectio chilis vitiatæ & innaturalis. Tertio, nam prassinæ bilis, prauus humor est, & qui veneni naturam sapit, cuius potentiam sæuiora sequuntur symptomata, quam ex cibis, male in ventriculo confectis, sequi par esset. Hanc difficultatem, fugere forte volens, Nicolaus Florentinus, sermone quinto, tractatu primo, capite vndecimo, huiusmodi bilem, in ventriculo gigni perhibet: ipsam tamen verum humorem esse negat. Huiusmodi enim bilis, & alij etiam nonnulli succi, quanuis humoris exhibeant phantasiam, æquiuoce tantum, humores sunt appellandi. Sed parum pro Auerrhoë dictæ rationes urgent, nam porracea bilis, non calet ex ventriculo generante, sed ex materia ex qua generatur, porro scilicet cæpa allio.

allio. Aut simili aliquo succo calido atque viridi, non bene in chilum conuerso. Taleque habet temperamentum, qualis prædictorum olerum succus est, ut secundo libro Prognosticorum, Commentario trigesimo nono, scribit Galenus. Nec obstat secundum, nam pituita naturalis, gignitur in iecore, acida in ventriculo, & præternaturam altera, quæ mucus potius est quam pituita, in cerebro, ut autor est Galenus, libro secundo de Naturalibus facultatibus: ventriculo tamen, aut capiti, non inest vis generandi naturalem pituitam. Minus difficile est, quod tertio obijcitur, nam bilis prassinæ in iecore ac vasis genita, prauus humor est, & seu symptomata inducit, letalesque morbos, magna ex parte parit. Quæ vero in ventriculo generatur, sine morbis etiam excernitur, quoniam nec sequitur, prauam corporis dispositionem, nec in altum corpus penetrat.

CAPVT vigesimum quartum, De bile cærulea, & isatidea: in quo, omnes bilis species recensentur.



POST bilem æruginosam, memorat Galenus, decimo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite de felle, bilem cæruleam, & Isatideam: quæ magis quam ipsa æruginosa, ad atrum colorem vergunt, & fiunt quotiens calida animantia, fame, siti, atque labore violento, torquentur, quod in tauris defatigatis, & vinculis violenter tractis, sæpe vidit Galenus, & quotidiano nos experimento aduertimus. Sunt autem hæc duæ species bilis, adhuc in genere viridium, nam cærulea est in colore Isatidis, seu glasti (Hispani vocamus pastel) qui quidem, magis est colore brassicæ fuscus, & nos appellamus azul cerrado. Vnde constat in genere viridium, quatuor species bilis contineri: prassinam, & æruginosam, de quibus egimus capite superiori: & cæruleam, atq; Isatideam quæ hic commemoratur. Quod aperte sensit Auicenna fen decima tertia tertij, capite octauo sic scribens, Et viridis ad nigredinem decliuus sicut azul indicium, secundum plurimum significat conglantationem caliditatis. Quibus verbis patet, azul non esse extra genus viridium, ut diximus. Quæ certe ratione, autores qui de Isatidea, atque glastea bilibus, nec meminere, nec morbis, ab ipsis enatis, remedia perscripserunt, accusandi non sunt: quoniam ut vno genere viridium continentur, ita in remedijs & prædictione cum ipsis conueniunt. Thamarindis enim, Crystallo, & frigidis alijs alexipharmacis, si aduersus bilem omnem viridẽ ac venenatã vtaris: simul & non multum promiseris, curationi & prædictioni te satisfecisse puta. Si quispiam vero, ad omnia quæ de bile, à nobis dicta sunt, animum aduertat, intelliget bilis esse species octo, tres naturales, pallida, rufa, & fluaa, & quinque, præternaturam, vitellina, prassinæ, æruginosa, cærulea, & Isatidea. Nec refert, si pauciores interdum memorentur species, nec adeo exac

ta fiat ipsarum diductio apud autores. Nam & harum, ad minorem numerum, fieri potest reductio, si tam minutæ differentiæ, non recenseantur: pariter & ad maiorem, si minutiores differentias consideremus. Innumeræ enim sunt bilis species, præsertim quæ ex putredine constant, libro de natura humana cōmentario decimo sexto, autore Galeno. In transitu enim, vnius humoris ad alium, per infinita pene pertransitur. Et hinc ortum habent cineritiæ, ferruginosæ, fumosæ, indicæ, & aliæ bilis species eiusmodi, quæ apud autores leguntur.

Caput vigesimum quintum, De commutatione bilis, & in alios humores transmigratione.



VM BILIS sit ultra sanguinem, & ex sanguine plus calido facto generetur, in sanguinem redire nequit, secundo Acutorum, Commentario trigésimo, autore Galeno. Quare nec in pituitam commeari valebit: est enim pituita sanguine ipso citior. Nec obstat, quod phrenitis, ex Auicennæ atque Aëtij decreto, plurimum refrigerata, in lethargum quandoque decedat: Id enim citra commutationem bilis in pituitam fieri potest, bile atque sanguine valde refrigeratis, & etiam pituita, per usum narcoticorum, tum aucta, tum etiam plurimum incrudata: simul & facultatē animalī, adeo per narcotica dicta sopita, ut quem soporare volumus, excitare postea non possimus. Quod vero tertio libro acutorum, Commentario trigésimo octauo scribitur, Amara in pituitam decedere, cum ab aceto in sublime attolluntur: nec à Galeno interpretatur, nec a nobis, pro genuina Hippocratis sententia recipitur. Nam acetum bilem diffecans, & contemperans, ut quid ipsam in pituitam vertat, non capio. Quin & acetum, pituitam non gignit, sed tenuat, secat, subigit, & tractabilem reddit, ut tum a natura, tum ab expurgantibus medicamentis, facile è corpore deturbetur. Nec in melancholicum succum, bilis vnquam vertetur: nam nihil magis distat a fece, quam flos: est autem melancholicus succus, fex quæ subsidet in sanguinis confectione, bilis vero, flos innatans. Quare non commutabūtur in se se. In quem vero humorem, commutari possit si requiras, Galenum audies, sexto libro Aphorismorum, Commentario quinquagesimo tertio, & libro de Attra bile, post principium, & alibi, sepe dicentem, quod bilis flaua, est attræ bilis materia, & meat in attram medio vitellinæ, porraceæ, æruginosæ, cœruleæ, atque Isatideæ. Sed hesitabit forte quispiam, quare si vitellina, porracea, æruginosa, cœrulea, atque Isatidea, connumerantur Galeno, atque alijs autoribus, inter species bilis: non veniat etiam in eorum numerum, bilis attræ computanda? cum pauculam quandam alterationem, vltterius sit perpeffa, & modo dictis, sit valde proxima? cui nos respondebimus, quod attræ bilis, non connumeratur inter bilis species, quoniã non ex sola bile, sed ex alijs

etiam

etiam humoribus, generationem obtinet. Secundo, quoniam attræ bilis, periodum tertianum, qui est de natura bilis non seruat: Sed quarto quoque die repetit, more attri succi, cuius nomenclaturam accepit, sicut & colorem, & repetentiam, fuit mutuatus.

CAPVT vigesimum sextum An succus melancholicus, sit sanguinis fex: & an ab Hippocrate, inter quatuor humores recipiatur ceu eorum vnus.



SICVT in sanguinis generatione, supereminens flos, bilis appellatur, ita & quæ subsidet fex, atter succus: & interdum melancholia, idest attræ bilis nominatur. Quoniam hoc nomen, minus huic succo naturali quadret, quam alteri prauo, & præternaturali, per excusionem genito, tertio libro de locis capite quinto: & quarto libro Aphorismorum Commentario vigésimo primo, autore Galeno. Nam succus atter, quartus est humor, tum ab omni bile, tum à duobus reliquis humoribus distinctus, & corporis constitutioni, æque atque ipsi necessarius. Frigidus enim atque siccus existens, materiam præstat opportunam, nutriendis ossibus, neruis, venis, arterijs, cartilaginibus, membranis, & reliquis partibus, tali temperamento præditis. Nec obstat Cardanus, libro primo contradictionum, tractatu tertio, capite 18. qui melancholicum succum, à fece sanguinis diuersum esse vult, primo quoniam (ut inquit) sanguinis, fex sanguis est, nec diuersam ab eo, nanciscitur naturam. Secundo, quoniam melancholicus succus, frigidus & siccus est, sanguinis autem fex, calida & humida. Nam & fex (inquit) vini, & olei, suorum humorum naturam agnoscunt. Tertio quoniam sanguinis fex, gellatur, sicut & sanguis ipse: Succus autem melancholicus, non gellatur libro de Attra bile, autore Galeno. Sed friuola hæc sunt, nam sicut fex vini, vinum non est, nec olei oleum, ita etiam limus sanguinis, ab ipso sanguine distat. Fex etiam vini, & olei, frigida est atque sicca: nisi quatenus vini aut olei aliqua substantia, cum ipsis retinetur. Sanguinis præterea fex, nec gellatur, nec (ut existimant) fibras habet: Quare siue melancholicum succum, appelles Hippostasim sanguinis, siue limum, siue fecem, aut turbulentiam sanguinis, nec errabis, nec a probatis autoribus discedes. Quod vero libro de genitura, succus atter, ad humorum numerum non vocetur, apud me est satis difficile. Sic enim eo loci apud Hippocratem reperitur scriptum: *εἰς τὸ δὲ τέσσαρες ἰδέαι τοῦ ὑγροῦ, αἷμα, χολή, ὑδωρ, καὶ φλέγμα.* idest: Sunt autē quatuor humorū species, sanguis, bilis, aqua & phlegma. Et subdit: Homo namq; tot humorū species, congenitas habet, a quibus morbi, tum fiunt, tum

C 2 etiam

etiam iudicantur. Quibus verbis Hippocrates, tū a seipso, tum ab omni medicorum cœtu, dissentit. Nam sæpe alibi, quatuor hos humores enumerat: sanguinem, bilem flauam, bilem atram, & pituitam. Dicit forte posset, per aquam intellexisse pituitam, per phlegma vero, bilem nigrā, à verbo πηλαχόαι quod vstum esse significat. Sic enim eo nomine, vsum fuisse prodicim, testis est Galenus, secundo libro Naturalium facultatum ad finem. Sed obstat, quod nunquam flegmatis nomen, alia significatione, vsurpatur Hippocrati, quam ea, qua passim vtitur libro de Natura humana, pro eo scilicet humore, frigido & humido, quem Latini pituitam appellant. Ob id forte dicitur melius, aquæ nomine, atram bilem intelligendam fore. Nam libro quarto de Morbis, eandem sententiam repetit, & melancholicum succum, aquam appellat & hydropem: ob id forte, quoniā is succus, lienem obstruens, aquam intercutem frequenter solet excitare, nomine consequentis dato causæ. Sunt autem eo loci, Hippocratis verba huiusmodi: Habet autem & mulier & vir quatuor humoris species in corpore, à quibus morbi fiunt, qui non à violentia aliqua fiunt. Sunt autem species hæ, pituita, sanguis, bilis, & hydrops siue aqua. Quibus verbis, si per aquam vt quidam volunt, humorum serum intelligamus, duplex notabitur error: vnus, quod atrum succum prætermiserit: & alter, quod humorum serum, ad numerum humorum admiserit: cum tamen non sit humor, sed humorum nos alentium vehiculum. Satius ergo est, vt per aquam, atrum succum intelligamus, eam enim lienem adscribit, idem Hippocrates libro quarto de Morbis, capite octauo & nono, sicut bilem flauam iecori. Sed non est, cur tam anxios nos reddant, sententiæ quedam, libris Hippocratis, ab alio potius, quam ab Hippocrate interdum insertæ: qualis forte hæc est, quæ humorum numerum, (aliter quam ipse, ex professo tradiderit, libris genuinis & emendatioribus) memorat. Plura enim loca alia reperies, quæ si ad vltimum ducantur examen, quenuis lectorem ancipitem reddent.

CAPVT vigesimum septimum,

qua ratione succus melancholicus, à reliquis nigris humoribus, distinguatur.



NIGRARVM deiectionum, differentias tres, percēset Galenus, libro de Attra bile ad initium. Primam sanguinis, qui ob refrigerationem nigrescit. Alteram fecis sanguineæ, quam atrum succum naturalem esse diximus. Et postremam atræ bilis exquisitæ, quæ per exustionem aut bilis, aut melancholici succi, frequentius generatur. Prima ex his, à reliquis distinguitur, concretione substantiæ: nam ex omnibus humoribus, solus sanguis concrefcit, gellatur, & coit in thrombum aut grumū, tum quia pinguis, tum quia fibras habet, tertio libro de

de historia animalium, capite decimo nono, & secundo libro, de Partibus animalium, capite quarto, autore Aristotele. Attra vero bilis, ab attrō succo, distinguitur acore, splendore, fermentatione terræ, & animalium fuga, quæ non insunt succo melancholico. Primum sane horum, est acor: de quo an succo insit melancholico dubitatio est. Nam tertio libro de locis patientibus, capite septimo, dixit Galenus ἡκιστα μετέχει ποιοῦτος οὐκ ἔστι quod est minime participat qualitate acida. Et quarto libro Aphorismorum, Cōmentario vigesimo primo de deiectionibus melancholicis, quæ attrabiliæ non sunt, scribit δριμύ και διαβρωτικὸν και ὀξυδερὸν εἶναι Quod est acre, & corrodens, & acidum non habent. Contra vero quinto libro de Vsu partium, capite quarto, succi melancholici saporem, acidū & austerum esse scripsit. Tertio quoque libro de ratione victus in acutis commentario trigesimo octauo, non modo acidum esse huiusmodi succum, sed plurimum acoris habere adstruxit. Hæc sane in Galeni verbis apparēs contradictio, ita soluitur. Habet succus melancholicus, quoniam frigidus atque siccus est, & terræ substantiæ, saporem satis acidū, & adstringentem, ex sui natura: occultitur tamen alieni saporis mistione: dum enim naturam suam seruat hic humor, & recte valet corpus: sanguinis dulcedine cuius ipse est limus & sex diluitur, atque ob id occultatur eius acor. Dum vero torretur, & attrabilis fit, sanguinis dulcedine amissa: mordax fit veluti acetum, quarto Aphorismorum, commentario vigesimo tertio, autore Galeno: nam tunc acorem syncerum ostendit, quem antea ob mistionem alieni saporis, non ostendebat, vt tertio libro Acutorum, Commentario trigesimo octauo scribit Galenus. Cum ergo tertio de locis, & quarto Aphorismorum Galenus, succum melancholicum dixit, acida qualitate non participare, de manifesta & syncera intelligatur. Nam id ipsum etiam reliquit scriptum Galenus, libro de attra bile in hæc verba. Quippe hæc (De naturali melancholia loquens) neque acerbitate, neque acore, manifeste participat. Et tertio libro de ratione victus, Commentario trigesimo octauo hæc habet. Nam & bilem nigram acidam esse contingit, cum scilicet præternaturam habente corpore, & syncera & impermixta fuerit. Nempe cum recte valet, plurimum quidem prædictæ habet qualitatis, non tamen exquisitam ipsam. Vnum tamē hic expedit aduertere, in dignotione atræ bilis, quod nomine acoris, non modo venit intelligenda qualitas gustatilis, sed altera etiam innominata qualitas, mouens odoratum: habet enim attra bilis, inuicundum quendam odorem, qui acori, proportionem respondet. Nam in vniuersum acida omnia, sicut & acetū ipsum, similiter odoratū mouent, atq; gustum, quarto libro simplicium, capite vigesimo secundo, autore Galeno. Quod autem attra bilis, ex odoratu quoque innotescat, ab eodem Galeno libro de Attra bile traditum esse constat. Alterum vero, non minus aduertendum est, quod quauis atram bilē esse acidā, sine distinctione scripsit Galenus: non de omni, sed de ea, quæ à succo melancholico adusto fit, eam sententiam intelligimus. Nam quæ acerbæ & austera sunt, in acidum saporem, vltius calfacta verti possunt. Amara vero aut dulcia, nequeunt vstione acida

reddi. Dulce enim vstione amarescit, amarum vero, vstione aut non amittit amaritudinem, aut in salsum commutatur, cum nimirum aqueum aliquod sibi miscetur.

Altera nota, atra bilem, à succo melancholico distinguens, est splendor. Nam quæ ab igne, plurimum passa sunt, ignis conditionem assequuntur: & quanquam nigra ipsa redlantur, splendentem tamen accipiunt nigredinem, quarto libro Aphorismorum, commentario vigesimo tertio, autore Galeno. Contra vero nigrum, quod à frigore nascitur, & ignis vim non experitur, obscurum & turbulentum necessario euadit, tertio de causis symptomatum, capite octauo teste Galeno. Distinguitur tertio atra bilis, a naturali melancholia, terræ abrasione, aut si mauis dicere fermentatione. Est autem fermentatio, intumescencia quædam, eius quod fermentatur, a re quæ fermentationem inducit. A qua vero nascatur causa, proptum respondere non est. Siue enim à calido, siue a frigido, oriri respondeas (vtrumq; enim dicunt) In obscuras ambiguasq; rationes, te ipsum conijcies, primo libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite trigesimo autore Galeno. Plura enim tibi ostendam, æque calida, aut frigida, quæ nullatenus fermentant. In difficili autem hoc problemate, si experimentis attendas, & vtrorumq; rationes expendas, probabiliorem eorum sententiam iudicabis, qui a calore eximio, subito vertente materiam subiectam in flatum, fermentationem nasci tradunt. Flatus enim genitus sicut & spiritiosa omnis substantia, ob lenitatē, motionem quandam nanciscitur, vt extra erumpat, a re quæ fermentatur. Hæc contra, ob crassitiem substantiæ, non datur exitum facilem spiritui, ab ipso spiritu aut flatu intumescit, cauatur, & ampullas, atq; leuem quandam effervescentiam ostendit. Sic cum acetum acre, in terram effusum fuerit, protinus intumescens, sursum quasdam terræ partes, simul attollit: fitq; compositum quodam, ex terrestri substantia, & aceti humiditate, & ex facto vaporoso spiritu. Simile rei huic contingit, cum atra bilis, in terram effusa fuerit, nempe & in vtroq; spiritiosa quædam motio euidenter fieri videtur, ei similis, quæ in feruente musto apparet. Simile quoq; & in panibus, quotidie fieri videtur, cum remista aquæ, tritici farina, misto illo & fermento, mediocriter macerari permisserint, fermentatio fieri videtur, fusa simul, & intumescente, quæ fermentatur substantia. Urinæ quoq; fermentatæ (seu vt barbari loquuntur fenestratæ) apparent, vbi a valido calore perturbantur, agitanturq; crudi humores, vt in dysode contigit, secundo Prorrhæticæ commentario quadragesimo. Distinguitur præterea bilis atra, quoniam ad ipsam, nec musca, nec aliud ex domesticis animantibus accedit: Eam enim ceu venenum refugiunt. Ad melancholicam vero naturalem, & sanguinis limum, omnia istiusmodi animantia, alliciuntur vt prandeant, & vtantur ea, vice alimentum. Est enim miranda, in multis brutis sagacitas, in dignoscendo alimento, fugiendo veneno, & perquirendo ad suos morbos medicamento, adeo vt homines, ab ipsis multa didicerint. Oues enim & boues, gramine pascuntur, & sibi salutaribus herbis: intactis tithymallo, atq; oleandro venenatis. Hirundines quoq; chelidoni ã oculis prodesse nos docent.

Caput

CAPVT vigesimum octauum, quæ caloris mensura, melancholico succo generando, sit idonea.



Et causa generante melancholiam, dubitant an fiat a temperato calore? An ab immodico? an forte ab imminuto? à temperato enim fieri, dixit Auicenna fen prima primi de Humoribus, & huic attestatur ratio, nam temperatum iecur, melius coquit alimentum: quo autem coctio fit melior, eo plus excrementi separatur: magis ergo subsidebit lutulenti, in temperato iocinore, quam in alio.

Aperte enim errat Cardanus lib. i. Contradictionum, tractatu tertio, capite decimo nono, vbi Auicennæ codicem emendat, pro calore temperato, intemperatum legens. Ab imminuto vero calore generari, eo constat: quod temperatura melancholica, plus generat melancholiæ, ex qua nutrimentum sibi proueniat. In autumno præterea, inter anni tempora, & in ætate consistendi, vbi iam corpus cepit refrigescere, plus melancholiæ congeritur, tertio libro Aphorismorum, commentario trigesimo autore Galeno. Quanquam hoc loco Galenus & sæpe alibi, prouentum melancholiæ in autumno, & consistendi ætate, magis rejiciat, in ætatem & iuuentutem, quæ bilem adusserunt, & exustam, in autumnum, & ætatem consistentem deriuarunt: Verumtamen, præter bilem exustam, ex antea cto tempore, & ætate translata, temperatura inclinantis ætatis, & autumi, quæ magis frigida est quam calida; sicca autē euidenter, ad melancholicum succum parandum est idonea. Ob idq; tertio libro aphorismorum, commentario vigesimo secundo, non modo quæ ab atra bile, proueniunt mala, autumno adscripsit, vt sunt furores & atræ biles: Sed febres erraticas, & quartanas, & lienes, quæ maiori ex parte, à melancholico succo creantur. Quod vero ab immodico calore, melancholicus succus generetur, constat ex Galeno libro secundo Crisium capite duodecimo, vbi dixit, ostensum esse, in naturalibus sermonibus, quod sanguis, ex moderato calore generatur, flaua autem bilis, ex maiore, atra vero ex sufficienter immodico. Nec valet quod quidam dicunt de præternaturali, non de naturali loqui, nam sanguini, & flauæ bili naturalibus, illius generationem cõparat. Multa sunt quæ in hac difficultate mentiuntur Fulgmates, Vgones, & Apponenses, quæ nos vtilitati, & breuitati studentes, consulto præterimus. Quod vero nos de Galeni sententiâ esse credimus, est, melancholicum succum, prout ab atra bile distinguitur, nõ vnus modi sed multifidum esse. Quidam enim est naturalissimus, exacte coctus, & a naturali calore sufficienter alteratus: alter citra: & alter ultra: hunc progreditur. Qui enim vix, aut omnino nullam, a calore naturali, alterationem suscepit, sed ipsa est terrea alimentum portio, quæ vix aut nihil alterata, in sanguinis generatione separatur, ceterior est. Qui vero ab immoderato calore cepit aduri, versus extremam atræ bilis, vltior. Nã nõ ab initio adustionis est atra bilis exquisita

sed in adustionis termino. Cum ergo, triplex hic melancholicus succus habeatur, & non vnus: triplicem quoque, a quo generetur, causam habeat oportet. Naturalissimus & maxime coctus, a calore fit temperato: ceterior, ab imminuto: vltior vero, ab immodico. Hic autem aduertere oportet, quod maior pars melancholici succi ceterioris, in lienem fertur: sicut eius qui absolute coctus est, in venas cum sanguine transfumitur ut testis est Galenus, lib. 2. de Natur. facult. capite vltimo, in hac verba. Quod admodum est crassum & terreum, ac prorsus eam quae in iocinore fit mutationem subterfugit, lien ad se trahit, reliquum quod mediocri est crassitudine, id & absolutum iam est & in omnem partem fertur. Succus vero melancholicus, siue ceterior, siue naturalis, & maxime coctus: si diutius in corpore detineatur, in vltiorem transit, etiam bene valente homine, & vltimo in attram bilem exquisitam, a qua exitiosa statim prodibant mala.

CAPVT vigesimum nonum, an lien,

nutriatur succo melancholico, & vtrum ex recremento
suae nutritionis, naturalem famem excitet.



SICVT stercus hominum, est canibus suauissimus cibus, ita melancholicus succus, in sanguine subsidens, est lieni iucundum & familiare alimentum, tertio libro de Facultatibus naturalibus, ad medium autore Galeno. Habet autem hoc dubitationem, nam quarto libro de Vsu partium, trium membrorum nutrimentum comparans, pulmonis, scilicet iecoris, & lienis, sic scribit Galenus. Vt autem summam perstringam, nutritio horum trium viscerum sic habet. Hepar quidem ex rubicundo & crasso sanguine: Splen autem ex subtili sed nigro: pulmo ex elaborato ad vnguem, flauo, subtili, spirituofo, ac puro summit alimentum. Iam vero carnis eorum species, ad portionem nutrientis succi se habent. Ex quo Galeni loco constat, lienem nutriri tenui alimento: quo modo ergo nutrietur succo melancholico, crassissimo, limoso & feculentissimo? Huic sane dubitationi, dicendum ex Galeno est, quod lien, habet substantiam raram & laxam, spongiae modo, ut facilius crassos humores ex iecore, tum alliciat, tum suscipiat: habet praeterea numerosissimas arterias, ut earum beneficio, crassi humores tenuentur, & idonei reddantur nutriendae carni laxae. Praestant autem eum usum arteriae, spiritu vitali, per ipsas a corde influxo: cavitatem propria, quae lienis raritate conseruat: & vtroque motu, tum distentionis, tum contractionis. Nam eleuatione, insitum lieni calorem refrigerant, & conseruant: submissione vero, fulliginosa recrementa expellunt. Quae cum propter humorum, in eo contentorum prauitatem, & crassitiam, plurima sint, merito tum multae, tum grandes extiterunt. Quod autem, ab ea quae in splene fit elaboratione exciderit, neque in sanguinis tenuis, ac utilis, speciem transmutari potuerit, omnino inutile fuerit ad nutriendum: hoc

ad

ad ventriculum, per alium quendam venosum canalem, splen eructat, vtilitatem & ipsum, non contemnendam praestitutum. Sed cur melancholicum succum, non traduxit natura, ab splene, in proxima ano intestina: compendiosior enim ea via, erat futura, quam per ventriculum? Dic id factum esse, primo quoniam oporteret, meatum a liene in dicta intestina protensum, esse angustum & plus iusto longum: angustum quidem, ad portionem paucitatis excrementi melancholici: longum vero, propter ipsius interualli longitudinem. Angustus vero, & omnino longus meatus, iniurijs est maxime opportunus: In longo enim, atque angusto itinere, aut fractione, aut obstructionem a crassissimo succo non aufugeret. Adde secundo, quod ijs quae expelluntur, solet in transitu, abuti natura, ad alios vsus: ob idque bilem, ad duodenum, non autem ad rectum intestinum transmissit, ut sua acri, & abradente qualitate, intestinorum omnium sordes mundaret. Sic melancholicum succum, ad ventriculum traduxit, ut acerba atque acida sua qualitate, ventriculum constringat, intendant, ac in se ipsum contrahat, ut cibos quousque fuerint percocti, circumplectatur, & retineat. Coctionem enim eo promouet hic succus, quoniam contentrici oppitulatur, ut quinto libro de Vsu partium Galenus est autor. Auicenna vero prima sen, primi libri, doctrina quarta, capite primo, Succum melancholicum, ad ventriculum confluens, vsus alium inuenit, Galeno indictum, quod nimirum famem naturalem excitet, scribit autem in hunc modum. Vtilitas ideo accidit, quod in os stomachi, quasi mulgendo profluit. Et haec quidem vtilitas est duobus modis, vno quia os stomachi stringit, & confortat, & inspissat: alio ut in ore stomachi, comotionem faciat, propter acredinem, & excitet ad famem, & faciat desiderium. Ex quibus verbis, nemo non videt, Auicennam, primo vsui ex galeno desumpto: suum alterum, de Famis naturalis excitatione asserere. Auicennae subscribitur, omnes quod sciam practicarum scriptores, & medicorum maxima turba, & est sua haec sententia non omnino improbabilis. Primo nam si accida, atque adstringentia cibaria ingesta, appetentiam mouent, cur eam vim non obtinebit, melancholicus succus, accidus, atque adstringens? Secundo, quoniam melancholicus succus, dum immodicus congeritur, & ventriculum perfundit, famem caninam & immodicam facit: modicus ergo, & qui secundum naturam quotidie influit, temperatam excitabit, & naturalem. Tertio quia vna causa fastidij, est prohibitus defluxus melancholici succi, ab splene ad os ventris, ut constat ex Auicenna decimatertia tertij, tractatu secundo capite septimo: Et est locus transcriptus ex Paulo libro tertio, capite quadragesimo nono. Si igitur absens appetentiam deiecit, praesens, excitabat. Quarto, nam corpora, laudabili sanguine referta, & nullatenus inanita (qualia athletarum corpora sunt) naturali fame, nunquam famescerent, nisi ex melancholia huiusmodi fames prodiret.

Contra vero est veritas, Primo quoniam naturalis fames, non fit, sine nostri corporis iactura, ut constat ex Galeno, libro primo de causis symptomatum, capite septimo, & ex Aetio, sermone nono, capite vigesimo. Vbi quinquaginta, symptomata, necessario se consequi testantur, ut secundum naturam fames comitetur. Primum, est

G 5 vacuatio,

vacuatio, & dissipatio partium nostri corporis: Alterum naturalis appetentia, partium
 quæ iam sunt vacuata: Tertium, ventriculi suction, quæ fit à venis corporis iam ex-
 haustis ac vacuatis: Quartum, sensus suctionis in ventriculo, qui a venis sugentibus
 diuellitur: Quintum est, animalis appetentia, qua animal excitatur, ad huiusce su-
 ctionis, & tristis sensus remedium querendum, sicque ad capiendum cibum im-
 pellitur, & appellatur appetentia animalis, quoniã ex arbitrio pendet tota, vt osten-
 dunt hi: qui inedia sibi mortem consciuerunt. In nullo autem horum symptho-
 matum, habet locum, melancholici succi defluxio in ventriculum: Quare non erit
 famis naturalis causa. Secundo ex famis essentia, atque definitione, est enim fames
 (vt inquit) loco citato Galenus, nihil aliud quã suctionis sensus: vt quid ergo exten-
 demus eam ad sensum mordacitatis melancholice? Famis enim potius imaginem, ac
 phantasia inducit, ob rosionem, quæ suctioni similatur, quam veram & naturalem
 famem efficiat: Nam rosio, ob similitudinẽ quam habet cum suctione, decipit nos, &
 excitat ad simile remedium, cibum scilicet querendum: nec tamen vera fames ea est,
 nec eius remediũ est cibus, sed rodẽtis, & prauis illius humoris, cõcoctio aut vacuatio.
 Tertio nam Auicenna, prima primi citato, & Paulus libro tertio, capite quadrages-
 simo nono, Dicentes melancholicum succum, in os ventris ab splene euomi, non sunt
 integram anathomis rationem assequuti. Venosum enim vas, non fertur in os, sed in
 ipsum potius ventriculum, vt quinto libro de Vsu partium, capite quarto Galenus est
 autor. Et in hoc reprehenditur a Vesalio, libro quinto de Humani corporis fabrica,
 capite nono, quoniam apparet (inquit) duci vas ipsum ab splene, in fundum ventris,
 non in os. Quin & ipsemet Auicenna, decimatertia tertij, tractatu secundo, cap. 1.
 fundo ventriculi, implantari docuit, immemor eorũ, quæ alibi scripserat. Hic tamen
 aduertendum est, quædam corpora esse, inconcinne formata: in quibus ad os usq; ven-
 tris, protenditur dictum vas: quod cardinali de cibo contigisse, refert Ioannes de Val-
 uerde, medicus de Amusco: Præter naturam tamen est hæc compositio, sicut & ea,
 in qua bilis meatus, ventriculo inseritur: Et ex consequenti, non mandatur succus me-
 lancholicus in gratiã appetitricis, quæ est oris ventriculi passio, sed in gratiã contẽtri-
 cis & coctricis, quæ in ipsius ventriculi fundo, magis viget. Adde quod succus hic me-
 lancholicus, aut trahitur a ventriculo in hora famis, aut pellitur ab splene (per se enim
 non ibit, sicut cum nos ad templum, aut ad forum imus, eo quod intellectu sit minime
 particeps) Trahi vero ad ventriculum non est verosimile, nã multo faciliora sunt ad
 trahendum, & ad nutriendum magis opportuna, quæ in primis venis, atq; ipso ioci-
 nõre continentur: Quare ex ipsis potius, quam ex liene trahit. A liene vero, si pel-
 litur, non pelletur, stato ac præfinito tempore renutritionis, sed cum primum lien, eo
 succo grauari ceperit. Non est enim organum animale lien, vt præsentens ventriculi
 indigentiam: Succum melancholicum, famem excitaturum, in eum trajciat. Si ex
 acescente præterea succo, fieret naturalis fames, non sedaretur ingestio alimento, si-
 quidem alimentum, nihil prohibet, quo minus is succus, sua mordacitate ventriculum

arodat.

arodat. Accedit, quod vsus excitandæ famis, multo satius, deberet accide pituitæ
 referri, hæc enim in ventriculo, quotidie generatur, ceu recrementum necessarium
 in coctione ventriculi, vt ex secundo libro de Facultatibus naturalibus supra annota-
 uimus. Aperte enim errant qui siue morbo generari non posse tradunt. Si ergo pitui-
 ta accida, in ventriculo genita, famem naturalem non facit acore, multo minus eã effi-
 ciet, melancholicus succus, aliunde delatus, & inmanifestum habens acorem, libro de
 attra bile autore Gal. Sed age quantum ponderis habeat, quæ pro Auicenna, dictæ
 sunt rationes expẽdamus. Fastidiẽtibis sunt acõmoda accida omnia, vt acetosa, agre-
 ta, acetũ, succi granatorũ, citri, limoniũ, & aranciorũ: & styptica adstringentia vt
 menta, absinthiũ, pyra, cidonia, sorba, succus melancholicus, & pituita accida: quo-
 niã ventriculum titillant, & mordent, & phantasia exhibent famis: quod vtile est,
 in ventriculo sopito & suctionẽ venarũ non sentiente: innutile, & noxiũ, ventriculo
 sano. Succus præterea melancholicus, qui immodice ad ventriculum fluit, famem ca-
 ninam & immodicam excitat. Quoniam ob redundantiam, ex fundo, regurgitat in os
 ventris, cuius solius fames est passio. Cum vero modicus influit, os ipsum non pertin-
 git, quare appetitrici non seruit, sed contentrici & coctrici quæ fundo insident. Sed
 dices, si ex modico illo succo, qui secundum naturã, fundo ventris mandatur, paucissi-
 mus in ventris os regurgitet (quod est verò simile posse contingere) appetentiam na-
 turalem iuuabit. Non enim canina a tam exigua quantitate prodibit. Sed facile sol-
 uitur, si dicamus, quod a paucissima quantitate, immodica fames non excitabitur:
 quoniam exiguus lapsus, intra latitudinem sanitatis consistit, melius vero haberet
 corpus, si eo exiguo lapsu, non laboretur: sicut melius habet, ventriculus temperatus,
 quam quiuis ex intemperatis. Temperatus enim solus est, qui non indiget pedagogo:
 eo quod tantum appetit, quantum coquere potest. Ventriculus vero natura frigidus,
 intra latitudinem sanitatis sedens, plus appetit quam possit concoquere, libro Artis
 medicinalis autore Galeno, quare indiget cohibente, & manũ tenente, ne tantum in-
 gerat, quantum appetit. Quod vero fastidiant ægrotantes, quibus obstruitur me-
 tus, a liene in ventriculum protensus, referendum videtur, ad deprauatam coctio-
 nem ventriculi, cuius ratione, ventriculus impletur cruditatibus, & flatu, hæc autẽ
 appetentiam deijciunt. Dum vero succus melancholicus in ventriculum influit, tunc
 eius beneficio, ventriculus in seipsum contrahitur, & cibũ melius comprehendit, atq;
 coquit felicius. Quod vero athletæ, plurimũ sanguine referti, fameſcant (licet multi
 hac in re delirent) ex duplici natura, in athletis reperta pendet, vna genuina & na-
 tiua, atq; altera per consuetudinẽ acquisita. Prioris ratione nõ fameſcerent athletæ,
 quoniam plus sanguinis habent, quam propria natura exigat, altera vero, per consue-
 tudinem conquisita, inexplebilis fere est. Nam etiam si, aliquantulum præmiantur
 athletarum membra, & genuina ipsorum natura, præ alimenti copia grauetur: plus
 potest conquisita membrorum, venarumq; & arteriarum voracitas, quam sangui-
 nis ipsorum plenitudo sufficiat. Non sunt enim athletæ, plenitudine venarum con-
 tenti:

tenti: sed ultra impleri, atq; distendi quærent. Nam nec proportionem ipsi, aliquam seruant, distensionis & tractus, sed pro minima distensione, plurimum alimenti prolestant: quoniam plus ceteris, ob consuetudinem æsuriunt. Exemplo sint magnatum ventres, qui non satiantur, prius quam lautissimam mensam absoluerint. Contra vero monachi, & temperantes, dum parca vitæ assuescunt, parco alimento expleri atque saturari discunt. Quam vim autem, habeat assuetudo, & de generali omnium assuetudinum causa: pariter, & de speciali, in vnaquaque materia, circa quam versatur consuetudo, tradimus lib. de temperamentis cap. 17.

☞ CAPVT trigesimum, An succus melancholicus, sit causa metus, & mæstitiæ, sua nigredine, an temperamento, quo insignitur.

SCCVS melancholicus, mæstos reddit, & timidos. Tum quia, temperamentum cerebri, & cordis frigidum & siccum inducit, tum etiam quia niger est, & obscurus. Nam sicut eorum, quæ extra corpus sunt, nihil videmus, quod perinde ac tenebræ, nos terreat. Ita cum tenebræ, rationalis animæ parti sunt circumfusæ, necesse est hominem timere, ut qui semper cum corpore suo, timoris causam circumferat, tertio libro de locis patientibus, & secundo de causis symptomatum, capite ultimo, autore Galeno. Contra vero euenit sanguini, nam alacres, & securos nos reddit: cum ob calidum atque humidum temperamentum, quo cerebrum atq; cor irrigat: tum ob lumen, & insitum sanguini splendorem, quo in cerebrum & animales spiritus irradiat, atque alacres omnes, quæ per eos spiritus, in cerebro aguntur functiones reddit. Sic quibus sanguis, ex naribus fluxurus est, fere ob oculos, versantur splendida: sic deliria ex sanguine, fere sunt cum risu: sic & pueri, ob fumum lactis, sepe ridere deprehenduntur in insomniis: sic & atter succus, cerebrum obscurans, & animalium spirituum, natiuum splendorem turbans, turbulenta, & tristes rerum reddit imagines, nunc has, nunc illas, quarum ratione timent, mærent, vitam damnant, odio habent homines, mortem fugiunt, & interdum adeo extraneo sunt animo, ut simul mortem metuant, & eandem sibi conciscant. Proinde recte videtur Hippocrates, sexto Aphorismorum, sententia vigesima tertia, omnia ipsorum accidentia, in hæc duo coëgisse, metum & mæstitiæ: nam particulares alie ipsorum imaginationes, adeo sunt variæ, ut comprehendi nulla ratione possint: hic testam se se factum putat, & obuantiis cedit ne collidatur, alter gallos cātare audiens, ut hi alarum, sic ille brachiorum plausu, latera quatiens, animantium sonum imitatur. Timet alius, ne athlas, qui nudum sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere, ipsum a se excutiat, ac nos quoq; cum illo collidamur. Sunt qui se deo plenos, & cælesti numine afflatos opinantur, & futura prædicere tentant. Vis in summa perstringam: Cum recte valet cerebrum, & spiritus

spiritus suo sunt splendore, & puritate insigniti, visa omnia vnius modi, & ut ipsa sunt apprehenduntur, cum vero ab ea puritate deficiunt, multifariam apparent, & diuersas imaginationes inducunt. Naturale enim est vnum, præternaturam vero multiplex. Iam vero si dicta diligentius expendantur, duplex ex ipsis conuincitur error: primus quidem Auerrhoi, tertio collectionum, capite quadragesimo, qui non intelligens, ad quem modum, melancholicus succus, in corpore delitescens, sua nigredine, mæstos reddat & timidos, Galenum erroris insimulare non fuit veritus, inquit eum scripsisse verba cantionum, tanta est in admirandum virum impudentia usus. Alter vero, eorum (inter quos est Valesius) qui solæ nigredini melancholice, metum & mæstitiæ referunt, non autem temperamento frigido & sicco, nam si temperamento melancholice referendum esset, fierent (inquiunt) senes omnes, sine morbo quopiam melancholici: quoniam frigidius atque siccus cerebrum, habent senes, quam melancholici iuuenes. Sed frigida est ratio, nam ut nerui senum, quam iuuenis conuulsi, sunt sicciores: nec ob id tamen conuelluntur senes: sic senum cerebrum, frigidius atque siccus est, cerebro iuuenis melancholici, non tamen ob id delirant senes. Senibus enim, gradatim & sensim accessit frigiditas ac siccitas, non per vim, & confertim, ut iuuenibus melancholia laborantibus. Quare his morbosa, illis vero naturalis existit. Si vero, ambas metus & mæstitiæ causas, ut decet expendamus, intelligemus potius temperamento, quàm colori, dicta symptomata fore referenda. Nā ut autor est Galenus tertio libro de locis affectis: atrabilis quæ ex flaua superassata contingit, ferina deliramenta, non melancholica creat, quoniam etiam si colore sit atra, temperamento est calida: Melancholicus vero succus, metum inducit: quoniam tum atter, tum frigidus est, plus ergo facit, temperamentum quam color. Nec aliud voluit Galenus, ubi de ea re mentionem habet, nam secundo libro de causis symptomatum, capite ultimo, symptomatum quæ principes, & reëtrices actiones occupant, causas inquirens, partitur ea symptomata, in actionis abolitionem, imminutionem, & deprauationem. Abolitio sane, ut in stultitia & obliuione contingit: in quibus tum rationis, tum memoriæ actus perit, ex cerebri corpore perfrigerato fit. Imminutio vero quæ mediocris est noxa, ac veluti torpor, tum rationis, tum memoriæ: ob minorem euenit refrigerationem. Deprauatio vero, cuiusmodi est delirium omne: siquidem ferinum fuerit, ex calido aut succo, aut vapore, aut intemperie, cerebrum occupante proficiscitur. Sola vero (inquit) melancholica appellata deliria, frigidiorum humorem pro causa habent. Non ergo fit apud Galenum, symptomata aliquod, ad principem animæ partem attinens, sine cerebri intemperie: quanquam metui, & mæstitiæ melancholicorum, succi ex quo prodit, nigredo accedat, ut diximus. Tertio præterea libro, de Locis patientibus, ubi de nigredine melancholice, mentionem habet, temperamentum non vsq; adeo omisit, quin eius mentionem habuerit. Scribit autem hunc in modum. Sane quem admodum, externæ tenebræ, omnibus fere hominibus, pauorem inducunt: nisi

nisi vel audaces admodum, vel edocti fuerint: sic atrae bilis color, mentis sedem, et tenebris similem reddens, timorem efficit. Etenim summis tum medicis, tum philosophis, in confesso est, et humores, et omnino corporis temperantiam, animae actiones vitare posse: id quod nos quoque, unico commentario docuimus, quo demonstratum est, quod animae potentiae, corporis temperantiam sequuntur. Quo etiam libro verba illa Hippocratis (humor in melancholia, vertitur ad animam) interpretatur Galenus, id est ad temperamentum. Quae sane Galeni loca, satis aperte declarant, ipsum non retulisse, vniuersam causam metus et aestitiae melancholicorum ad colorem, sed etiam ad temperamentum cerebri, ab ipso humore permutatum.

CAPUT trigesimum primum, De commutatione melancholici succi, in alios humores.




Melancholicus succus in sanguinem non abit, tum ob contrarietatem temperamenti: tum quia fex, in succum cuius est fex, nullo artificio potuit vnquam commutari. In pituitam vero non commutabitur, nam caloris actione, succus melancholicus non rehumescet, sed aridior semper magis, ac magis reddetur. In bilem quoque, aut pallidam, aut flauam, nunquam vertetur: nam niger color, vltra pallidum est, atque flauum: qui non potest, actione caloris citra reuerti. Quare errant inter practicos, Guilielmus et alij, qui febrem quartanam, in tertianam commutare student: vt tertianam ipsam, postea facilius curent. Et ob id merito, horum sententia, non recipitur à Nicolao Florentino, sermone secundo, capite de cura quartanae, per potionem, ad finem capitum. Sola ergo restat bilis atra, in quam melancholicus succus frequenter commutatur, si non prius vacuetur, sexto libro Aphorismorum commentario quinquagesimo tertio autore Galeno.

Caput trigesimum secundum, An atra bilis, ex succo melancholico, sit deterior, quam quae ex bile flaua generatur.

LIBRO de Atra bile, et sexto etiam libro Aphorismorum, Commentario quinquagesimo octauo, Galenus, minus prauam dixit esse, atram bilem ex succo melancholico, quam ex flaua bile ortam, calidior enim et abradentior haec est. Contra videtur sentire Auerrhous, primo Canticorum Commentario sexagesimo nono: quod quae ex melancholico succo generatur, quam ex quocunque altero succo nata, est perniciosior. Et videtur ratio fauere, nam vt autor est Galenus, libro de atra

atra bile. Si atra bilis, tenuissimae substantiae foret vt acetum, non excederet, sed permearet. Nam acetum quoniam tenuium est partium permeat, atra autem bilis crassitudo, cum sedem ipsi stabilem, firmamque praebet, erosioni fit causa. Quare cum atra bilis ex melancholico succo orta, sit crassior, erit ob id erodentior et prauior. Cui dubitationi dicendum quod omnis atra bilis, consequuta est crassitiem erosioni necessariam, nulla enim adeo est tenuis vt acetum. Hinc fit, vt ea apud Galenum censeatur deterior, quae qualitate est prauior et efficacior: qualis ea potissimum est, quae a bile vsta ducitur. Quanquam vero simpliciter haec sit deterior, est etiam et altera ex succo melancholico orta, quibusdam nominibus difficilior, vt autor est Auicennas, prima primi de humoribus, primo capite, vbi ita scriptum reliquit. Melancholia colerica est, quae est fortioris malitiae, et velocioris corruptionis, veruntamen est susceptibilior curationis quam illa. Et paucis interpositis subdit: Tertia vero, quae minus super terram ebullit, et minus in membra penetrat, tardius perimit: sed ad resoluendum, et ad maturandum, et medicationem recipiendum, magis est effrenis. Ex quibus verbis manifesto apparet, quod atra bilis, ex flaua vsta, deterior est, quam quae ex melancholico succo constat: ob tenuitatem tamen, facilius potest, è corpore deturbari, et medicationibus magis paret quam illa. Quae enim ex atra bile, melancholica oriuntur mala, vt cancri et alia huiusmodi, leuibus pharmacis non cedunt, fortioribus vero efferantur: et tandem vtrouis modo, cum homine commoriuntur. Quare quanquam illa sit deterior, haec medicationem suscipit minus. Quod forte voluit Auerrhous loco citato, quanuis solo rationis cortice inspecto, quibusdam reprehendatur.

Caput trigesimum tertium, Quo humorum varij circuitus, et eorundem causa, in examen vocantur.



HUMORES pro sui diuersitate, diuersum characterem, et repetendi ordinem seruant. Nam sanguis continenter affligit, et vno impetu, sine exacerbatione, aut annotatione vlla mouetur, nunquam vltius repetens: pituita vero, quotidie: bilis, alternis diebus: sicut et ater succus, quarto quoque die reddit. Cuius rei causam, quidam ex astris petunt. Sed o quam remota narrant. Alij ad occultam vim, et humoris proprietatem confugiunt, atque hi prioribus, non displicent minus. Primo, quoniam occulta, et quae ipsi ignorant docent. Secundo, quoniam tres tantum sunt humores, qui per circuitus repetunt, periodi vero plures, tertiani, quartani, quotidiani, quintani, septumani, et qui octauo atque nono respondet diei: vt constat apud Hippocratem, primo Epidemiarum, parte tertia, sententia secunda, septima et nona: et apud Galenum libro de Typis, et apud Auicennam, prima quarti libri, tractatu secundo, capite septimo. Adhuc quoniam quantumcumque redudent humores

humores, si non accedat ipsis putredo, non mouentur motu aliquo ex dictis: ut constat in ictero, scyrrho, & œdemate, in quibus nulla est, aut exacerbatio, aut annotatio: quoniam humores ex quibus constant minime putrent: Quod vero humori, cum putredine accedit, à sua natura & proprietate non procedit. Quarto, quia si ex humoris vi, & proprietate aliqua, huiusmodi fierent repetentia, statim & præfixam horam perpetuo seruarent, cum tamen experimento constat, multis nonnunquam horis, anticipare aut postponere. Quinto, nam mulieribus, menstruæ purgationes, singulis mensibus accedunt, quandoque saniosæ, alias biliosæ, nonnunquam pituitosæ, atque attrahiliariæ: nec tamen ex diuersa humorum qui vacuantur natura, diuersum aliquè characterem assumunt. Sexto, nam optima deiectio, suam semper seruat horam, secundo prognosticorum: & vere reperias hominem qui singulis, & alium qui alternis diebus, stata ac præfixa hora, aluum exoneret. Quod cum non sit referendum, ad occultam vim & naturam fecum: sed ad onus, quo se intestina grauari sentiunt, rationi fit consonum, ut humorum motus, quotidiani, tertiani, quartani, atque alij, non alio referantur. Septimo quoniam hæc proprietas, nec est actiua in bile, scilicet quæ moueat bilem, de tertio in tertium, ad focum in quo putrescat: perperam enim cum humoribus, egisset natura, si facultatem ipsis inderet, ducentem eos ad interitum. Nec item est passiuæ, hoc est quod membrum aliquod, moueat bilem alternis diebus, non ante aut post: Nā continendi aut expellendi aliquid à se, præfinitum tempus, non est certi alicuius temporis circuitus, sed ipsius usus occasio, ut late docet Galenus, libro secundo de symptomatum causis, capite tertio. Accedit ultimo, quod si humoris proprietati, referatur ordinata eiusdem accessio, flatus & vapor, eandem proprietatem habebunt: nam sæpe per interualla affligunt: & epilepsias, atque colicos cruciatus, per circuitus inuehant. Nullus tamen bucusque, in vapore aut flatu, talem proprietatem agnouit: quare nec in reliquis est recipienda. Nos vero circuitus varios, ad causas manifestas, & quæ prope nos sunt, referendos fore existimamus. Pendet autem harum causarum noticia, ex quatuor capitibus. Primum est, maior ad putrendum apparatus, & dispositio. Sanguis enim, cæteris facilius putret, ob calidum atque humidum temperamentum, putredini maxime opportunum: ob idque continenter putret, nunquam intermittens. Melancholicus vero succus, putret difficilime, ob frigidum atque siccum temperamentum, ad putrescendum maxime contumax: quare non ante quartam diem accedit. Pituita atque bilis, in medio horum sunt, nam una qualitate reluctantur, & altera sunt putredini opportuna. Nec ob id tamen in eundem diem recident, nam pituita, magis est ad putrendum apta, ob humiditatem, quam bilis ob calorem. Exemplo sunt pepones, & omnes prope horarum fructus, qui quanquam frigidi sint, ob superfluum humiditatem, putrent facile. Contra vero aromata, & quæ calorem cum siccitate coniunctum habent, difficillius multo putrent. Ob idque pituita quotidie, bilis vero, non nisi alternis diebus exacerbantur. Secundum caput est, dispositio relicta in foco, ex humore qui inibi putruit. Hæc enim est quæ parat, & inficit humorem, alteram

accessione

accessionem creaturum: nam si plurimum humoris qui putruit, relinquatur aut non repurgatum, aut non integre exustum, citius ab eo inficitur, portio altera humoris, quæ sequentem accessionem est allatura: si exiguum vero aut integre exustum, nihil habens fumidum, tardius. Pituitæ sane portio, quæ putrescit, & primam accessionem facit, nec integre exurit, ob superfluum quam habet humiditatem, nec prompte in accessionis declinatione expurgatur ob lentorem, sed semiegesta foraminibus adhærescit, fumosum & putridum semper calorem seruans. Et ob id eius intermissio non est pura, nec venit unquam corpus ex ea, ad integram infebriationem. Plurimum ergo hoc quod relinquatur ex humore, fumatis putredinis, breui inficit atque putrefacit alteram portionem pituitæ, quæ secundam accessionem est allatura: ob idque altera statim die mouetur, atque putrescit, & singulis deinceps diebus repetens, quotidianam febrem facit. Bilis vero ob tenuitatem & natuum feruorem, breuem facit accessionem. Nam ex bile longissima febris, duodecim horis finitur: & quicquid in ea efferbuerit, prompte dissipatur, atque vacuatur, adeo ut vix aliquid relinquatur, quod secundæ accessionis sit causa. Atque nisi tempore primæ accessionis, id est in spatio illo duodecim horarum, concepta esset putredo aliqua exigua, in humore qui secundam accessionem parit, quæ postea clam agens augetur, donec tertia die manifestam accessionem exhibeat, unica forte constaret accessione biliosa febris, & alternis diebus non repeteret. Melancholicus vero succus, cum sit siccissimus atque terrenus, nihil fumidum aut semicomustum in accessione relinquit, nec foraminibus promptæ adhærescit: nam licet crassus sit hic succus, lentore caret. Quæ certe causa est, quare magis puram, & diuturniorem cæteris, faciat intermissionem hic succus. Ne vero quispiam isthæc nos finxisse putet, Galenum audiat secundo de Februm differentiis, capite quarto, ubi ita scribit. Singulis autem diebus accenditur pituita, quanuis minus calida sit, biliosa tertiana. At illa, cum & humorem habeat, accessioni opportunum, & facile subinde propter subtilitatem, quicquid ex eadem efferbuerit, totum in accessione expurgatur, ad puriorem quandam infebriationem terminare videtur: post que accessionem breue aliquod putridæ caliditatis vestigium relinquere. Quæ autem in pituita febris accenditur, in accessionum declinationibus, integre non expurgatur, neque parum relinquit, eius quod veluti succendi videtur: hinc ergo eius intermissio longe deterior, ac secundæ accessionis festinat inuasio. Tertium febrium intermittentium genus est, exquisita quartana, quando ex solo attræ bilis humore generatur, qui frigida ac sicca constat temperatura. Succenditur autem paulatim, veluti lapis aliquis, aut testa, aut os, aut tale aliquod huiusmodi corpus frigidum & siccum. Vbi vero aliqua ex eo flamma fuerit accesa, nihil fumidum, aut semicomustum, in accessione relinquit. Atque idcirco in hoc humore, copiosiores sunt euacuationes, quam in pituita, atque intermissio exquisite pura videtur: quoniam & hic, quicquid attræ bilis fuerit accensum, exhauritur atque dissipatur.

H Quibus

Quibus Galeni verbis, manifesto constat, vicissitudines paroxysmorum, ex dispositione in foco relicta, eo quo explicuimus modo pendere. Hanc causam videtur attigisse Auerrhous, tertio Collectionum, capite vigesimo nono, quauis capite vigesimo septimo, calori putredinali nihil tribuat, sed ordinati redditus causam vniuersam, in naturalem calorem rejciat. Tertium caput est, maior aut minor quantitas, humoris peccantis. Sanguis enim continenter putret, quoniam copiosa eius materia semper supeditatur, post sanguinem plus est pituita, bilis deinceps est minor copia, melancholici vero succi minima, vt 5. cap. huius tractationis monstratum a nobis est. Ideo a pituita quotidiana nascitur, quae cum continua non sit, continuitati proxime accedit: a bile tertiana, quae vno die intermittit: Et a succo melancholico quartana, quae ab assidua duobus diebus deficit. Ex horum praeterea humorum varia quantitate, varietates quaedam in dictis febribus contingunt. Nam cum plurima sanguinis copia, magis semper est quod succenditur, quam quod dissipatur: contra vero dum sanguis est paucus, minus semper quam dissipetur succeditur: sicut dum mediocris est, eundem tenorem seruat. Reliqui vero humores, si plurimum abundant, non possunt (quod saepe contingit) ab expultrice facultate extra venas pelli ob copiam, vnde fit vt in vasis putrescentes, continuas concitent tertianas, quartanas, & quotidianas. Si minor vero sit humorum copia, ita vt iam ab expultrice venarum possit deturbari, intermittentes fiunt febres. In quo genere quanto ex pluri pendent materia, tanto magis anticipant, quanto vero ex pauciori postponunt. Quandoque vero ex materiae multitudine, duplicantur & triplicantur, atque vna & eadem die multotiens repetunt, quod in febre, ab Auicenna appellata syncopalis humorosa, notant auctores, & nos frequenti experimento, in multis febribus fuimus animaduersi. Materia vero minori reddita, simplices redduntur, tardantur, atque deficiunt, vt quotidiano constat experimento medicorum.

Quartum caput est, quod pars quae per interualla laborat, aut malum sibi ipsi parit ipsa, aut aliunde accipit, vt secundo de Februm differentijs ante finem, edisserit Galenus. Si primum, ad coctionis vitium causa est referenda: vt cum colon intestinum, ex flatu genito, certis temporibus affligitur: & ventriculus, cum ex mala coctione, excrementa congerit: in quibus dolores per interualla oriuntur. quoniam certo tempore, ex mala coctione accerbantur cruditates, & flatus, quae in colo, aut ventriculo, dolorem generant. Atque huiusmodi circuitus pendet, ex proportione facultatis coctricis, ad alimentum coquendum, & superandum. Si quidem valida facultas fuerit, & quod assumitur alimentum paucum, & boni succi, facileque ad coquendum: aut dolor non generabitur, aut per longissima saltem interualla accedet. Si imbecilla vero fuerit coctrix, & assumptum alimentum aut multum, aut prauum, occisime repetet. Quod si pars, quae per vicissitudines laborat, sui mali non est causa, sed eam aliunde accipit, aliud causa est redigenda. Eam autem sic venabimur: Aut suapte sponte feruntur humores, propria siue

gra-

grauitate siue leuitate acti, aut ab alio mouentur. Nam crura saepe dolent, & tument, quod in imo sint posita, quo facile humores ob grauitatem decumbunt. Vapores vero caput potius, quam aliam partem petunt, quod illi sursum ferri, natura sint apti. Vnde vertigines, scotomia, & morbi etiam comitiales, per circuitum repetentes saepe fiunt, vt tertio libro de locis patientibus Galenus est auctor. Atque huius inuasionis causa, est praesentis elementi natura, simul & partis positus. Si vero humores, ab alio in partem feruntur, erunt sane aut tracti ab ipsa parte, aut impulsu. Si primum, causa accessionis erit, aut calor, aut dolor, aut ipsa partis quae laborat, tractrix facultas: si secundum, quod scilicet ab alia parte transmittantur, quod maiori ex parte contingit, ad facultatem expultricem quae se exonerat, & aliena transmittit, causa refertur: & varietas interualli harum inuasionum, pendebit ex proportione facultatis grauamē sentientis, ad ipsa excrementa quae grauant. Nam ex pultrix nunquam expellit, nisi vt onus quod praesensit deponat: Quod enim singulis diebus grauat excrementum, quotidie accessiones facit: in quo genere sunt quotidianae appellatae ex pituita, tertianae duplices ex bile, & triplex quartana ex succo melancholico. Quod vero tertio, aut quarto die est oneri, alternis diebus, aut quarto quoque die reddit, & si tardius grauat, tardius quoque accedit. Sic tertianae, quartanae, quintanae, & quae longioribus etiam respondent interuallis, diuerso tempore accedunt: Quoniam humores ex quibus constant, diuerso tempore grauant. Sic quotidie quidam aluum exonerant, per tertium, aut quartum alij. Sic singulis lunationibus, menstrua mulieribus accedunt. Sic nouem mensibus, vtero gestatur infans. Sic crises in impari magis contingunt, quoniam morborum acutorum materia, in impari magis grauat, atque molestat, quam in pari.

Ex quatuor capitibus dictis constat, quod humorum circuituum cause quaedam, attinent humori, qui per circuitus mouetur: & aliae, facultati nostri corporis expultrici. Nam motus initium, irritatio nimirum, & facultatis expultrici commotio, & incitatio, in ipso humore est. Quod autem hic humor citius, ille tardius irriter, ex tribus capitibus prioribus pendet. Nam pituita quoniam apta est ad putrendum, & pluri quantitate, & fumosi plurimum relinquit: quotidie putret, & putredine, expultricem irratat facultatem: melancholicus vero succus, quoniam difficillime putret, & minori est copia, & nihil fumidum aut semiexustum in accessione relinquit: non ante quartum diem irratat, atque putret: bilis vero in omnibus medium tenens, medium inter duos dictos periodum seruat. Motus ergo initium ex humore est, atque ex tribus prioribus capitibus pendet: prosequutio vero, atque complementum motus, non ab ipso humore, sed a robore pendet expultrici facultatis. Quae cum ab humore irratatur, si potens est, extra venas expellit, & ad ignobilia transmittit humorem: si vero impotens, frustra conatur expellere, & loco accessionis annotationem, & designa-

H 2 tionem

tionem quandam, noui insultus facit. Inequalitas enim quaedam, & incipiēs aegri
velut confractio, atque labor, tunc augeri videntur.

CAPVT trigessimum quartum, Quo quæ-
dam dubia, ante actum caput concernen-
tia soluntur.



VI circuituum causas, precedēte capite reuoluit, si libero est
animo, statim acquiescet: sin alicui sectæ addictus fuerit, se-
mel atque iterum perlegat, bonumque in legendo animum ad-
hibeat. Si quæ sibi dubia occurrerint (occurent autem mul-
ta) ea potius detexere, quam causas infirmare studeat. Suffi-
ciet enim in re probabili, probabilem rationē attulisse: Nec
querat Mathematicam certitudinem in causa penitus naturali, & maxime huc
vsque inter sapientes dubitata. Dubitabit is forte circa causas datas, cur in febre
sanguinis, non est circuitus, aut exacerbatio aliqua, vt in alijs febribus? Secundo,
cur alij humores à sanguine, non putrescunt simul, ita vt vnā tantum accessio-
nem faciant, sicuti sanguis? Tertio, cur in continuis ex vtraque bile & pi-
tuita, vbi nulla extra vasa fit expulsio, fiunt exacerbationes tertiana, quar-
tana, & quotidiana, non secus atque cum ab expultrice, in intermittētibz,
pelluntur foras humores? Quarto, cur in tertiana duplici, vbi singulis diebus
fiunt accessiones, non per singulum, sed per tertium, semper sibi respondentes
fiunt? Quinto si ex proprietate, aut caelesti aliqua influentia, non pendent dicti
circuitus, cur sunt tam constantes, & perennes. Vt nunquam à suo deerrent
charactere? Nihil enim eorum, quæ ex inferna pendet materia, ordinatum vi-
demus. Primum vero sic soluitur, sanguis dum suam seruat naturam, & nul-
latenus putret, omni caret circuitu. Nam & reliqui humores si non putreant,
non habent exacerbationes. Vnde recte Auicenna, prima quarti, tractatu se-
cundo, capite primo dixit: Et putredo quidem colerae, facit tertianam: me-
lancholie, quartanam: flegmatis, quotidianam: & quæ currunt, cursu eius. cc
Dum vero sanguis putret, non amplius bonus remanet, sed biliosus redditus, cc
tertianum bilis circuitum assumit, etiam manente sanguine, vt secundo libro de
Crisibus, capite duodecimo, Galenus est autor. Qui locus maxime est aduertē-
dus, nam ex eo male intellectu, Galenum erroris falso insinulat Auicennas, pri-
ma sen, quarti libri, tractatu secundo, capite quadragesimo quinto, quasi is,
nullam febrem à sanguine putrefacto fieri, opinatus sit. Primo enim, Gale-
ni expressa verba, pessima fide refert, in hunc modum. Nam (inquit) san-
guis cum putrefit, colera fit & non est sanguis. Galenus vero solum dixit,

non

non manet bonus sanguis, sed fit biliosus. Secundo refert Auicenna febris fit
colerica. Galenus vero scripsit, quodammodo biliosa. Tertio, febris sanguinis
essentiam & notionē docere aggressus eam esse (inquit) quam Hippocrates οὐνοχο
id est continentem appellat. Quasi vero Galeno, hoc genus febrium, fuerit incog-
nitum, quo ve nomine esset vocandum ignorauerit. Omnibus sane vel mediocri-
ter in Galeno versatis, notum est, illum exquisitissime descripsisse synochum,
& in suas species digessisse, libro nono Methodi, & secundo de Febrium disse-
rentia, capite secundo, & secundo Crisium, capite sexto. Nihil præterea magis
ridiculum est, quam febrem ex putrido sanguine natam, de qua secundo Crisium,
capite duodecimo, loquitur Galenus, synochum appellare. Nam vt ipse Galenus
refert vndecimo libro Methodi, capite quarto, synochus fit, quando sanguis vel
in omnibus equaliter vasis, vel in maximis putrescit. Libro autem secundo Cri-
sium, capite duodecimo: non de eo sanguine qui in venis, sed de eo qui ad aliquam
partem procubuit solus, in ea quæ phlegmonem concitauit, loquitur. A quo ta-
men sanguine concitata febris, non synochus id est continens, sed οὐνοχο id est con-
tinua dicitur. Quod vero eo capite, de febribus ex phlegmone ortis, non de ijs, in
quibus sanguis in venis corporis putrescit agat, caput legenti luce clarius innotes-
cit. Vt vero eo quo fluxit oratio reuertamur, notare oportet, quod humores qui
non putrent, nullo mouentur periodo ex dictis. Et ex hoc ceu principio infertur,
quod humores qui sine putredine, febrem possunt committere, sine exacerbatione
aut circuitu eandem creant. Talis vero natura est sanguis, qui sua multitudine
incensus, citra putredinem febrem facit. Eius etiam naturæ forte est bilis. Re-
liqui vero humores, nisi putrescant, ob sui paucitatem febres nullatenus conci-
tant. Notandum secundo est, quod non omnis putredo sufficit ad periodum, sed
si leuis est, continenter affligit. Sic ex bile dantur febres continentes, vt secun-
do de Febrium differentijs non longe ab initio, ediderit Galenus, ex bile scilicet plu-
rimum incensa, & leuiter putrente. Sic dum sanguis, in magnis corporis vasis
putret, leui putredine magna ex parte inficitur, tum quoniam diffatur facile, tum
etiam, quoniam eius magnam curam gerit natura, & continentes ob id creat fe-
bres, nullo actas circuitu. Dum vero sanguis in aliqua parte corporis acceruat,
& in eiusdem vasis paruis obstructus putrescit, magna agitur putredine, tum
quia vis partis plurimum oppressa, humoris curam non gerit: tum etiam quia
ob obstructionis magnitudinem non diffatur, vt secundo de Febrium differentijs,
capite nono, autor est Galenus. Et sic omnium phlegmonarum febres, per ter-
tium exacuuntur, etiam manente sanguinis forma. Quod ostendunt Pleuriti-
des per tertium exacerbatae, dum adhuc rubrum spuunt egrotantes, quoniam sci-
licet sanguis, valida putredine agitatus, tertianum circuitum assumit, quemad-
modum cum putrescit flaua bilis, in cuius iam confinio locatur. Secundum soluit
Auerrois, tertio collectanei, capite vigesimo septimo, quod humor vniuersus

non

non putrescit simul, quoniam non totus est paratus putredini: atq; hic ad finem colābi-
num cuius Galenus tertio simplicium meminit, attendere oportet. Non enim hic to-
tus simul putruit, sed paulatim accensus est. Quod & in inflammationibus quæ exa-
cerbantur, & in continuis periodicis (vt tertiæ dubitationi occurramus) cogitare o-
portet, etiā si nulla materia, aut insuat, aut expellatur: per partes enim, & nō tota si-
mul putrescit. In duplici autē tertiana, quod quarto dubitatur: paroxysmi per tertiū
sibi respondēt, si ex duplici orientur minera, cuiusque enim sua est tertiana, ab altera
distincta. Si vero ab eadem minera prodeant, possunt quidem, & fit etiam frequen-
ter, vt sibi mutuo per tertiū respondeāt, tertia cum prima, & quarta cū secunda: nō
autē secunda cū prima, nec tertia cū secunda, ob humoris difformitatem. Nam qui
primo die putrescit humor, paratior est ad putrendum, quam qui putret altero die: nō
ergo inter se, sed eorum quilibet suo compari, ad tertiū diem respondebit. Contingit
tamen quandoq; (quod proximè exercētē aduertāt maxime) nullā similitudinē aut
respondentiam intercedere, tertiæ cum prima, nec quartæ cum secunda accessione, ob
humoris multiplicem difformitatem, ob quam erraticis sunt maxime coniūctæ. Quod
non modo in tertianis, verum etiam in duplici atq; triplici quartana, nos sæpenu-
mero aduertimus. Quintum vero soluitur, si intelligamus nō esse dictum ordinem adeo
firmum, & constantem, vt plurimi auctores affirmāt. Primo quoniam intra spatium
vnius diei, anticipant & postponunt dictæ febres. Secundo quoniam febres errantes
omnes, sunt humorales, & a quocunq; humore fieri possunt. Tertio quoniam sanguis
qui putret, per tertium exacuitur, in modum bilis, secundo. Crisium citato: & bilis
vtraque, quotidie, in duplici tertiana, & quartana triplici: & pituita, per tertium, vt
apud Auicennā in sua Epiala, prima quarti tractatu secundo, capite quinquagesimo
tertio. Et in tertiana notha, quoniam bilis vincens, trahit pituitam ad periodum ter-
tianum. Melancholicus quoque succus facit quintanam, sextanam, septimanam, octo-
manam, & nono diei respondentem apud Hippocratem primo Epidemiarum: clarius
& latius apud Auicennam, prima quarti, tractatu secundo, capite septuagesimo pri-
mo: idque ob succi melancholici crassitiam, quæ ante quintum, non potest accendi in
quintana, & ante nonum in nouena. Quin etiam febrem, per mensem accedentem,
vidit Rasius, decimo sexto continentis: ex qua nostris temporibus, vulgatissima fa-
ma constat, Gamonalem perijisse Compluti. Et Gentilis quæstione decima quarta de
Febre, affirmat se vidisse febrem, singulis die decimo quarto reuertentem. Referunt
alij quosdam, qui semel duntaxat in anno, eo die quo nati sunt, febre leuissima &
quæ vno aut altero die abiret, corripit solerent. Febrem octomanam, quæ multos
dies durauit, vidit in quodam sene Valesius, ante quam esset medicus. Quæ experi-
menta neganda non sunt, non enim auctores probi, & boni viri, in historia mentiun-
tur. Nec Galenus primo Epidemiarum, dictos negat periodos, sed se quintanum cir-
cuitum obscure vidisse fatetur. Obscure (inquam) quoniam ad finem quartæ diei, iā
incipiente quinta, cepit accessio. Cuius ratione quartanus circuitus, quadantenus
fuit

fuit seruatus. Quintanum vero circuitum manifestum, aut maiorem alterum perio-
dum, non vidit Galenus. Hortatur autem, vt rem vnusquisque diligenter obseruet,
quam an ita habeat, experientia diiudicet. Ne vero falli contingat, in rerum expe-
rientia hac, viam aperit huic rei inuestigandæ idoneam: quod scilicet aduertant,
ne sit error aliquis in victu, a quo citra causam internam, pendere circuitus possit.

CAPVT trigesimum quintum, De humorum sero, vrina, & sudore.



PRÆTER quatuor humores memoratos, atque eorundem
differentias, liquor alter, humoribus mistus, in corpore reperi-
tur. Qui etiam ab eis, manifesto quandoque secerni conspicitur,
cum scilicet sanguis è vena missus concreuit. Tum enim, præter
quatuor humorum massam, quæ in vnū coit, aquositate alteram li-
cet spectare, quæ reliquis humoribus est magis tenuis & fluidior,
& ob similitudinē quam habet, cum aqua lactis, serum eam appellamus. Cuius post-
quam de reliquis humoribus egimus, explicanda est materia, vsus, & excernendi ra-
tio. De quo scire oportet, quod potus qui cū cibis sūmitur, est necessarius coctioni ci-
borum in ventriculo, nam id genus coctionis elixatio est, secundo libro Acutorum,
commentario vigesimo secūdo, autore Galeno: quæ non nisi in humido perficitur. Est
præter id necessarius, vt chylus à ventriculo in iecur traducatur: simul etiam vt san-
guis, per minutissimas venas epatis, in magnam feratur venam. Quod munus post-
quam absoluit, non oportuit amplius manere in corpore: & huius vtilitatis gratia,
renes facti sunt instrumenta caua, osculis alijs attrahentia, alijs autem emittentia, te-
nue hoc & aqueum excrementum, vt Galenus est autor, quarto libro de Vsu par-
tium, capite quarto. Verum aqueum hoc excrementum, non tam exacte a reni-
bus purgatur, quin magna eius pars, cum sanguine eat in vniuersum corpus, quæ
postea per sudores, & insensilem halitum vacuatur, libro de Attra bile, capi-
te secundo, & primo libro de Naturalibus facultatibus in fine, autore Galeno.
An vero hoc excrementum, feratur in vniuersum corpus, eo solum quod a renibus,
prorsus trahi nequeat, an alicuius vsus gratia, dubium videtur. Cui nos respon-
demus, non ex renū facultatis tractricis defectu, sed necessaria vtilitate, aquositatem
dictā in mēbra ferri. Nā manca esset natura in renū fabrica, si renes ad opus suū inte-
gre obeundū, in idoneos creasset. Vt vero qualis sit vtilitas, quæ ab hoc sero, mēbris
corporis cōparatur intelligamus: nosse oportet, quod nostri corporis mēbra omnia, du-
plici indigēt humido, substātifico videlicet, pro substātiae reparatione, quod ex humo-
ribus fit: & rorido, pro attēperatione, refrigeratione scilicet, & humectatione, quod
ex dicto sero paratur. Nā eo vniuersi corporis mēbra rorantur, & naturale eorundē

calidum, refrigerat atq; humectatur. Sicut vero substantifici humidi defectu, fit famemes: ita defectu roridi, fit sitis. Nostri enim corporis membra, hoc aut illud humidum, è ventriculo trahunt, quoniam aut huius, aut illius, sunt indiga. Ventriculus vero, illius suctum sentiens famescit, sicut & huius tractionem percipiens, potum desiderat. Sic cum multus humor est vacuatus, aut sudore, aut alui profluvio, aut alia quavis vacuatione, sitit animans. Sic æstatis tempore, per febres ardentes, & laboriosa exercitamenta, sitis fit valida, exhaustis venis à suo sero. Quod si potum non reperiatur animans, acres & biliosas humiditates, ex vicinis partibus, ad se alliciunt venæ: perinde atq; pueri & bruta cū sitiunt, ad casu oblatū humidum, siue acre siue falsum sit irruūt, sperātes inde sitim satiaturus: ut quarto libro de Ratione victus, cōmentario primo Galenus est autor. Potus ergo qui insumitur, patitur in ventriculo alterationē quandam, & cum cibo cōmitionē, in vnā c hylī substantiā, in qua cōmutatione separātur feces, & recrementa alui pituitosa. In iecoris vero cauo & mese raicis venis, alterationē alteram suscipit chylus: qua in rudem sanguinē conuertitur. Per quam cōctionem, vtraq; bilis separatur, flaua ad cistim, in iecoris cauo sitam, & melancholicus succus ad splenē, per manifestum & effatu dignū meatū. Sanguis vero nondum exactam suscepit elaborationē, sed per minutissimas venas iocinoris, e cauo ad gibbum trāsīt, vbi magis ac melius elaboratur. Atq; in hac elaboratione iocinoris, separatur potus: non enim ante hanc, mistio potus cum cibo, in vnam chylī substantiam, fuit soluta. Hic vero merito à natura renes sunt fabrefacti, qui familiaritate quadam, serum ad se alliciant, & per alios meatus, in vterque & vesicā effundant. Atq; hinc pendet intelligentia, doctissimi Actuarij, libro primo de Differentijs vrinarum, capite quinto, vbi vrinam recrementū esse tertiæ cōctionis dixit. Non enim aliam cōctionem, à sanguifica intellexit, sed in duas eam partitur, vnam quæ in cauo, & alteram quæ in gibbo epatis perficitur. Hic autem aduertere oportet, quod venæ corporis, habent ab ipso iecore, distributā vim sanguificandi, ut sexto de Placitis Hippocratis & Platonis post medium, & septimo libro Methodi capite ultimo, autor est Galenus. Hac virtute, sanguinē ab ipso epate distributum, magis atq; magis, ipsæ venæ perficiunt, & in vltiori hac elaboratione, atq; perfectione, portio altera feri, quæ in iecoris gibbo non fuit separata secedit, & separatur à sanguine, ex qua membra rorātur, & post quā inutilis facta est, aut sudore aut insensili transpiratione vacuatur. Et ob id Galenus decimo libro de Simplicium medicamentorū facultatibus, capite decimo tertio, de sudore ita scribit. Sudor, vnus hic etiam est, humorum in animantis corpore prouenientū, eandem habens materiam, & eundem generationis modum quem vrinæ: Siquidem vtriq; ex bibito humore constat generatio, excofacto simul in corpore, & nonnihil biliosæ substantiæ adepto. Quibus verbis constat (apud Galenum) potum esse materiam sudoris, & vrinæ, & eundem vtriusq; esse generationis modum. Fit enim vterq;, per separationem excrementi serosi, à facultate sanguifica iocinoris. Hoc vero solum distat quod vrina separatur in ipso iecore, sudor vero in venis, postquā renes & emulgentia vasa effugit sanguis. Sed quid potus

potus, nō sit vrinæ materia, videntur persuadere multā. Primo quod volucres bibentes, non mingunt. Secundo, quod in latebris degentia, mingunt, & non bibunt. Tertio, quod homines à potu temperantes, mingunt. Quarto, quod libro secundo Præsigiorum, commentario trigesimo, vrinæ naturalis materia, statuitur non potus, sed concoctus humor. Quinto, quoniā quilibet humor habet suū serum, ex quo mictum fieri est verosimile. Sexto, quod potus, eo quod sanguinem traduxit, per minutissimas venas epatis, non posset vasorum mōstrare conditionem, nec morborum tempora, salubritatem aut insalubritatem, longitudinem & breuitatem, atque innumera alia, quæ Medici ex vrina petunt. Primum vero, soluit Alexander Aphrodisiensis, quarto libro Problematum, problemate centesimo vndecimo, quod volucres, plurimo indiguerunt humore, ad peniarum generationem, & ut exercendo inter volandum consumerent, & stercora etiam liquidiora egerunt, quæ sine mictu potum dissipant. Animantia vero, quæ in latebris degunt, sicuti plurimam accerbarunt cruditatem, ex qua nutriuntur: ita plurimam cacochimiam serosam, ex qua mingunt. Nec obstat, quod quarto libro de Sanitate tuenda, capite sexto, & libro de Plenitudine ad finem, omnē cacochimiā describens, de serosa cacochimia non meminit Galenus: rara enim est, quoniam ob tenuitatem facile dissipatur, & eius præterea mentionem habuit sexto libro Aphorismorum, Commentario quadragesimo sexto. Qui à potu præterea abstinent, mingunt partem aqueā ac potulentam, in omnibus alimentis repertam, præsertim in fructibus, & plantarum succis: quæ etiam potus nomine venit intelligenda. Libro vero secundo Prognosticorum, Commentario trigesimo, vbi Laurentianus vertit humore, clarius vertisset humiditate, in hunc modum. Vrina naturalis modice crocea est, ut pote ex humiditate consistens concocta, quæ flauæ bilis parum recepit. Græcus enim codex ὑρῶν habet. Cuilibet præterea humori, suum inest serum, de ipsius humoris substantia, diuersum pro diuersitate humorum, quorum serum esse dicitur. Attræ bilis serum, est acerbissimum, minus acerbum flauæ, minus item quam hoc pituitæ, omnium mitissimum sanguinis, sexto libro Epidemiarum parte secunda, Comentario trigesimo octauo, autore Galeno. Sicuti enim lac, aqueam partem habet, de ipsius lactis substantia, ita & humores omnes, partem tenuiorem & serosam habēt, quæ ab humoribus ipsis excussa, cum vriali aquositate misceri potest, & humorū à quibus separatur notitiam præ se ferre. Hanc vero humiditatem, nunquam humores à se excutiunt, dum integri sunt & incorrupti, exemplo lactis, quod integer dum est, suum serum seruat: Excudit vero a se dum corruptum. Sic dum humores putrent, serū suū elidūt, quod cū vrinis excernitur. Libro ergo decimo simpliciū, vbi vrinā dixit esse potum alteratum, cui nonnihil bilis est admixtum, de vrina egit sanorum. Quod clarius expressit secūdo Prognosticorū, Commentario trigesimo, addens verbū naturale dū dixit. Vrina naturalis modice crocea est, ut pote ex humiditate cōsistēs concocta

concocta, quæ flauæ bilis parum recepit. Si vero humores corrumpantur, tunc eorumdem mixture soluta, serum ab ipsis separatur, & a renibus, simul cum aquositate vrinæ, in vesicam excolatur: non enim renes, rationis haud competes, inter hoc & illud serum separant, tantum est eis tributa vis, serum à parte pingui, & crassa separandi, non hoc serum ab illo. Sic dum sanguis putrescit, crassa & fibrosa sanguinis pars, cogitur in caseum, & serum ipsius rubrum, pariter cum vrinâ excernitur. Et ob id colore subrubra apparet, secundo prognosticorum, commentario vigesimo septimo, nam vrinæ naturalis color dilutus, retrahit rubrum sanguinis, ad subrubrum. Dum bilis putrescit, crassius quod in ipsa est cogitur, & tenue serosum, igneas atque subtiles vrinas reddit. Pituita putrescente, eadem ratione albæ redduntur vrinæ, nisi in sanguinem & ipsa quadantenus etiam commutetur, nam tunc rubidæ apparent, de quibus meminit Galenus primo libro de Arte curatiua ad Glauconem, capite de signis febris quotidianæ. Melancholicus vero succus paucum habet serum, & difficile excutitur, ob humoris crassitiem & rebellionem. Quare vrinæ in quartanis, magis apparent albæ, ob cruditatem, & obstructions, quas succus melancholicus parit: Nisi forte ad finem quartanarum, vbi humor maxime subactus est, & serum non adeo tenacissime retinet, quo tempore subnigræ quandoque visuntur. Tam perpetua vero est, huiusmodi seri separatio, ab humore qui corrumpitur, quod non modo putrescens, verum & corpus nostrum enutrients (nam tunc quoque corrumpitur humor) serum excutit. Quod etenim crassum est in humore, fit membri substantia, serosum vero, recrementitium est, & vacuari postulat, vt constat ex Galeno, secundo libro de Facultatibus naturalibus, capite vltimo, vbi ita scribit. Verum seri genera, quæ in succis habentur, omnia sunt excrementa, purumque ab eis esse, postulat animalis corpus. Dum ergo humor, per tertiam coctionem, in membri substantiam decedit, duplex in hac coctione, sicut in alijs fit excrementum, tenue, ac crassum. Ex crasso fit sordes, quæ membris inhaerent, & vestimentis adhærescit. Et ex eo etiam in quibusdam partibus emergunt pilli. Tenue vero & serosum, quod succis inerat, vacuatur insensibili transpiratione si naturalissime & valet, & gubernatur corpus. Si vero aut naturalis calor languet, vel nutrimento vititur, quam iustum sit ampliore, vel motus quidē vehementior animali contingit: per sudorem, & perspirationem visibilem purgatur, vt constat apud Galenum 3. libro Methodi, cap. 3. & libro 3. de sanitate tuenda, cap. 13. Differt autem hic sudor à priori, qui eandem materiam habet cum vrinâ, nam hic tertie coctionis, ille secundæ, quæ fit in epate & venis, sicut & vrinâ ipsa est superfluitas. Quod non aduertens Auicenna, secundo libro, cap. 657. sudorem definiuit dicens, quod est aquositas sanguinis, cui pus colericum est admixtum. Et paucis interpositis, sudorē vltimæ coctionis, vrinam vero secundæ recrementum esse testatur. Quæ non coherent, nam aquositas sanguinis, cui pauca bilis


per

permiscetur, etiam si sudore elidatur, est secundæ, non tertie coctionis recrementum. Sudor vero alter, qui ex tertia coctione purgatur, non est aquositas sanguinis, quæ bili permiscetur. Quare male illa duo coniunxit, quæ diuersis congruunt sudoribus, non eidem. Quomodo vero vrinâ, significet salubritatē & insalubritatē, morborū ætates, longitudinem & breuitatem: soluunt quidam existimantes, quod portio seri a renibus non purgata, quæ cum sanguine per venas processit, partim exhalatione transpirat, partim sudore vacuatur, partim retrocedit, atque ad renes vsque relabatur, & ab eisdem trahitur, atque per vterque in vesicam excolatur, quæ postea mixta, euidenter ostendit, omnium eorum quæ in venis sunt, conditionem & statum: quoniam ibidem cum humoribus est commorata, & non leuem cum ipsis alterationem est passa. Contra vero est, quod primo libro de Facultatibus naturalibus, aperte non recurrere, sed resolui statuit: perinde atque in fructibus, & plantarum succis, diurnitate dissipatur, secundo libro Simplicium, capite decimo sexto, autore Galeno. Vis præterea naturalis, habens per cutem commodam expurgationem, nunquam repellit intro. Si vero eorum quæ diximus, non es immemor, non erit tibi difficile nodum soluere. Quod tamen vt melius assequaris, aduertere expedit, quod cuiusque partis in corpore superfluitas, eam quæ illi inest dispositionem ostendit, si cocta quidem fuerit salubrem, cruda autem agram: deiectio dispositionem ventris, sputum thoracis, mucus cerebri, hyppa oculorum, sudor vniuersi corporis, pus partis vlcerate. Sic & vrinâ iecoris & vasorum, salubritatem aut insalubritatem monstrat, primo libro Crisium, capite septimo, & primo libro Epidemiarum, parte secunda, Commentario quadragesimo quarto, & primo libro Prorrhæti, Commentario secundo, & libro de Artis Medicæ constitutione ad finem, autore Galeno. Monstrat ergo vrinâ, qualis sit coctio iocinoris, quoniam coctionis eiusdem est excrementum, siquidem subrufa fuerit, aut subflaua, & mediocre habuerit substantiam, optime valet iecur, & vasa. Nam aquositati potulentæ, ex qua fit vrinâ sanorum, accessit bona concoctio, & pauca bilis eiusque naturalis, rufæ videlicet aut flauæ mistio. Si vero alba, viridis, nigra, rubra, aut liuida mingatur vrinâ, malam iocinoris & vasorum significat dispositionem. Nam aut non concoxisse, aut aduifisse, aut prauos humores quos continent corrupisse, & eorum serum potulentæ parti, quæ naturalis mixtus est materia, misceri significat. Sic præsentem dispositionem, sanitatem scilicet, & morbum, & ex hoc, aut illo succo pendere, monstrat vrinâ. Et ex frigido longitudinem, ex calido breuitatem promittit. Tam in calido autem, quam in frigido, quatuor ætatum, & temporum morbi signa præ se fert: in morbo salubri, per augmentum coctionis, & in lethali, per augmentum putredinis. Incipiētia enim, & debilia, principium significant, maiora augmentum, maxima statum. Sic fortunam, ex vrinâ præuidere datur, & diem atque horam nonnunquam, in qua altera fortuna cōtinget,

vt

ut tertio libro de Crisibus, autor est Galenus. Amplissimam ergo utilitatem, habet Urina inter omnia excrementa, quae aut partis, aut totius, significant coctiones. Primo ex liquore, quoniam coctionem motioris, omnium maxime necessariam, & potissimam, significat liquor. Secundo, quoniam cum Urinae liquore, permiscetur serum humorum patrescentium in Vasis. Tertio, quoniam significationem magnam, praestat ex contentis, nebula, appendiculo, subsedimento, albo leui & equali, ad citam salutem: sub rubro, ad diuturniorem. Viridi, liuido, nigro, similaceo, fufuraceo, scamoso, aut orobino, ad mortem. Quarto, quoniam indicat coctionem humoris peccantis, summum bonum in morbis, & putrefactionem atque colliquationem maximum malum. Accedit quod significationem dat, in grauisimis morbis, plenitudinis & caecohimiae. Et ideo magnam vim habet, in omni febre, siue febris sit accidens, siue essentia, primo libro Crisium, capite septimo autore Galeno: & in acutis, & grauisimis morbis, ipsa sola, (id est etiam si reliqua non consentiant) est signum fidele, ut autor est Galenus, sexto libro Epidemiarum, sectione prima, nono commentario. Atque haec pro nostrae breuitatis stylo, de hac re dicta sufficiant.

EXPLICITVS EST LIBER
de Humoribus.



INCLYTO, AC MAGNANIMO PRINCIPI DOMINO Illelono Perez de Guzman el bueno, Duci de Medina Sydonia, Comiti de Niebla, Marchioni de Caçaça, dignissimoque Almadrauarum domino: Petrus de Peramato medicus, librum hunc nuncupat.



VI omnia à maioribus iam diu inuenta esse fantur, nihilq; de nuò dici, quod non sit dictum prius praedicant, clarissimae Dux, plurimum autoritatis labori, mihi detrabere videntur. Cuius tamen tam admirandae sunt laudes, ut neminem vnquam fefellerit, neque ingenti fructu fraudauerit, si ad veritatis inquisitionem, animum voluit adijcere. Vox hercle illa, desiderum est: atque eorum, quos aut domestica vrget necessitas: aut auaritia acti, opibus cumulandis inuigilat: aut quod peius est, eorum qui mollitie, delitijs, ac ludis, sanctissimam artem contaminant: aliter enim de fructuosissimo labore sentirèt, nisi eiusmodi ludibrijs, essent effascinati. Nos vero, qui ab ineunte aetate, omnes delitias, in literarum labore, cõstituerere maluimus, & indefesso studio, emaculati candoris veritatẽ, vnde cumq; latentem, & impeditam eregimus, quantum fructum afferat nouimus, & communis vtilitatis ratione, plura in arte medica, ingenti labore parta, & feliciter excogitata, prelo dare decreuimus. Cœpimus autem à nostri corporis elementis, tam primis, quam secundis, quæ tuæ excellẽtiæ dicauius: quod an id quod praedicamus praestiterit, aliorum esto iudicium: doctis enim placuisse fama est. Hic vero qui de Temperamentis inscribitur (nisi me paternus fallit affectus) clarius nostrorum laborum fructum ostendet, & dignior est quem tu Princeps clarissimae, tua virtute & autoritate tuearis: quod non grauatẽ te esse facturum, & confido, & posco. Dices fortẽ, quid Principi, cum Medicorum libris? Multa & praecleara recẽsuimus Regum exempla, in medica nostra introductione, nondum edita, qui non modo medicina delectabantur, verum & praestantissimi medici fuerunt: & verè Principi viro, nihil medicina charius, nihil iucundius, nihil fructuosius, in vita contingere potest. Vale Principum exemplar, & ornamentum.

De Temperamenti essentia, atque definitione.

CAPVT PRIMVM.



I quatuor elementis, ad minima diuisis, & certa quadam mensura conuenientibus, mutua quadam suarum qualitatum refractione, mista fiunt. Nam si magnopere vnum elementum, reliqua euincat, non fiet mistio, sed transmutatio illorum, in valde excedens. Quod exemplo vini guttæ, quæ in aquæ amphoram inicitur, ostendit Aristoteles: fit enim tuuc, aquæ ex vino generatio, non mistio: & cum ignis aquæ guttulis inspergitur, non modo non temperatur, verum & ardet magis. Oportet igitur, vt ea quantitate ad mistionem veniant, quæ vnum, aut reliqua conuertere, aut in ipsa conuerti nequeat. Nec hoc tamen sufficit, vt mista generentur: infinita enim possunt esse, elemēta permiscendi rationes, & mensuræ: mista tamen, infinita esse nequeunt: quoniam Deus finita creauit. Fit ergo necessarium, vt plurimi elementorum concursus, in quibus elementa ipsa mutuo temperantur, & franguntur, sint inutiles, & frustranei, ad generationem misti. Alij vero, in quibus is adest calidi, frigidi, humidus, atq; sicci cōcentus, & proportio, qualis misti gignendi natura expetiuit: ij vtilis sunt, & temperamentum creāt. Ex quo elicio, temperamentum non esse primarum qualitatum concentum, harmoniam, aut proportionem, vt Fernelius definit. Primo, quoniam proportio eorum quæ miscentur, requiritur ad mistionem: tam mistio autem, quam proportio, prærequiritur ad temperamentum. Secundo, quoniam calidum, frigidum, humidum, & siccum, iusta quantitate, & proportione conuenientia, temperamentum efficiunt: vbi elementa sunt efficientia, temperamentum effectus, & proportio est ratio efficiendi: quæ valde inter se distant. Tertio, quoniam proportio est relatio, quæ vt omni caret vi agendi, ita ex aduerso, temperamentum omnium functionum autor ponitur. Elicio secundo, temperamentum diuersum quid esse, à calido, frigido, humido, & sicco refractis, & coagmentatis. Primo, quia vbi deest vtilis proportio elementorum, ad gignendum mistum, quantumuis refractione temperentur, mistum non gignitur, quare neque temperamentum. Secundo, quia elementa efficiunt temperamentum, nihil autem se ipsum efficit. Tertio, quia magnam diuersitatem, inter elementa, & temperamentum, agnouisse Galenum, eo patet, quod nullibi de alia forma misti, præter temperamentum meminerit. Per temperamentum namq; scribit, primo libro de vsu partium cap. 9. carnem esse carnem, neruū esse neruum, & singulas partes id esse, quod sunt. Et secundo libro de natura humana, com. x. ita scribit. Formas voco, corporis naturas, quarum essentiam demonstraui, in quatuor elementorum temperatione consistere. Quæ Galeni doctrina, quantumuis prorsus non probetur, & alibi à nobis, fuerit explosa (præter temperamenta enim, formas substantiæ ponendas esse, est verius) conuincit tamen, aliud, idq; nobilius, esse temperamentum, à calido, frigido, humido,

mido, & sicco refractis, & coagmentatis. Quarto, nam diuersa temperamenta, & proprietates in animantibus apparent, ad quæ, calidum, frigidum, humidum, & siccum, non videmus attingere: ferrū enim coquit, & exurit, structio chamelus: quod non immutant, animantia alia, ipso calidiora, nec ipse ignis externus. Quare ex alia perfectiori, & potiori qualitate id pendet, quam temperiem, aut temperamentum appellamus. Vnde in libro de artis medicæ constitutione, & 7. Methodi, & primo de naturalibus facultatibus, cap. 3. scribit Galenus, fieri corpus simile, quod pro temperaturæ qualitate, aut sensu pollet, aut vacat, aut neruus est, aut os, & actionem edit tantum diuersam, ab aliarum actionibus, quantum ipsa particula, ab alijs quæ illas edunt, est diuersa. Differt autem vna, ab alia, temperamento: quare qui vult (inquit) actionem earum seruare, ipsum temperamentum seruet. Quinto, ex quatuor humoribus in sanguinea massa, & in lacte ex triplici substantia, qua constat, vna fit complexio, ab ipsorum humorum, & partium lactis temperamentis diuersa, vt libro nostro de humoribus, capite sexto, diximus. Cum ergo ex sanguine hoc, & semine, nostræ generationis primordijs, gignitur homo: temperies alia, eaq; perfectior, & firmior creanda est (quæ à sanguinis, & seminis temperie distet, in locum eius, quæ ex massa sanguinea corrumpitur) vt formæ nostræ seruiat. Sexto, ex qualitatibus secundis, inuicem permistis, resultant & gignuntur, diuersæ qualitates à componentibus, vt ex permistione colorum & saporum constat. Ex partium præterea coaptatione hac, aut illa, consurgit in cōposito pulchritudo, aut deformitas, & vniuersim figura, aut circularis, aut triangula, quæ omnia, sunt qualitates denuo genitæ. Multo ergo melius, ex primis qualitatibus, tanta agendi, & immutandi vi præditis, & ex ipsis elementorum minimis, vtili commistione à natura dispositis, vna creari potest & debet qualitas, ab elementis, & elementorum qualitibus diuersa: quam temperamentum & sanitatem appellamus. Hac corpus nostrum, ad omnes functiones recte obeundas disponitur: perinde ac forma tibie, aut lyre, qualitas est & dispositio, præter fidium, & ligni substantiam, & naturam, qua suaues eduntur soni: hoc solo differens, quod lyre, aut tibie qualitas, tantummodo disponit suum subiectum, vt artifex possit modullari: temperamentum vero, non modo disponit nos, ad animæ & facultatum functiones obeundas, verum & vim agendi, pro facultatum, in quas ordinatur, natura possidet; ceu accommodatissimum instrumentum. Septimo, in compositione theriacæ, & plurium medicamentorum, post fermentationem gignitur noua forma, facultas, aut temperamentum, quod nulli inerat simplicium: vnde Auicenna inuentam fuisse credit diuina reuelatione, & Galenus examine, & perscrutatione scientifica: iungit enim Andromachus, antidota omnium venenorum, & omnium membrorum, vt omni veneno, & membro prodesset. Fit præterea, ex non purgantibus simplicibus, compositum expurgans, vt in stibio arte mathioli preparato videmus, in quo ex stibio crudo, & vsto, & chrysocola non purgantibus, fit validissimum expurgans: & scamonium,

quod potentius bilem, quam pituitam purgat, addito castoreo non purgante, potentius purgat pituitam, ut constat ex Traliano, & Auicenna in cura lethargi. Plures etiam sunt compositiones, multo supra omnia simplicia mirabiliores: nam in alimentis, sepe compositio, & conditura, est sapidior simplicitate: & in odoribus, aqua Angelorum vocata, vincit aquas simplices: & pastilli ex ambrā, moscho, styrace, lasere odorato, & alijs minus odoris, odoratiores sunt simplicibus, ex quibus constant. Quid ergo non putabimus, ex mixtione naturæ perfectissima, & secundum minima elementorum facta, temperamenta, & qualitates admirandas, ab elementaribus diuersas prodire? Minimum sane elementum, minus est minimo mixti, quoniam minimum mixti, mixtum est: ob idque in compositis quæ arte fiunt, minima mixtorum, seruant pristinam elementorum proportionem, quam in suis simplicibus habebant: & ex consequenti, qualitates denuo genite, & effectus earundem, non possunt esse tam diuersæ, & pugnantes, ac in mixtis quæ natura producit. Octauo, ex alimentorum, venenorum, & medicamentorum usu frequenti, comparatur noua, & stupenda qualitas, etiam si de nouo non accedat forma substantialis: ergo multo melius, ex prima elementorum commixtione, gigni valebit, qualitas perfectior, præter formam, quæ functionum formæ sit instrumentum. Siquidem quod Persica planta, in Perside fuerit venenosa, & in Aegyptum translata, facta fuerit alēdo apta, ab omnibus proditur, & nemini est incognitum, ut scribit Galenus, libro tertio, de causis symptomatum, cap. 1. & quod vetula nutrita cicuta, reddita fuerit venenosa, scribit Galenus, libro 3. simplicium, cap. 17. in quo loco transcribendo, errauit Auicenna, animum referens nutritam napello, pro cicuta: est enim napellus, calidum venenum, prorsus in nostram substantiam incommutabile. Experimento etiam scimus, Indos qui regi Portugaliæ subiacent, opio (ab ipsis Amphion vocato) non ledi (ut notat Orta, libro de simplicibus Indiæ) ob assuetudinem, qua eo uti didicerunt. De medicamentis vero, constat ex Galeno, libro de theriaca ad Pisonem, Mythridatem, magnum illum belligerorem, usu antidoti Mythridatij, antequam theriaca esset inuenta, tam firmam aduersus venena constitutionem comparasse, ut postea à Pompeio victus, veneno epoto, eoque copioso, mori non potuerit, donec ipse, amico suo Bistoco iniunxit, ut ipsum iugularet: eius vero filia (quæ ob eximium erga patrem amorem, cum eo mortem voluerunt oppetere) eiusdem medicamenti potu, subito conciderunt. Ex usu quoque theriacæ, salubrioris adhuc, & maiori examine, ac perscrutatione compositæ, bonam quandam temperiem, salubremque statum, & firmam constitutionem, aduersus pestem, & venena, & morsus venenosos, comparari: testatissimis tradit experimentis. An hæc potest ars, & ultra primarum qualitatum coagmentationem, non potest in comixtionibus natura, temperamentum, & firmam dispositionem creare? quis ei mirandas surripuit vires, & tribuit arti? Nono, qualitates elementales, admodum fluxæ sunt parumque durantes, nisi in unitatem temperamenti durabilioris conspirēt: tricesimo siquidem anno, viget theriaca, & usque

in

in sexagesimum, vim utilem seruat, ut scribit Galenus, libro de theriaca ad Pisonem, cum tamē plura recipiat simplicia, quæ annum vix integra seruētur. Oportuit ergo ut animantia, viuatiōra, & magis durantiā sint, non habuisse naturam, in solo calido, frigido, humido, & sicco, coagmentatis: sed potius in temperie istis superueniente, quæ vna cum sit, minus est fluxa, & à se ipsa non discrepat, sed vna formæ mixti inseruit, eiusque est ad omnes functiones durabilissimum instrumentum. Vnde recte Auicenna, capite de eo quod comeditur, & bibitur, scribit: quod complexio præparat rem, ad recipiendum formam specificam. Hanc quintam qualitatem, agnouit Auerrohus, libro de generatione, ubi Commixtio (inquit) est qualitas media, inter contrarias qualitates, in corporibus agentibus, & patientibus æqualiter. Et secundo colliget, cap. 1. Et differentia (inquit) quæ reperitur in istis corporibus consimilibus, non euenit nisi secundum differentiam, & mensuram, siue temperantiam calidi, frigidi, humidi, & sicci: & secundum quod inuenitur in eis, alia forma temperantiæ. Et Alexander Aphrodisiensis, libello de mixtione, ita scribit. Quoties plura corpora, quæ & agendi vicissim, & patiendi vim habent, in idem coeunt, ita vero sese habent, ne contrarietatibus adeo, alterum superari ab altero possit, ut abeat in illius migrans naturam, tunc (inquam) hæc corpora, propter virium, ac potestatum equalitatem, per quam dum agunt, mutuo quoque patiuntur, eatenus progrediuntur, donec abiecta contrarietatum excellentia, propter quas diuersa erant, & contraria, vnicam ex omnibus illis potestatibus, qualitatem effecerint, vnita simul atque vna, eademque, facta ea materia, quæ vtrisque, vel omnibus ipsis subieciatur. Quod Aristoteles, secundo libro, de generatione, & corruptione, cap. 7. prius insinuasse fuit visus: postquam enim elementorum in vna communi materia, vicissitudinariam transmutationem demonstrauit, ita scribit. Ac primum quidem sic elementa mutantur, ex his autem carnes, & ossa constant, quæque sunt eiusdem generis, cum id quod calidum est frigidum, & quod frigidum est calidum efficitur, & ad medium perueniunt. Hoc enim neutrum est. Hoc ergo medium, quod neutrum (inquit) esse extremorum: temperamentum, aut complexionem appellamus. Quam Auicenna doctissime definiuit, prima primi, ubi ita scribit. Complexio est qualitas, quæ ex actione ad inuicem, & passione contrariarum qualitatum, in elementis inuentarum: quorum partes ad tantam paruitatem redactæ sunt, ut cuiusque earum plurimum, contingat plurimum alterius prouenit. Hæc Auicenna, quæ subabsurda, visa sunt Fernelio, ait enim Auicennam velle, eam qualitatem, quæ ex actione, & passione mutua elementorum, in mixtione fit, esse simplicem, & eam superesse, reliquis pereuntibus à quibus est facta. Quod tamen falsum esse probat. Primo, nam omnes qualitates primas perire, est impossibile, saltem enim, quæ validior est, à contraria corrumpi nequit, debetque superesse. Secundo, quoniam si corrumpentur, nulla maneret in mixto contrarietas, & repugnantia: quare nec senesceret, nec ex interno principio unquam occumberet. Tertio, in mixti dissolutione, elementa non segregarentur: vnde

1 3 enim

enim qualitates, quas in mixtione amiserunt, resumerent. Sed frustra laborat, nam Auicenna, nec somniauit quintam eam qualitatem, esse simplicem, nec primas qualitates extingui. Sed ex mutuo adhaesu, & actione, quinta qualitas resultat, quae quatuor dictarum, veluti frenum est, & actionum suarum terminus, ne vltiori actione, & passione se perimant. Nam & ipse Auicenna, suam statim definitionem, nullis lineis intermedys declarans, ita subiungit. Cum enim adinuicem agunt, & patiuntur suis virtutibus, accidit ab earum summa, qualitas in toto earum similis, quae est complexio. Quibus verbis voluit, quod elementa agunt, & reagunt, suis virtutibus, id est, qualitatibus, quae sunt elementorum virtutes, donec in vnum coeant, fiatque omnium summa vna: ex qua coniunctione, & summa qualitatum, accidit, atque consurgit in toto mixto, & omnibus elementorum minimis, qualitas quinta, quae similis est his qualitatibus, quae in vnum coierunt, & hanc appellat complexionem. Ex qua sententia, nec primas qualitates ibi perire, nec complexionem qualitatem esse simplicem, inferre possumus. Et paulo post, complexionem quandam esse calidam, & frigidam aliam, quoniam plus in hac est frigoris, in illa caloris, scribit: puerorum etiam complexionem, calidam esse, & humidam. Quae non diceret, si primae qualitates non superessent: nam non modo superest qualitas vincens, sed & reliquae, nulla enim extinguitur in mixtione, sed omnes viuuntur in quinta, quae ipsis est frenum, & perfectio, qua non amplius se ipsas conficere curant. Exemplum esto, in palido colore, ex albo & nigro genito, in quo, ut color temperatus seruetur, additurque noua perfectio paloris, quae diuersa quantitas est: si enim extremi colores, non seruantur in medys, non esset palidum nigro canariis. Modestius in Auicenna irruit Valesius, qui quintam hanc qualitatem, se non intelligere confitetur. Quoniam temperamentum (inquit) non potest esse vna qualitas in toto corpore, nam longe inter se distat membrorum temperamenta: nec potest esse vna qualitas in singulis membris, nam singulae etiam membrorum particulae, diuersa habent temperamenta: quare diuersas etiam (apud ipsum) & pene infinitas habebunt eiusmodi qualitates, quod cum videatur absurdum, nunquam dabitur, hanc quinta qualitas, quae temperamentum est. Dicendum vero, quod utcumque res habeat, nec possumus, nec debemus effugere, multiplicia temperamenta, in singulis partibus corporis humani: nec vnum temperamentum totius, ex omnium coalternatione consurgens. Si temperamentum est proportio, multiplices proportionales, concordant, aut harmonias, pro partium nostri corporis multiplicitate ponemus. Si est qualitatibus primarum coagmentatio, multiformes coagmentationes. Si vero qualitas coarsurgens, multiplices qualitates, ex quarum demum coalternatione, vna totalis consurgat, exemplo lactis, in quo triplex inest substantia, triplex temperamentum, & triplex actio, ut consistat ex Galeno 3. lib. de alimentorum facultatibus, cap. 13. & saepe alibi. Praeter quas tamen tres particulae temperies, vna habet ex omnium coalternatione natam, quae lactis temperies est, per quam lactis forma, & natura seruetur, ut pulchre Auicenna docet, libro secundo, tractatu primo, cap. 1. Sic homo, ex multiplicis

multiplicis temperamenti partibus constat, ex quarum coalternatione, temperamentum aliud proficit, cuius gratia hominis natura seruetur. Nec oportet in singulis membris, hoc temperamentum, equalem intensiorem habere, sed in cute, ad quam omnium intemperantium membrorum actio terminatur. Condecuit enim ob tactum, qui ab excellentijs tangibilem exui debet, omnium membrorum intemperantias in cute coequari. Sic theriaca, ex pluribus diuersorum medicamentorum constat temperamentis, ex quorum mutua actione, & fermentatione, temperamentum aliud, diuersaque facultas resultat, a temperamento, & facultate simplicium: quam non habet, ante integram fermentationem, quoniam ante eam, actio fit magis, virtute simplicium, quam compositi. Ob idque actio opij, primis annis manifestissima est. Addit Valesius, Auicennam non definire, an qualitas haec (qua complexionem esse statuit) sit actiua, an passiuua. Dicendum tamen, quod haec qualitas, est actiua, & passiuua, ut primae qualitates ex quibus constat: est enim efficiens omnium functionum, tanquam instrumentum omnium facultatum, & formae, & patitur etiam, euersionem suae integritatis per morbos. Quod si nec actiua, nec passiuua esset, sed sui subiecti dispositiua, tum ut suscipiat, & seruet formam mixti, tum ut corpus dispositum reddat, & edendis operationibus aptum, ut de lyra & tibia dispositione diximus, nihil incommodi sequi video: omnes enim hos usus exhibet, agendi, patiendi, & disponendi. Obicit tertio, quod aut eandem habet essentiam haec qualitas, cum naturalibus facultatibus, aut diuersam. Si eandem, vna, & eadem qualitas, esset tractrix & expultrix, & moueret motibus contrarijs, tractionis scilicet, et expulsionis, quod fieri nequit. Si diuersam, frustra illam qualitatem ponimus. Primo, quoniam ex calido, & frigido, humido, & sicco, iusta ratione temperatis, sine quinta aliqua qualitate interueniente, facultates naturales orientur. Secundo, quoniam si qualitas ea intercedit, ex ea cum vna sit, non resultabunt diuersae virtutes, sed ex varia mensura qualitatum primarum: quare superflue interponitur, siquidem in ordine causandi non intercedit. Tertio, vna facultatum lesa, reliquae incolumes esse queunt, quoniam proportio, calidi, frigidi, humidi, & sicci, requisita ad vnam, vitari potest, non vitata proportione, quae requiritur ad aliam. Cuius euentus causa, si temperamentum est qualitas quinta, trahi nequit: ea enim vitata, omnes facultates, quae ex illa pendent, necessario lederentur, nulli ipsarum superstitie manente. Dicendum tamen, quod ex calido, frigido, humido, & sicco, iusta ratione temperatis, vna fit in mediam, ac ipsis perfectiore, ac potentiore qualitate: qua praesente, introducitur forma mixti, & anima in animantibus: quae nec ante ipsam introducitur, nec ipsa manente, excluditur a subiecto. Anima vero introducta, suas vires ipsa, de suo promit sinu, ut libro de facultatibus nostrum corpus disponentibus, cap. 1. docuimus. Harum virtutum interuentu, diuersas & contrarias, anima exercet functiones, & in ijs obeundis, utitur temperamento, tanquam instrumento, & calido innato, & quibusdam organis corporis: ut fibris rectis, ad tractum: transuersis, ad pellendum: & obliquis, ad retinendum. Ad coquendum vero, non utitur fibris, sed parte caruosa, & abundantia sanguinis, ac spi-

ritus. Vbi sicut nihil incommodi est, spiritibus & innato calido naturam uti, ad attractionem, & expulsionem: sic nec si eodem uteretur temperamento. Præterea quod videtur diuerso, nam cum hæc qualitas quinta, reliquas in se habeat unitas, calorem frigus, humiditatem, & siccitatem, calorem magis accommodabit ad tractum, & frigus, ad expellendum, veluti cum præter naturam refrigit, calore se reducit, & cum incaluit frigore, multo potentius, quam si solus calor, aut frigus, se reduceret. Nam maior est temperamenti vis, quam calidi, aut frigidi, ut diximus. Sicut vero calorem magis accommodat ad tractum: ita vbi calor refrigit, lædi potest tractio, illæsis cæteris. Minor tamen semper est læsio tractionis, & aliarum actionum firmitas maior, ob perfectionem illius quintæ qualitatis, ex quatuor unitis resultantis. Nec obstant etiam aliæ rationes, quas obijcit Gaspar Lopez, primo libro de temperamentis, cum aliqua forma (inquit) à philosophis, quæ sensu non percipiatur, statuitur: id fit, propter aliquam operationem, quæ in aliam causam referri nequeat, sed ita habet, quod seruetis qualitatibus, & forma substantiali, nihil est quod tribuamus quintæ qualitati: nam calfactio, frigefactio, humectatio, & exsiccatio, à primis qualitatibus fiunt: attractio vero, retentio, expulsio, coctio, generatio, nutritio, auctio, ab anima, & eius facultatibus procedunt. Ergo superuacanea est huiusmodi quinta qualitas. Dicendum primo, quod hæc qualitas, ex ipsa est, quæ sensu percipiuntur: sanitas enim qualitas, aut dispositio est secundum naturam, ex qua sensibiles operationes secundum naturam procedunt: nihil autem refert, siue sanitatem siue temperamentum dixeris. Secundo, nam qualitates quæ sensum fugiunt, & intellectui innotescunt, non magis debent ordinari in operationes, quam quæ sensum sunt notæ: color autem albus, aut niger, in Germano, & Aethiopo, & dulcis sapor humanæ carnis, & aliæ huiusmodi qualitates, non ordinantur in operationem aliquam (quas tamen nemo negat, quoniam sub obtutum cadunt.) Ergo quæ sensum effugiunt qualitates, si intellectui innotescant, non sunt eximendæ, ob operationum defectus. Tertio, quoniam in lyra (ut diximus) resultat ex ligno & fidibus concinne dispositis, qualitas & dispositio, quæ ipsa lyra, apta redditur, ut à citharædo pulsata, dulcè sonum edat: quæ passiva tantum est, aut verius dispositiua subiecti, nullam vim habet ad modulandum. Sic ergo sufficere deberet, quintæ huic qualitati, subiectum disponere, ut anima & eius facultates, sanas edant actiones. Quin omnem qualitatem, quæ ita disponit subiectum, quæuis sit è secundis, temperamentum appellat Galenus, perspicuitas enim corneæ, quæ ipsam disponit ad visum, temperamentum est, & eiusdem opacitas, quæ visum lædit, morbus in temperamento habetur apud ipsum: tenuitatem etiam & crassitatem cerebri, nomine temperamenti complectitur: libro enim artis medicinalis, postquam solum temperamento in cerebro notas tradere proposuit, ex discursu velocitatem, tenuitatem cerebri, & ex tarditate ac hebetudine, crassitatem colligit. Tertio etiam de locis patientibus, cap. 6. idcirco scribit, colorem melancholice mores mutare, quoniam alibi ostenderit, mores animi, temperamentum sequi. Colorem ergo, humoris temperamentum compellat: & omnem qualitatem

quæ

quæ immediate disponit ad actionem, quæuis nullam edat actionem, temperamento nomine insigniuit. Accedit, quod quinta hæc qualitas, omnes edit operationes, calfaciendi, infrigidandi, humectandi, & exsiccandi, gignendi, nutriendi, & augendi: quoniam est instrumentum gignitricis, altricis, & auctricis facultatis, & frenum, modus, ac terminus, qualitatum primarum, in nobis repertarum. Non enim aliud est in nobis calor, quam qui hanc qualitatem componit: nec is frigiditatem aliam debellat, nisi quæ ab hac qualitate exorbitat. In hac enim qualitate, calor atque frigiditas, amicitia quadam coniunguntur, ita ut utriusque actio, & finis, non tam sit calfacere, aut infrigidare, quam mediam hanc qualitatem, quæ ex ipsis consurgit producere, & tueri. Addit, quod si ad introductionem formæ unius elementi, non una qualitas, sed plures disponunt: & quanto res est perfectior, plura requirit, sequitur ut ad formam mixti, non una qualitas, sed plures concurrant. Sed hæc ratio, & aliæ quædam, quas deinceps subdit, eo peccant, quod supponunt, hanc qualitatem (apud Auicennam) simplicem esse, & primas qualitates non superesse: quod ne Auicennam somniasse probabimus.

Sed age, quid isti temperamentum esse velint audiamus. Duplex (inquit Lopius) temperamentum est, alterum elementorum, alterum qualitatum. Primum substantiale, quod nihil aliud est, quam quatuor elementa alterata, & unita. Secundum vero, qualitates primæ alteratæ, atque comixtæ. Sed hoc secundum, nisi quintam qualitatem producat reiecerimus, & in primo comprehenditur: elementa enim alterata, qualitates primas comprehendunt: aliter namque, alterata esse nequeunt. Primum vero, cum sit substantia, essentie temperamento, repugnare videtur: temperamento enim nomen, præter id quod qualitatem præ se fert, idem est cum sanitate, quæ qualitas est, aut dispositio secundum naturam. Quod si aliud esse sanitatem, à temperamento statuas, ex temperamento hoc tuo, sanitatem resultare, & proignari, non ideo inficias: quare qualitas quinta, necessario resultat, siue sanitatem, siue temperamentum ipsam appellare malis. Valesius vero, qui elementa secundum formas, in mixtis non manere tradiderat, ex partibus terreis, aqueis, igneis, & æreis, ad minima certa proportione mixtis, quendam substantiæ modum, qui est habitus naturalis, & omnium virtutum fundamentum, per totum generari tradit, atque hanc proportionem, esse naturam temperiæ, per quam singula membra suas operationes participant. Et præter hanc proportionem, esse secundam aliam (scribit) quæ ex hac prima proficiscitur: proportio, scilicet, qualitatum primarum, quæ quoniam mutatur leuissimis ex causis centies, dispositio potius, quam habitus, venit appellanda. Quæ sane sententia, pugnantia claudit. Si enim temperamentum est proportio, & proportio est relatio, quo modo erit, aut habitus, aut dispositio? Quo modo item, quintam qualitatem euitat, qui modum substantiæ, & habitum dictum ingenerat? Tam habitus enim, quam substantiæ modus, in qualitatis categoria proculdubio continetur.

Traduntur quædam quæ ad temperamentum pertinent
rater essentiam attinent, CAPUT III.

I 5

Inter



INTER artis medicae scriptores, sunt qui subtilius agētes, non unam qualitatem, ex quatuor primis resultare, sed binas: ex singula contrarietate unicam, affirmant. Calor enim & frigus, cum in se operantur, ad mediam qualitatem, & naturā veniunt, ab ea longe diuersam, quae ex siccitate, & humore consurgit: ex diuersa enim contrarietate, diuersa quoque actione, ac retusione, diuersus effectus consurgat par est. Sed falluntur existimantes, qualitates passiuas, à se ipsis, in creatione mistorum, & non ab actiuis affici. Passivae enim ob id praesertim appellantur, quoniam passivè potius, & materialiter concurrunt, in generatione mistorum: activae vero, quoniam passivas subigunt, & perficiunt. Ob id Aristoteles, secundo libro de generatione, & corruptione, harum essentiam, & definitionem, ponit in agendo, congregando scilicet & disgregando: illarum vero, in facili, aut difficili termino suscipiendo, & retinendo: quod pati est. Simile quoque evenit, in misti generatione, ei quod in arte figuli (ut notat Philoponus. 2. de generatione, & corruptione, com. 8.) Etenim in fictiliū opificio, humidū, & siccū cōgressa, materiā fictiliū operatur: frigidū vero, hanc cōpingit, & calidū mutat maxime, & facit fictile. Sic simplex, & secundū naturā generatio, permutatio est materialis, & passivarū qualitatum, ab actiuis proportionatis, ut. 4. Metheo. cap. 1. scribit Arist. Sic coctio, perfectio est, ab innato calido, in oppositis passivis facta. Et inquinatio, imperfectio ex caliditate natiui defectu, & incomensuratione ad ipsum humidum. In quibus omnibus, qualitas perfectionis, aut imperfectio, ex cōgressu activarum, cōmensuratione, aut incomensuratione ad passivas, gignitur: non autem ex actione passivarum inter sese. Quo fit ut una qualitas, una perfectio, & temperamentum unum, resultet in animalis, aut plantae generatione, dum activae qualitates, passivas evincunt, non autem duo, ut censuerunt. Ex quo etiam colligitur responsio, ad obiectionem quam affert Galenus, primo libro de facultatibus naturalibus, capite tertio, aduersus Aristotelem, ubi contraria de actiuis qualitatibus, ipsum scripsisse autumat. In libris enim de generatione, & corruptione, quatuor activas qualitates esse demonstravit: in Metheoris vero, & problematibus, duas tantum activas agnovit. Ita enim eò loci scripsit Galenus. Sunt tamen non pauci viri non incelebres, nec philosophi modo, sed etiam medici, qui calido, & frigido, actionem tribuunt: siccum, & humidum, pro patientibus, ipsis subiiciunt. Ac primus quidem Aristoteles, particularium omnium causas, referre ad haec principia est aggressus: sequutaque eum postmodum schola Stoicorum est. Quamquam his quidem (utpote qui elementorum ipsorum, mutuam mutationem, ad fusionem & densationem referant) consentaneum erat, calidum, & frigidum, activa principia statuere: Aristoteli non item: sed cum quatuor qualitatibus ad elementorum generationem sit usus: satius erat omnes particulares causas in has reducere. Cur igitur in libris de generatione, & corruptione, quatuor utitur: in meteorologicis, & problematis, atque aliubi, tantum

tantum duabus? nam si quis in animalibus, & stirpibus, calidum, & frigidum magis agere, siccum vero, & humidum, pati dixerit, fortasse etiam Hippocratem subscriptorē habuerit: sin pari modo in omnibus, non arbitror id cōcedet, non modo Hippocrates, sed nec Aristoteles, modo eorū, quae in libris de generatione, & corruptione, non simpliciter ac nudè, sed cum demonstratione nos docuit, meminisse velit. Haec Galenus, aduersus Aristotelem. Pro Aristotele tamē est, quod omnes quatuor sunt activae, actione mutua inter sese: ob idque ex illis solis, elicitur elementorum numerus, primo libro de generatione, & corruptione. Actione vero, quae cōvenit compositis, qua mista sunt, aut composita: duae tantum ex ipsis sunt activae, calor scilicet, & frigus, quae reliquas duas subigunt, & perficiunt. Quod. 2. lib. de generatione tradidit, & apertius lib. 4. Metheo. Quin inter has activas, calor agit per se, frigus vero per accidens: nam passivis annumeratur qualitatibus, apud Aristotelem. 4. lib. Metheo. cap. 5. quoniam passivis inest corporibus, aqua scilicet, & terra, & quoniam agit potius ad corruptionem, quam ad generationem, & perfectionē. Nisi per accidens (ob antiparitasim retrahendo calorem, aut eius forte actionem limitando) perfectae actionis, aut generationis, sit causa. Dum enim perfectum, ex imperfectiori prodit, generationē: dum cōtrarius est ordo, corruptionem eò loci appellat Aristoteles. Quo etiam significato dixerat, accedente sole ad nos, fieri generationes, & recedente corruptiones. Sunt autem Aristotelis verba, quae sequuntur. Quo circa frigus, passivorum magis existit, in his enim est: quandoquidem & terram, & aquam frigere supponimus. At frigus activum est, quatenus corrumpere: aut aliud quippiam, per accidens efficere potest: quemadmodum antea est dictum. Nam interdum & urere, & excalfacere, dicitur: non tamen perinde ut calor, sed quia calorem cogit, & in unum contrahit, aut eidem circumobsistit. Hanc Aristotelis sententiam, sectatus Auerrhous. 3. libro colliget, cap. 21. membra omnia voluit, calore (tanquam instrumēto necessario) suas operationes exercere: qui tamen determinatur à frigiditate commista, interdum superante, & alias superata, ita ut agens semper sit calor, non frigus. Frigus enim omne contrahit, cōstipat, & substantiam reddit immobilem, aut vix mobilem. Calidum vero, rarefacit, fundit, coquit, & movet: quas actiones, ad functiones naturales obeūdas, summe requiras oportet: aliter enim neque nutritio ex terra attractio, & per plantā distributio, neque alteratio eiusdem, neque concoctio, neque incrementū, nec germinatio, nec fructuū generatio proveniret, nisi calidū, efficaciam quā habet ad actiones, et ad eiusmodi motus, in planta superaret. Non quoniam oporteat, calidum in mistura vincere, aut in omni planta, aut in omni misto, ut sensu gētilis, prima. 1. utque philosophi quidam, Galeno antiquiores existimarūt. Sed quoniam niam calore quantūvis exiguo, ceu cōmodo instrumēto, ad actiones & motus paratissimo, ob efficaciam, & mobilem, atque motivā sui naturā, forma misti proptius utitur, atque expeditius, quā frigore ad congelationem, & immobilitatem opportuniori. Papaver enim, mandragora, cicuta, & salamanдра, ex omnium sententia frigida sunt, & mos enecant,

enecant, quanuis nutriantur, augeantur, & uiuant, exiguo suo quem habent calore. Quare immoderatus à Galeno scriptum est. 3. libro simplicium, cap. 6. recte à Philosophis, qui de tota natura scrutantur (id est, qui temperamenta in ordine ad medium totius substantie inquirunt) dictum esse rosam, & plantas reliquas calida esse: medicis vero, qui in ordine ad hominem temperamenta inquirunt, dictum esse non recte. At dixerat, primo libro de temperamentis, idem Galenus, hominem temperatum, medium esse vniuersae substantie. Quare vtriusque comparatione, recte aut non recte dictum erit, non autem philosophis recte, medicis vero non recte. Veritati tamen contraria, interdum sunt litigiosis concedenda, si in principio aliquo, ad presentem veritatem indagandam opportunè, conueniunt. Sic vt morosos huiusmodi philosophos aufugeret, cōcessit illis ita loqui, in ordine ad vniuersam substantiam, (dum modo sibi cum illis cōueniat, in ordine ad hominem) medicis inquirēda esse temperamenta. In quo sane, vel eo tunc cōueniebat, quod omnes vno ore pronuntiabāt, papauer, mandragoram, cicutam, salamandram, & similia frigida esse. An vero viuens omne calidum sit, & humidum, propriū infra habebit caput. An frigidum vero, opera interdum naturæ per se ingrediatur, libro de facultatibus tractamus. Quid quoque singulae qualitates primæ, & singula etiam elementorum corpora præsent, quosque vsus in mixtione exhibeant, libro de elementis tradidimus.

De numero temperamentorum, & a quo sit incipiendum. CAP. III.




S ex calido, frigido, humido, & sicco, mixtis, & alteratis, commutatio fit, in mediam naturam, & perfectionem, quam temperamentum dicimus: quo modo ex ea cum vna sit, carnes, & ossa constabunt in vno corpore, & in diuersis hominibus, diuersæ saluabuntur temperaturæ? Respondet Aristoteles. 2. libro, de ortu, & interitu, cap. 7. quod medium hoc indiuiduum non est, sed multas habet stationes, & magnam latitudinem, tum quæ diuersitati partium, & ætatum, respondet in vno animanti, tum etiam diuersitati indiuiduorum in vna specie. Hanc latitudinem Galenus, in nouem partitur temperamenta, inuicem dissidentia: quorum præcipuum, medium tenet calidi, frigidi, humidi, & sicci, & in equilibrio, aut quasi, omnium quatuor est constitutum: quatuor sequentia, vnam qualitatem excedentem habent, cum alterius oppositionis mediocritate: sicut & quatuor alia, bina constant qualitate à medio recedente. Neque enim plures quam quatuor sunt qualitates primæ, quæ simplices intemperantias constituant: neque ipsarum plures quam quatuor, possibiles copulæ esse queunt, vt libro de elementis tradidimus.

Primum, à quo qui doctrinam de temperamentis tradere studet, medium est temperamentum: quod reliquorum omnium, velut canon est, & polycleti statua, ad quā reliqua

qua referantur, vt primo libro de temperamentis, & libro artis medicinalis, cap. 51. scribit Galenus. Reliqua enim, cum excessus sint nomina, in comparatione ad hoc medium dicuntur, & eo posterius noscuntur: saltem cognitione intellectiua, in qua intemperatum, comprehendi nequit, sine agnitione temperati: nec mensuratum, sine agnitione mensuræ: neque obliquum, sine notitia recti. Sensui enim, qui huiusmodi respectus non nouit, sed vim ac actionem obiectorum, absolute comprehendit, notiores sunt excessus, quam moderantia: res mensurata, quam ipsæ mensuræ: obliquitas, quam rectitudo: morbus, quam sanitas à qua deflexit. Præstat autem iuxta agnitionem illam intellectiuam, temperamenta inuestigare, quam sensus tarditatem & ignauiam spectare. Primo, quoniam cum sensus (vt diximus) respectus non noscat, & regula careat, qua referat excessus, irregularis est prorsus. Secundo, quoniam exiguos excessus, fere non cōprehendit, donec in magnitudinē insignē, ac irreparabilem assurgunt. Ob id Medici indocti, qui sensum tantū, & non intellectum sequuntur, morbos incipientes non cognoscunt. In quem sane sensum aduerbio, simpliciter, prout opponitur respectiuo, vsus est Galenus. 2. libro de victus ratione in morbis acutis, commentario. 47. vbi ita scribit. Verum singula hæc completa simpliciter cognoscuntur, cum vero fiunt & sensum crescunt, medicos plerosque latent. Quæ sane, non quando ob magnitudinem auxilio iam carent, tunc cognoscere oportet (quod vulgo contingit) sed & cum incipiunt, & fiunt, hoc siquidem optimum est. Quibus Galeni verbis, & sententia admoniti, intellectiuam, & exactam cognitionem, quæ regulam habet, in quam excessus referat, sequemur. Priusque de temperato corpore, cuius comparatione intemperata, reliqua omnia dicuntur agemus: quantumuis mediocritas, minus calore, aut frigore, obesitate, aut gracilitate, innotescat sensui: exacta siquidem notitia, calidi, aut frigidi, obesi, aut gracilis, nunquam habebitur, sine comparatione ad quadratum.

De temperati significatis, vbi omnia temperati significata expenduntur. CAP. IIII.



RIPLICIS significati corporis temperati, meminit Galenus, primo libro de Temperamentis. Primo enim, quod medium est vniuersæ substantie generabilis & corruptibilis, hoc nomine intelligit. Quoniam autem omnis huiusmodi substantia, calido, frigido, humido, & sicco, constat: concludit temperatum corpus id esse, quod omnibus his quatuor æqualiter cōeuntibus gignitur. Primo enim libro de Temperamentis, capite. 12. ita scribit. Substantiam medio temperamento esse dicemus, cum pari modo ab extremis abest, quæ scilicet, & principia omnium sunt, & elementa. Porro aberit pari modo ab extremis, cum ea coætinet æqualiter inter se mixta. Aequaliter vero dicta quatuor

tuor coire tum perhibet, cum aequales quatuor elementorum portiones, mensuræ, aut pondera, inuicem miscentur & alterantur. Nam eodem primo libro, de temperamentis, cap. 11. ita scribit. Vbi simpliciter substantia quæpiam eucratos, siue temperata dicitur, tum hac, alia siccior, alia humidior, & alia frigidior, alia calidior: eo loco eam, quæ ex contrarijs, æqua prorsus inter se portione coeuntibus constat, eucraton siue temperatam nominari, quæcunque vero ab hac deficiunt, superantq, aliquo ea superantis nomine vocari. Et rursus eodem capite subdit. Est igitur temperaturæ æqualitas, in omnibus temperatis animalibus, styripibusq, non ex ea, quæ ex parte elementorum commistorum spectatur mole, sed quæ tum animalis, tum styripis naturæ conuenit. Capite etiam n. 17. eiusdem libri postquam cutem, verè mediam omnium extremorum, calidi, frigidi, humidi, & sicci, pariq, interuallò, ab utrisque abesse dixit, subdit. Iam utique & constat, ex omnium horum æquis portionibus, &c. Quibus locis, æquales elementorum portiones, & æquales moles, modos, aut mensuras, accipit Galenus. Ponderis etiam, simul & mensuræ, meminit Galenus, eodem primo de Temperamentis, cap. 11. in hæc verba. Iustitiam esse dicimus, non quæ pondere & mensura, sed quæ eo quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat. Quare non est, cur Gaspar Lopius, æqualia pondera elementorum sumenda esse vetet: tantumq, concedat æquales portiones, aut moles, aut mensuras, ad huius temperati corporis fabricam, Galenum sumpsisse. Contra enim est, primo, quoniã non horum solum, sed ponderis etiam meminit. Secundo, quoniã cum elementa, in genere substantiæ reponantur, non in genere quantitatis, per æquales elementorum portiones, aut moles, æquales recipiuntur earundem, non autem quantitatis debemus intelligere. Tertio, quoniã mensura, quæ fallax & iniqua futura non est, à pondere diuersa esse nequit. Nam pondus est lex mensuræ, & omnes iustæ mensuræ, ad sua referuntur pondera. Mensuræ enim oēs, sunt fallaces, in æstimanda, & libranda re mensurata, nisi suo ponderi conueniant. Fac enim tibi, æqualiter miscenda fore, vinum, oleum, & mel: plus olei, quam vini, parte nona: & vini, quam mellis, parte dimidia conijcies: quoniã oleum, parte nona leuius est vino, & vinum melle parte dimidia. Vnde mensura, quæ capit mellis uncias quindecim, repletur vini uncias decem, & olei nouem: Ponderis enim, quantum de cuiusque substantia, & materia recipiatur, exactè declarat: mensura vero, nisi ad pondus referatur, verax esse nequit, propter modos substantiæ diuersos, crassitie & tenuitate, valde distantes. Non ergo intelligere oportet, per æqualem, aut molem, aut portionem, aut mensuram elementorum, aliud à pondere, quod est mensuræ regula: nisi cum res æqualis fere ponderis permiscetur, vt gelida aqua cum feruenti: aut cinis, vel terra aliqua, non admodum ponderosa, cum aqua: tunc enim parum refert, pondere ne utaris, an mensura. In elementis vero, per decuplum sese excedentibus inuicem, non sic: sed perinde ac in melle, vino, & oleo (si æqualiter sunt miscenda) mensura mellis, vino est implenda

plenda, & dimidium in super est addendum. Oleum etiam, postquam vino æquaueris, nonam vini partem addere conuenit. Ita decuplum aque, vigecuplum aeris, & ignis, trigecuplum, addere ad terram, in elementorum commistione oportet. Sic enim, & pondus æquale sumes, & summe qualitates contrariæ, in elementis reperia, ad medium interualli, peruenient. Nam ex hoc ceu fundamento iactò, primo libro de compositione medicamentorum per genera, & 5. Canone, cap. 1. artem componendi medicamenta, docent Galenus, atque Auicenna: ita enim scribunt. Sepe cum corpus, aliquatenus calefacere volumus, simplex nullum, quod præstare id queat, habemus. Medicamentum enim curans, affectioni cui adhibetur, proportionem nimirum respondere oportet. Ergo si dispositio sit frigida, quatuor numeris à naturali recedens, curaturum ipsam pharmacum, totidè gradibus mediocri, symmetrouè, calidius esse oportere, quis ignorat? Porro cum interim, tale simplex nullum adsit, si duo habeamus, quorum hoc numeris quinque, illud tribus calidius sit, ea si miscuerimus, mediū efficiemus, quatuor numeris symmetrū exuperas. Quibus verbis, ad medium semper interualli, contraria se deducere voluit, vbi æquo pondere decertant. Sic si ex chamæmelo, & rosa, temperatum facere volumus, vtriusque pondus æquale miscemus: ex chamæmelo pariter ac lythargiro, aut ex rosa, & agalochò, dum medium temperamentum, conficere volumus: licet valde impares ad oculum, vtrorumque sint quantitates, æqualia pondera in vnum conijcimus. Quod etiam in compositione temperati in vniuersa substantia, Galenum voluisse (primo libro de temperamentis, cap. 12.) non est dubium: vbi ita scribit. Substantiam medio esse temperamento dicemus, cum pari modo ab extremis abest, quæ scilicet & principia omnium sunt, & elementa. Porro aberit pari modo ab extremis, cum ea continet æqualiter inter se mista. Nam pariter abesse ab extremis, nihil aliud est, quam ad medium peruenire interualli: quod non aliter, quam ex contrarijs, æquo pondere mistis, tam in medicamentis, quam alimentis, & quibusque etiam alijs contrarijs, verum esse oportet. Hinc falsum esse elicimus, quod arbitrantur libram ignis, reliquorum elementorum libras singulas, prorsus debere corrumpere, & in sui naturam conuertere: ad medium enim potius interualli, aut ad aliquanto calidius, propter caloris maiorem efficaciam, se deducunt omnium quatuor libræ singulæ, post integram actionem. Nam ante mutuam reactionem, compositum & congeries, ex singulis quatuor elementorū libris, non potest agere in tertium, nisi iuxta medium interualli: quoniã id compositum contraria continet æquata. Non ergo se corrumpent, sed perinde ac ignis sphaera, decuplo maior, nec aërè, nec alia elementa corrumpit prorsus, vt libro de elementis tradidimus: ita nec in huius temperati generatione, contingere oportet. Quo enim quidpiã rarius est, ac leuius, eo imbecillius operatur: quo grauius, & densius, vehementius: pondus autem æquale, vires exæquat, quoniã materiã exhibet æqualè: in materia autè equali, æqualis etiã reperitur qualitatis forma. Huius temperati corporis imaginè, & velut obumbrationè, nobis præparare iubet Galenus, primo

primo libro de temperamentis cap. 17. miscendo aquæ feruenti, parem modum niuis,
 aut glaciæ: quod enim (inquit) ex ambobus est mistum, pari interuallo ab utroque
 extremorum aberit, & eo quod vrit, & eo quod frigore stupefacit. Si terram quoq;
 (inquit) quæ sicca sit, vel cinerem, vel tale aliquid quod plane sit aridum, pari aquæ
 modo imbueris, medium in sicci, humidique compositione effeceris. Nihilque (inquit)
 iam erit difficile ei, qui ita mista viderit, ac tetigerit, medium vniuersæ substantiæ,
 in vtraque oppositione habere, eiusque meminisse, pro norma & exemplari, ad quod
 calida, frigida, humida, ac sicca referat. Quauis enim veram mistionem perficendi,
 in qua elementa ipsa, tota per tota alterantur, & in vnum temperamentum vniuntur,
 omnibus elementorum minimis insidens, solius Dei, vel Naturæ sit munus, atque
 appositionem eiusmodi efficere, vt sensum effugiant singula simplicium corporum,
 non solum naturæ opus, Deivæ est, sed etiam nostrum. Quare nobis facultas datur,
 huiusmodi imaginem, & exemplar, ex aqua feruenti, & glaciæ, & ex cinere ac
 aqua, in qua exerceamur præparare, eiusque meminisse, vt quando in temperata corpora
 à Deo, aut natura, creata inciderimus: noscamus ipsa, & eorum quæ ab ea deflectunt,
 caloris, frigoris, humiditatis, ac siccitatis excessus metiamur. Sed si omne
 mistum (vt docuit Aristoteles, primo cæli) mouetur ad motum elementi prædominantis:
 in quo elemento locabitur huiusmodi mistum, subsensum inter aërem & aquam,
 necessario debere esse, videtur multis: quoniam grauium, & leuium, æqualia pondera
 suscipit. Dicendum vero, quod ex ratione simplicium componentium, medium locus
 aëris, & aquæ sibi conueniret: præterea intermedium, vt qualitas secunda merito
 compositionis consurgat noua, quæ elementa præter se præterit: aut auctior reddatur,
 quæ præerat in elementis: plumbum enim, & aurum, ob id terra, & aqua, componentibus,
 sunt grauiora. Quod si intellexisset curius, hominis cutem, in medio aëris & aquæ,
 suapte natura, consistere non affirmaret, nisi (vt inquit) obstarēt partes aliæ, quæ plus
 terræ habent, quibus ipsa est coniuncta, & obuoluta, à quibus deprimitur, & deorsum
 simul fertur cum ipsis: auulsa vero, & ab alijs partibus separata, nec temperata
 est (apud ipsum) nec cutis est, vt quæ mortua sit: quare diuersum natura locum appetet.
 Contra vero est primo, quod in recens excoriata cute, quauis vita, & principiorum
 influxus cessauerint: mistio tamen, ex portionibus elementorum, eadem seruetur,
 donec putredine dissoluatur, & quodque ad suum remigret elementum, aut denuo
 in vermem, aut nouum aliud mistum conspiret. Quod si ab initio, eius dissolutionis,
 & putredinis vim persensit, leuior ex calore ebulliente, & flatus cõcitante, reddatur
 oportet, more cadauerum, quæ post triduum innatant. Si præterea quandiu cutis
 est temperata, ex sui natura consistit in medio aëris, & aquæ: fiet vt cor, iecur,
 & membra cute calidiora, suapte natura sublimius locentur: quod non dicet.
 Difficile etiam cum hac ponderis elementorum æqualitate, coherere videtur Aristotelis.
 4. libro Meteororum, cap. 4. sententia, vbi ita scribit. Porro ex omni elementorum
 genere, peculiarissime terræ quidem, siccum: aquæ autem, humidum tribuitur.

buitur. Eam ob rem omnia ista definita corpora, non sine terra, & aqua consistunt:
 sed potentia quoque huius esse videtur, cuius plus habuerit. Quin etiam animantes
 in terra, & aqua solum sunt, in aëre autem, & igni minime: propterea quod
 terra & aqua, corporum materies existunt. Quibus verbis, aquam, & terram, in
 mistis omnibus cetera voluisse excedere, quibusdam apparet: quoniam materia sunt, ex
 quibus corpora constant, vt dicit. Dominiū etiam & potentia, huius (inquit) esse
 videtur, cuius plus habuerit. Terræ ergo & aquæ (inquiunt) plus est in mistis, & ipsa
 cæteris dominantur. Sed hac dictione solum voluit Aristoteles, in misti procreatione,
 aquam & terram, materiæ vicem obtinere: aërem & ignem, magis vicem actus,
 quod verum est. Ex quo infert primo, quod terminata corpora, quæ constantiam &
 soliditatem quandam habent, sine aqua & terra non sunt: quoniam autem quedam, plus
 aquæ quam terræ, alia vero, plus terræ recipiunt, quam aquæ: ideo cuius è duobus
 plus habuerit, plus quoque virtutis & potentia, ex illo habebit. Infert secundo,
 quod animantes in terra & aqua solum sunt, in aëre autem & igne minime: nam
 volatilia quæ in aëre, & salamandra quæ in igne degit, ex terra & aqua, vel ex
 his quæ nascuntur in eis, alimentum desumunt, vt notat Aphrodisiensis in
 commentario. Ex qua plane sententia, nihil sumere licet, quod æqualitati elementorum,
 & procreationi eiusmodi temperati ad pondus, repugnet. Est vero temperati
 ad pondus, maioris æqualitatis significatum aliud, cuius non meminit Galenus, quoniam
 ipsum reperire, rerum naturæ repugnat. In hoc, non modo calidi, frigidi, humidi,
 & sicci, desideramus æqualem modum, & intensiorem, sed par robur: quod fieri
 non posse (sed qualitatum primarum naturis pugnare) est quam certissimum. Hæc
 duo temperata ad pondus, cum auctores interstinguere nesciuerint, proprias voces
 interdum ignorant, & secum etiam pugnantia dicunt. Quod vero huiusmodi temperatum,
 in quo par calidi, frigidi, humidi, atque sicci, robur seruetur, rerum naturæ
 repugnet, eo constat: quod calidum est actiuus frigidus, & minus ipso resistens,
 (vt libro de Elementis tradidimus) ergo si vtraque concurrant ad mistionem, vires
 agendi habebunt inæquales: quare tantundem, tunc de frigido oportebit addere,
 vt æquentur potentia actiua, quantum calidum excedebat agendo: & tantundem
 de calido, vt æquentur resistentia, quantum calidum inferius est in resistendo, nunquam
 huiusmodi potentia coequari quibunt, vt alterutra in alteram agat æqualiter.
 Nam quod ad medium interualli contraria peruenire dicebamus: intelligendum
 est, non de vera actione vnius contrarij, in alterum contrarium: sed de actione
 compositi ex vtroque contrario, in hominem. Huiusmodi enim actio, fit secundum
 medium interualli. Altera vero, qua vnum contrarium, alterum conficit: nisi
 contraria æqualia sint in agendo, & resistendo, ad medium interualli peruenire
 nequeunt. Nec valet, quod ex mutua elementorum actione, quandoque vincit calor,
 quandoque frigus, quod idem contingit in passiuis, ergo poterunt inuicem
 coequari, & pari robore insigniri, nec vincentes, nec victe. Non valet
 K. (inquam)

(inquam) nam improportio virium agendi ad resistentias, talis est, ut coequali nequeant: sed aut excedere, aut excedi. Nec enim ea proportione se excedunt, ut dicere possis, aequalem cladem, frigidum inferre calido, ob minorem calidi vim resistendi, ac ab ipso recipiat calido, ob maiorem efficaciam calidi: sicque vim agendi maiorem in vno, compensari cum vi resistendi minori in altero. Si enim ea proportione se excederent, aequale robur semper seruarent, nec sese conficerent, fieretque mistum ab interno principio incorruptibile: quod nulli conuenit misto, animato, nec inanimi: minus vero nobis, atque animatis omnibus: in quibus calidi efficacia, & agendi vis, adeo excedit efficientiam frigoris, ut semper nos, nostramque cutem, in quacunque aetate conficiat. Nec fere aliter, frigus in nobis vires habet, quam si per efficientiam calidi, absumpto proprio subiecto (humido scilicet, cui calidum insidet) ipsum frigus efflorescat: ita enim frigida senecta, & morte corripimur. Quare quauis calidum, & frigidum, ad mistionem conuenientia, ea mensura concurrant, & congregiantur, ut in fine actionis, par: prorsus, aut minor sit calor, frigore: Calor tamen, tunc erit potentior, tum ob sui naturam suapte sponte efficacior, & improportionabiliter frigidum minus resistit: tum quia forma misti, praesertim animalis, aut plantae, magis utitur calido, quantumuis exiguo, ceu instrumento ad suas obeundas functiones, quam frigido: ut capite secundo, huius tractatus diximus. Accedit, quod si dum aequales gradus sortiuntur calor & frigus, aequum robur assument, sic aequalia semper durarent: neuter enim alterum conficere posset: non durat autem nisi momentum, ob continuitatem motus, quo vnum, alterum necessario corrumpit (vnde indiuisibile id temperamentum, aut momento solummodo existit, & cogitatione potius, quam solide consistere, scripsit Galenus, primo libro de sanitate tuenda.) Ergo robur semper ipsis, est inaequale, & nunquam parem efficaciam habebunt. Quare non placet nobis Gaspar Lopez, primo libro de temperamentis, capite quinto, qui contendit temporis spatio, indiuisibile temperatae cutis temperamentum conseruare, calidioris sanguinis, aut aliorum calfacientium ad ipsam accessu, ne in frigidius labatur. Nam praeterquam quod Galenus, primo libro de sanitate tuenda, repugnat, eadem ratione probare posset, tota vita huiusmodi temperamentum seruatum iri: cur enim mense id vno fieri, & non altero: si calidior sanguis, aut calfaciens causa semper accedat, reddere rationem nequibit. Adhaec, aliud est temperamentum cutis: sibi proprium: & aliud aduentitium, ex calore (verbi gratia) Solis, aut Boreae frigore: illud naturale est, quo proprias sibi functiones cutis exercet: hoc vero, praeter naturam aduenit cuti, & nocuum est. Si sanguis ergo calidior, atque feruentior, ad cutem accedit, quam pro natura deberet accedere, plane laedetur cutis, & perinde, ac ex sole temperamentum aduentitium, ac praeter naturam, in ipsa sequetur: tantum abest, ut momentanei, & indiuisibilis temperamenti tutelam recipiamus. Quod vero, primo libro de Temperamentis, capite primo, conceptis verbis, aequalitatem ponderalem

ponderalem adimere videatur Galenus, non obstat, si sane intelligatur: ita enim scriptum reliquit. Constare animalium corpora, ex calidi, frigidi, sicci, humidique mixtura, nec esse omnium horum, parem, in temperatura portionem, demonstratum antiquis abunde est, tum philosophorum, tum medicorum praecipuis. Quibus verbis, aut varietatem temperamenti vnius speciei, ab altera intelligit. Aut si aequalitatem ponderalem explodit, non eam, quam eodem libro toties admittit, & commendat: sed hanc postremam, quam rerum naturae pugnare demonstrauimus, voluit de medio tollere.

Intelligit secundo, voce temperati Galenus, medium quodam in genere aliquo, sub generabili, & corruptibili substantia contento. Sic in gemmarum genere, temperatior est smaragdus, in genere metallorum aurum, sicut in genere animalium, homo. Ad id semper, quod temperato ad pondus magis accedit referentes. Homo enim, ob id leone & ape, est temperatior, quoniam medio temperamento, quod ex pari elementorum spectatur mole, magis accedit.

Tertium temperati significatum, in specie vltima, quae nullum sub se genus claudit, reperitur: idque temperatum ad iustitiam vocant. Nam cum temperies idonea requiratur, in singulis animalibus, & plantis, ac in partibus illorum, ad actiones edendas pro cuiusque natura: aliam oportuit esse proportionem elementorum in animalibus, quam in plantis, aliam in homine, quam in leone & cane, aliam in corde, quam in epate, & cerebro, sicut hepar & cerebrum, diuersam a reliquorum membrorum temperie, complexionem expetiuit. Neque enim similem temperaturam habere potuerunt, homo, leo, apis, & canis, cerebrum, cor, & epate. Sed est in leonum, canum, & equorum specie, temperatissimum leonem, canem, & equum reperire, in quo ea elementorum symmetria, ac moderatio subest, quae leonis, canis, aut equi naturae, maxime conuenit. Cor etiam temperatum dicitur, aut cerebrum, non quod medio temperamento vniuersae substantiae, accedit magis: sed quod optime pro sui habet natura. Id autem (aut cor, aut cerebrum, animal, aut vegetale,) inter omnia, ac singula indiuidua, temperatissimum est, & pro sui natura optime habet, quod actiones suas edere optime potest, ut capite. xi. primi libri de Temperamentis, scribit Galenus. Ficus enim virtus, bonitasque, est optimos, plurimosque ficus asferre. Ad eundem modum vitis, plurimas, optimasque uvas pendere. Equi vero, quam velocissime currere. Canis, ad venationes quidem & tutelam, quam animosissimum, & ad domesticos quam mitissimum esse. Fit ergo, ut huiusmodi temperatura aequalitas quae ad iustitiam est, in omnibus temperatis animalibus, stirpibusque, & ipsorum partibus spectetur, non ex ea quae ex pari elementorum commistorum mole constat, sed quae tum animalis, tum stirpis naturae conuenit. Ea autem cuique naturae, magis conuenit aequalitas, & operationibus edendis est accommodatior, quae ab extremis suae speciei, pari modo distat, ut libro de optimo corporis habitu, Galenus est autor. Canem enim medio tempera-

mento esse omnium canum dicimus, apud Galenum, primo libro de temperamentis, capite. 12. cum pari spatio distat ab extremis: & hominem, cum tantum recedit à bilioso & sanguineo, ex vna parte, quantum à pituitoso & melancholico, ex altera. Cor item, tunc temperatum habemus, cum calidi & frigidi cordis notæ, coëquantur in medio.

Quod medium temperamentum quo ad iustitiam, in homine coincidit, cum medio quo ad vniuersam substantiam, iudicio sensus.

CAP. V.



X nuper dictis temperati significatis, vltimum non modo homini, verum cuique etiam animanti, animantis parti, styripi, & inanimis etiam corporibus, quæ pro sua natura actiones optime edere possunt, conuenit. Secundum, in omni genere, vni tantum conuenit speciei, & in genere animantiu soli conuenit homini: hic enim quantumcunque intemperatus sit, reliquis animalibus est temperatior: tum quoniam ex elementis constat valde refractis, & multiplici compositione alteratis, tum ob operationum, quibus homo vacare debet (intellectionis scilicet & scientiæ) perfectionem, quæ temperatissimum, aut instrumentum, aut subiectum poscunt. Accedit & tactus præ ceteris animantibus excellentia, quæ exutum magis ab excellentijs tantum hominem esse indicat. Aperto enim errore tenetur Isacius, capite primo, testudinem, ad pondus temperatam esse asseuerans. Primo, quoniam nullum animal, est homine, aut temperatius, aut æquè temperatum. Secundo, quoniam testudo aquea est, & omnes homines refrigerat. Primum temperati significatum, illi soli conuenit homini, qui temperatus statuitur ad iustitiam. Quauis enim temperamentum iustitiale, non requirat æquata contraria, sed tantum de vno quoque accipiat, quantum corporis poscit natura, pro operationibus optimè obeundis: tanta tamen est hominis perfectio, vt ea proportio iustitialis & geometrica, quam pro optimis actionibus perficiendis requirit, incidat in temperamentum aliud ponderale, quod æquata recipit contraria. Ita vt qui in hominis natura, temperatum corpus nouerit ex actionum perfectione, certo sciat, pariter etiã se nouisse temperatum totius substantiæ, ex æqualibus portionibus elementorum constans, & omnium mediocritatem seruans, tum in calido & frigido, humido & sicco, tum etiam in duro molli, aspero leni, gracili & obesso, atque in ceteris omnibus, quæ contrariorum elementorum commistionem æqualem sequuntur. Nam in idem prorsus corpus (quantum ad medicum præsertim conducit) incidant oportet, indicia temperati ad iustitiam, & temperati in vniuersa substantia. Non enim alteratur in actiuis, ab æquali mixtura

stura niuis & feruentis aquæ, nec cineris & aquæ sibi æqualis in passiuis, quoniam à simili passio non fit: statim autem, ac mediocritatem eam æqualium contrariorum, alterans causa excessit, iam corpus nostrum immutat: ineuidenter quidem, dum excessus paruus est, & primi gradus: euidenter, & quæ conspici possit, in gradu secundo fit alteratio. Iam & nostram naturam euertit gradus tertius. Eam vero, affatim corrumpit quartus. Hinc pendent totius medicæ artis præcepta præcipua, corporis nempe temperati conseruatio, & intemperatorum ad ipsum reductio, ægroantium curatio, alimentorum & medicamentorum obseruatio, & qualitatum per diuersos gradus, & ordines partitio. Non est autem temperamentum hoc, indiuisibile, & punctuale, vt plurimi existimant, sed ad sensum tale, & latitudinem habens non minorem, quam reliqua intemperamenta. Primo, quoniam medicus, artifex est sensualis, & indiuisibilia temperamenta, non cadunt sub sensum. Secundo, quoniam operationum perfectio, ad quæ potissimè in descriptione temperati respicit, non pendet ex aliquo indiuisibili, aut punctuali temperamento, sed latitudinem habet vtrinque, pro exigui excessus, atque defectus ratione. Tertio, nam indiuisibile id, cogitatione potius, quam re ipsa comprehendit, & solidè non consistere, propter ingenitam nobis alterationem, & propter ea quæ nobis occurrant, affirmat Galenus, primo libro de sanitate tuenda. Temperatum vero, per omnes ætates durare potest, est enim id corpus, quod salubre simpliciter semper appellauit, primo libro artis medicinalis. Quarto, nam primo de temperamentis, capite. 18. dum temperatum hominem (qui intemperatorum regula esse debet) æstimat, sensibilibus vtitur notis, & medium in vniuersa substantia apparere debere scribit, in hæc verba. Insistentes igitur, hoc loco æstimemus, quis nam sit optime temperatus homo, quem scilicet, totius substantiæ, vel potius tum hominum, tum reliquorum animalium medium, veluti regulam, & normam statuētes: reliquos omnes huic collatos, calidos, frigidos, humidos, siccosq; dicere oportet. Concurrant ergo in hoc homine oportet, multæ notæ: quippe & cum vniuersa substantia collatus, medius apparere in ea debet, & magis etiam cum hominibus, & bestijs. Ac medijs quidem in vniuersa substantia, cōmunes notæ dictæ iam sunt, quæ vero in animalium speciebus notantur, actionis perfectione, quæ cuiq; sit conueniēs iudicatur. &c. Quibus verbis, medium calidi, frigidi, humididi, & sicci, huiusmodi corpus apparere, seu suum iudicio voluit: & magis adhuc ad animalia collatus, quam ad vniuersam substantiam. Quod autem magis & minus suscipit, indiuisibile non est. Quinto, nam idem monstrat imagines corporis temperati, quas ex niue, aut glacie, & aqua feruenti: & ex cinere, aut terra, cum aqua æqualiter mixtis cōponit. Nam in sumenda quantitate æquali, sensuum iudicium, & arbitrium nostrum est necessarium. Plurimum enim refert, pondere ne vtaris, an mensura: quorū vtroq; vtitur Galenus. 1. lib. de temperamentis cap. 11. niuis enim libra, multo maiori mole cōstat, quā libra feruentis aquæ: quare diuersum temperamentum cōsurget, ex mixtione æqualium quantitatum, ac ex mixtione

equalium ponderum. Pugillus etiam glaciei, pluris est ponderis, quam niuis pugillus, plusque habet de materia, & de formæ multitudinem, quamuis intensio frigoris, in vtraque sit par, formæ enim multitudo, materiæ multitudinē sequitur. Frigidius ergo temperamentum consurget, ex mistione glaciei, quam ex mistione tantundem niuis, cum aqua feruenti equali. Pugillus etiam terræ, plus habet de materia, & de siccitatis forma, quam pugillus cineris, non vnum ergo, & indiuisibile consurget temperamentum, ex permistione alterutrius cum aqua. Prætereo quod in iudicando temperato, a quo insigniter non afficimur, sensus facile falli potest. Sexto, nam temperatum in ætius, tepidum appellamus, & insigni constat latitudine, à frigido nempe in primo, ad calidum in primo. Lini semen enim, & chamæmelum in primo calida, tepida facit. xi. libro Methodi, Galenus. His addit rosaceum, primo ordine frigidum, tertio libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite. 6. & 10. Libro autem tertio, de his quæ in medicatrina, cōment. 33. quod nondum calfacit hominem, tepidum esse desinit, quoniam scilicet calido, & frigido dictis interioret. Septimo, accedit Galeni exemplum, de cithara bene tēperata, quam alter citharædus pulsans, aliquid reperit temperandum. Latitudinem enim habet, hæc bene sonantium vocum ratio, ex graui & acuto temperatis consurgens. Non ergo in indiuisibili, consistit essentia temperati, ex calido, frigido, humido, & sicco resultantis: sed quoniam ad neutrum extremorum labitur, latitudinem habet maiorem versus vtrumque extremum, quam intemperata natura, quæ ex lapsu simili statim egrotat. Octauo, nam salubria simpliciter semper, & salubria simpliciter vt multum corpora, de quibus libro artis medicinalis egit Galenus, temperata sunt: meliori tamen conditione illa tenentur, quæ in medio sunt propiora: hæc vero, ab illorum perfectione quadantenus decidunt, quoniam ad extrema latitudinis vergunt magis. Nono, nam temperati corporis latitudo, quæ ætatibus respondet ingens est, ab infantia enim, in senectam discurrit, temperantiam non violans: quamuis diuersum singulis ætatibus huiusmodi corpus acquirat temperamentum, illæ ætati naturale, & alteræ inutile, ac præter naturam. Indiuisibile autem temperamentum omnium quatuor qualitatum, nulla ætatis parte assequitur: quoniam semen & sanguis, ex quibus homo gignitur, calida sunt, & humida, apud Galenum, primo libro de sanitate tuenda: & puer ex illis genitus, calet & humet: quæ duæ qualitates, non ita progrediuntur, & contemperantur equaliter, vt simul ad mediocritatem veniant: nam humor quadantenus exsiccatus, in adolescentia ad mediocritatem venit, calore tunc non admodum mutato: calor vero tardius, ad finem nēpe iuuentutis contēperatur, ita vt tricesimo quinto anno, cæperit in frigidius commutari, quando iam corpus non parum siccum euasit. Decimo, nam temperatū vnius clymatis, diuersum est, aliterque dispositum, à temperato alterius clymatis, per assuetudinem quam ex aëre comparauit: ita vt si Sclauus, permutetur ad Indum, aut Indus ad Sclauum, infirmabitur, aut morietur, ex Auicenna & experimen-

to,

to, ingens ergo est latitudo corporis temperati, non autem arcta, atque indiuisua, vt plurimi censent. Vndecimo, nam nec ipsum indiuisibile contemperamentum medium, quod in media ætate acquiritur, vnius semper est modi: aliter enim disponitur, qui hyeme, quam qui æstate, id punctum nanciscitur, quo fit vt vel ipsum indiuisibile, fiat quodammodo diuiduum. Duodecimo, nam si propter momentaneum, & indiuisibile temperamentum, corpus diceretur temperatum, omnes intemperata natura, essent temperata: omnes siquidē à calida, humidaque pueritia, in frigidam, siccamque senectam profecta, necessario contemperantur in ætate media: non sunt autem omnes temperata, ergo quæ temperata sunt, propter temperamentum insignis latitudinis, sunt & dicuntur temperata. Decimo tertio, nam Galenus primo libro de temperamentis, capite vltimo, duplici ratione summam equalitatem calidi, frigidi, humidi, & sicci explorat. Prima ex coalternatione contrariorum membrorum, & humorum, quæ in ipso ita reperiuntur, vt quodque contrarium, suum compar habeat contrarium: quo ex vtroque compositum, temperatum dici queat. Calori enim sanguinis, atque bilis, reuelatur frigus pituitæ, & melancholici succi: humiditati vero sanguinis, & pituitæ, siccitas bilis vtriusque: cordi reuelatur cerebrum: iecori, lien: carni, neruus, ligamentum, os, cartilago, vena, arteria: ita vt summa equalitas, in vtraque oppositione seruetur, contrariorum membrorum compensatione, & coalternatione. Alteram vero, equalitatis eiusmodi rationem, in parte vna considerat, quæ scilicet: quæ non solum (inquit) omnium hominis partium: sed etiam vniuersæ (omnium quæ generationi, corruptionique, subiiciuntur) substantiæ media est: ea nec callosa, nec dura, lapideaue est, sed secundum naturam se habens. Quo scilicet cutis genere, maximè perfectum esse tactum censemus. Ac quod in duritia, & mollitie, medium omnium particularium locum sit sortita, abundè liquet. Quod autem & in calore, & frigore, similiter se habeat, ex eius substantia maximè intelligas licet. Est enim veluti sanguine præditus neruus, qui sit inter neruum & carnem, quiddam planè medium, ac si ex mistis vtrisque, constitueretur. Cæterum neruus omnis, exanguis & frigidus, caro multi sanguinis, & calida: media inter vtrumque est cutis, nec planè exanguis vt neruus, nec sanguine abundans, vt caro. Primam autem rationem, si expendamus, reperiemus non ad exactum & punctuale, equilibrium, frigida æquari calidis. Inter humores enim, sanguis & bilis, frigidus humores copia vincunt, & qualitatis intensione, & efficacia. Inter præcipua vero membra, cor, iecur, & testes, & spiritus in his contenti, calidiora sunt: quam cerebrum sit frigidum, vt Auicenna aduertit. Cerebrum item & ossa, cartilagines, nerui, membranae, & reliqua frigida, ex influente à principis calore calida sunt: ita vt cerebrum sit æstiuo aëre calidius, nudatum enim æstiuo aëri leditur, quia refrigeratur, vt scribit Galenus, octauo libro de vsu partium capite secundo, & tertio. Secunda vero ratio, quæ ex cutis summa temperie pendet, latitudinem eiusce temperiei apprime docet: nam cutis non est vnius modi, sed

K 4 que

quæ in manu est temperantior habetur, magis quæ in eius palma, ut scribitur, secundo libro de temperamentis, cap. 1. adhuc magis quæ in digitis, & quæ in pulpis & extremis digitorum, temperatissima censetur ex Auicenna. Quæ vero vniuersum corpus obtegit, intemperatior est, & quæ caput vestit, durior, ac minus nervosa creata est, ut onera, citra defatigationem, & sensum, vehere possit. Magnam ergo latitudinem cutis temperies habet, etiam in corpore temperatissimo. Nec putet quispiam, ex hoc Galeni textu delusus, cutem constare ex neruo & sanguine, aut ex neruo & carne, equaliter mistis, cum gentile prima primi, de complexione membrorum, ita opinante. Non enim verè constare ex neruo & sanguine, nec ex neruo & carne dicit: sed mediam temperiem, quo ad calorem & frigus attinet, habere inter neruum & sanguinem, aut inter neruum & carnem. Cutis enim similis est pars, seminaria, & alba, propria quadam sibi substantia, ut cætera constans: quæ neruorum filamenta, araneorum similia, aut paulo crassiora, ut humani capilli, ex substratis sibi partibus, recipit pro sensu, sicut & venas, & arterias, pro nutritione & vita, ut scribit Galenus. 3. libro de anatomicis administrationibus. Latitudo ergo corporis temperati (ut inde quo fluxit oratio non recedamus) ampla est, & latissimè funditur. Quo fit, ut quauis temperatum hoc, cum temperato in vniuersa substantia, sensuum iudicio coincidat (cum illud re ipsa, & suapte natura debeat esse indiuisibile, & cogitatione potius fingi, quam ultra momentum durare) præcepta medica, de hoc sensibili permanente, & latitudinem habente, sint intelligenda: nisi que comparatione, non autem comparatione ad medium totius substantiæ (quod aut cogitatione fingitur, aut non durat) medicamenta sunt graduata. In libro 2. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 6. scribit Galenus. Medium in vniuersa substantia, aliter locum habet in hac doctrina, nisi ex suppositione, medicis, & philosophis concessa, quod cutis manus hominis temperati, optimoq; habitu præditi, est medium totius substantiæ: quidquid enim hac cute est mollius, molle: & quod durius, durum absolutè appellant, non modo medici, verum etiam Plato & Aristoteles, ut scribit Galenus. 5. lib. de simpli. med. facul. cap. 3. Quare utriq; videntur supponere, tactum nostrum esse medium vniuersæ substantiæ. Medium (inquam) prout sensuum iudicio explorare quimus: non autem secundum exactam rei veritatem, quod sola ratio agnoscit, & cogitatio fingit potius, quam solidè consistere queat. Hoc ergo diuisibile, sensibile, permanens, & per ætatum decursum duraturum, vtile est, efficax, & conseruandum. Alterum vero, indiuiduum, non durans, inutile est, & nullius momenti, nisi quatenus in hoc diuiduo, & utili, clauditur. Ob id Auicenna prima primi, postquam equaliter ad pondus, in quo contraria partes vires possideant, secundum exactam rei veritatem, dixit impossibile esse, aliquo modo reperiri: rectè statuit, hominem temperatum, esse vicinissimum equali ad pondus. Ob vicinitatem enim, sensuum iudicio, & quatenus medico conducit, medium tenet inter omnia extrema, & non alteratur à mistura equali, gelidæ, & feruentis aque.

aque. Quare non placet expositio quorundam, quod ob id asseritur temperatissimus homo, vicinissimus equalitati ponderis, quoniam in ipso parum distant, membra calida à frigidis. Contra vero est. Primo, quod non alterari ab aqua feruente, & glacie, equaliter mistis, vicinitatem, aut identitatem, totius temperiei, cum temperie ponderali concludit: non autem diuersorum membrorum, vicinitatem inter se. Secundo, quoniam temperatissimus homo, membra habet secundum suam exigentiam temperata: ergo in eo plus distat cerebrum à corde, quam in homine intemperato, cuius cerebrum sit calidum, cor vero frigidum. Nec itè placet expositio gentilis, quod sicut equaliter ponderis, est medium elementorum, ita temperatissimus homo, est mediè omnium mistorum. Primo, quoniam non alterari, ab equali portione niuis, & feruentis aque, medium elementorum esse, non autem mistorum concludit. Secundo, quoniam simillimus, aut proportionalis, in hoc, quod est esse medium, dici posset homo temperatissimus, equali ponderis, iuxta suam expositionem: vicinissimus autem nequaquam, siquidem valde distant, apud ipsum, medium elementorum, & medium mistorum, tum gradu, tum etiam perfectione, in eoq; solo cõueniunt, quod est esse medium. Temperata ergo cõplexio humana, ea est, in qua calor & frigus, humor quoque & siccitas, quæ ex omnium membrorum compensatione consurgunt, in cute, aut æquatur, aut insensiliter transgrediuntur equalitatem. Aequalitatem autem insensiliter, vno fere gradu, transgredi possunt, nã gradus primus, siue caloris, siue frigoris actualis, iam sensui fit manifestus. Quare temperatam complexionem, quæ vna est, in nouem diuidere cogitatio potest: quarum vna, pares habet omnes qualitates primas: quatuor sequentes, simplicem qualitatem, insensiliter à medio exorbitantè habent: sicut & aliæ quatuor, binis qualitatibus insensiliter excedentibus, insigniuntur. Sed quomodo temperatum, sensuum iudicio dicitur, quod sola cute temperatum est, si reliqua membra omnia ad tactum, cutis respectu calida habet? Cutim enim calfacit, pars omnis recens detecta, & ulcerata, quantumcumq; frigida. Et cerebrum, quod inter omnia membra frigidissimum statuitur, est aère æstiuo calidius, ab ipsoq; refrigeratur, & læditur, ut scribit Galenus. 8. libro de Vsu partium: Aër autem æstiuus, cute est multo calidior. An non videtur insanum, corpus id temperatissimum statuere, cuius nulla pars præter cutem est temperata? Ignobilis enim, exiguiq; momenti pars, est cutis, quæ quauis vsum nos obtegendum præstet, nullam habet apud Galenum actionem (intellige toti corpori communem, nam priuatas, sibiq; proprias habet, nutritionem & auetionem, cæterasq; his seruientes) reliqua vero membra omnia, tam quæ munia, & officia excercant publica, quam quæ priuata, tangenti deprehenduntur calida. Dicendum, quod si nostri corporis membra, diuidantur per classes temperamentorum, frigida æquantur calidis, & sicca humidis, quantum bona cõconiectura assequi licet, ut constat ex Galeno. 1. lib. de temperamentis, cap. ultimo, & 2. de temperamentis, cap. 8. Nullum est tamen inter frigida membra, quod officium habeat publicum, gignendi materiam aliquam frigidam, vniuerso corpori vtilè.

Ventriculus enim pituitā gignit acidam, tanquā recrementum suae coctionis, per intestina expurgandum: cerebrum mucum, per nares, & palatum emungendum. Calida vero membra, nō sic: officium enim ipsis iniunctum est, gignendi sanguinem, & spiritus, pro totius corporis nutritione, & vita: quorum praesentia, vna quaeuis corporis pars, ultra suam temperiem innatam incalescit, temperamento alio influenti, & recepto à iecore, & corde: pariterque in frigidaretur, materia defluente à frigidis, si à natura in id essent destinata. Non sunt ergo plura calida frigidis, sed ex officio calidis iniuncto, gignendi sanguinem, & spiritus calidos, & transmittendi in omnia membra, quae frigida sunt, actu calent: & eo magis, quo plus sanguinis & spiritus recipiunt. Est enim ea receptio, iusta, non fortuita: sed quantum vniuscuiusque natura poscit, pro sui nutritione, tutela, & conseruatione, tantū ipsi de sanguine tribuitur. Quare nō est, quod quispiā existimet, defluentē temperiem, ab innata immutari, eā enim, vis quae influit, potius cōseruat, nutritionis, & vitae appulsu: quāuis incalescentis sanguinis, & spiritus praesentia, tactui nostro occultetur frigiditas, sic membra omnia intra cutē, actu calida sunt. Sic ex abundantia, aut paucitate sanguinis, cuiusque membri temperiem diiudicat Gal. 2. lib. de temperam. cap. 8. non quoniam sanguis largiatur membris temperiem, potius enim eam suo calore celat, atque occultat: sed quoniam non plus, cuiusque membro sanguinis tribuitur, quam suum poscat temperamentum. Cuti ea mensura tribuitur, quae medio temperamento conseruando, conueniēs est: quae minus sanguinis recipiunt frigida sunt, & quo magis exanguia, eo frigidiora: quod vero sanguinea magis, eo calidiora, vt. 2. lib. de temperam. cap. 8. scribit Galenus. Sed cur reliquarum partium frigiditas natiua celatur, & obtegatur, calore paucioris sanguinis: cutis vero membra temperata, non incalescit sanguine aliquanto copiosiore sibi tributo? Dicendum, quod huius causa est duplex, Prima, cutis maior à iecore, & corde distantia, & vasorum gracilitas, ac tenuitas, cuius ratione sanguinis, & spirituum calor, deferuit in via. Secunda est, cutis cum aere commercium: tantum enim ex eo, tum extra, tum per arteriarum oscula admissio refrigeratur, quantum ex sanguine, & spiritu incalescebat: praesertim in parte detecta, vt manu, in qua huiusmodi temperiem, iubet explorare. Hinc Gal. 2. lib. de temp. cap. 1. dum naturas ex tactu cognoscere docet: in frigida natura, postquam frigiditatem praepollentem, tangi debere asseueravit, admonitionem subiungit his verbis. Frigiditatem autem praepollere, vt in animalis corpore intelligere oportet, eoque tum sanguineo, tum humido. Quod ita Galenus admonuit, quoniam animalia etiam frigida, in pueritia, adolescentia, & iuuentute, calere possunt, praesertim si sint sanguinea, qualis homo est: quoniam ex sanguine, & spiritu, cutis interdum, incalescere potest, & natiuam (vt & ceterorum membrorum) frigiditatem celare, & obtegere. Quod non intelligens Brachelius, Galenum leuitatis, instabilitatis, & pugnantiae accusat. Intelligit enim per haec verba, Galenum voluisse, omnem temperiem humanam, à dominio calidam esse, contra ac paulo ante statuerat: temperatam autem,

& absolute frigiditas naturas negasse, dum non absolute, sed vt in animalis corpore frigiditatem praepollere, in frigidis naturis, falso interpretatur. Classes autem temperamentorum, omnium nostri corporis partium, quae totius hominis temperamentū, aut aequale, aut aequalitati proximū reddunt, quatuor sequentibus capitibus traduntur.

§ Omnium quae in nostro corpore calida sunt, classis ordinatur. CAP. VI.



VTIS media est, calidi, frigidi, humidi, atque sicci, quoniam nec est exanguis vt os, aut neruus: nec sanguine redundans, vt cor, aut iecur: sed mediam potius naturam nanciscitur, inter neruum exanguem, & carnem sanguineā: inter os siccum, ac durum, & mollissimam, ac humidissimam pinguedinem. Quare ab ea classes ordiri, si à remissiori incipimus, aut si ab intensiori, in ipsam desinere oportet. Quod ipsa est calidius, aut sanguine magis particeps, calidum est: quod frigidius, aut sanguine expertius, frigidum. Pro mensura enim temperamenti, quantitas sanguinis & spiritus, vnicuique tribuitur membro: nisi deferens alteri sit, vt vena, atque arteria, quorum temperies ad sanguinis, atque spirituum, quos deferunt proportionem, non est calida: quoniam exiguum sibi, multum vero alijs defert. Quare si venae, atque arteriae nomine, ipsa corpora venarum, atque arteriarum, secundum sui naturam, & elementorum commistionem quam habent intelligamus, frigida sunt, atque sicca, vt Gale. est autor. 1. lib. de temp. cap. 19. vbi postquam partes quasdam frigidiores ac sicciores memorauit, ita scribit. Deinceps membrana, & arteria, & vena, ipsa scilicet corpora vasorum. Quā ob auditionem Galenus eo adludit, quoniā alias vtitur nomine venae, atque arteriae, pro corpore vasorum, non simpliciter, sed pro vt alterata sunt à sanguine, & spiritu in ipsis contento. Quo certe significato, venae & arteriae, temperatae sunt, vt paucis interpositis, idem aduertit Galenus, in haec verba. Etiam tunicae ipsae, maxime sanguineorum vasorum, arteriarum dico, & venarum, non solum exanguis sunt, sed etiam frigidae naturae: contactu tamen sanguinis calefiunt, atque ad medium temperamenti, statum veniunt. Haec Galenus. Sed dubium est, quare calorem, aut frigus particulae, metitur Galenus per sanguinis abundantiam, aut defectum: potius enim per abundantiam, aut defectum spirituum, sanguine calidiorum, temperamentum eiusmodi metiri deberet? Dicendum, quod quoniam spiritus, sensibus nostris non sunt adeo expositi ac sanguis, & praeter id, simul cum sanguine ipsi feruntur, per venas, atque arterias, & vtrisque communes anastomoses, ita vt pars, quae plurimum recipit sanguinis, eadem etiam plures recipiat spiritus: ideo spiritus ipsos nominare praetermisit; & sanguine notiori, fuit usus, primo de temperamentis, capite ultimo, & secundo de temperamētis, capite octauo: quasi nihil amplius referat, sanguinis, an spiritus, meminisse. Sicut autem, quod

cute est sanguine magis, aut minus particeps, magis quoque calidum est, aut frigidum: ita quod ipsa cute durius est, siccum: & quod mollius, humidum esse in nostro corpore iudicatur. Interim enim dum sani sumus, non potest in nobis tantus esse calor, ut sicca eliquet, atque emolliat, neque tantum frigus, ut congelet, atque induret humida. Semper ergo in nostri corporis partibus, mollities atque durities, humiditatem ac siccitatem consequentur, non autem causas alias. Ex his duobus datis principijs, temperamentorum: singularum nostri corporis partium, classes pendent. Magis exanguis, inter corporis membra, est os: magis vero sanguine particeps, est aut iecur, aut cor: ad iecur autem, paucae veniunt arteriae, quare & pauci spiritus: ad cor vero, caua vena plurimum sanguinem affert, ubi est spirituum officina, & promptuarium. Quare quauis minus habeat sanguinis, calidius est iecore ob spiritus: quod voluit Gal. primo libro de temperamentis, capite ultimo, ubi ita scribit. Quippe id viscus natura, tum omnium animalis particularum, maxime sanguineum, tum vero calidissimum est. Nam haec duo simul, maxime sanguineum, & calidissimum esse, soli conuenit cordi: de quo, libro secundo de temperamentis, capite octauo, ita scripsit. Calidior vero non modo his, sed etiam omnibus plane corporis partibus, quod etiam sensu clarè deprehendas licet, in pectoris animalis dissectione, si digitum in sinistrum eius sinum immiseris: inuenies enim locum hunc, omnium quae in animali sunt, non paulo calidissimum. De iecore vero, quauis maxime sanguineum, ut pote sanguinis officinam esse, vere dicamus, non tamen dicemus calidissimum esse, nec ingentem in eo feruorem, deprehendi per dissectiones. Dixit autem, cor calidissimum esse, omnium animalis particularum, non autem omnium quae in corpore sunt, quoniam quauis sanguis, & spiritus cordis sint corde ipso calidiores, non tamen sunt membra corporis: sicut nec pituita, quae osse est frigidior, & adipe humidior: nec pilus, qui est siccior. De istis enim, ad initium ultimi capitis, libri primi de temperamentis, ita scripsit Galenus. Humidissimum, frigidissimumque in corpore, pituita est: calidissimum sanguis, non tamen est perinde humidus, ut pituita. Siccissimum, ac frigidissimum est pilus, minus eo, & frigidum, & siccum est os. Et Auicenna pilum, osse magis siccum esse probat, quoniam si ex pari vtriusque pondere, per cucurbitam destillatoriam, extrahatur humor, paucissimum ex pilo, & multo minus, quam ex osse destillat. Et quoniam os, multa nutrit animalia, pilus vero nulla: nisi verum forte sit, quod quidam produunt, vespertilioes pilis nutriri. Inter omnia ergo, quae in nostro corpore sunt, calidissimum est sanguis, frigidissimum atque humidissimum pituita, siccissimum pilus. Inter nostri autem corporis partes, calidissimum cor, frigidissimum, ac siccissimum os, humidissimum adeps. Nec adipis humiditati, obstat aliqualis durities ipsius. Haec enim ex modo substantiae, pingui & crasso, non autem ex eius siccitate pendet: quod monstrat, tum liquatio facilis in humidam

substan-

substantiam, tum materia ex qua gignitur, pars scilicet sanguinis oleosa, fluxilis, ac pinguis, quae in frigidum veniens locum, qualis membranarum est, in adipem conuenitur: quae tamen ne dura quidem est, apud Gal. 2. libro de temperamentis, cap. 8. ubi concludens, ita scribit. Commodè igitur dictum veteribus est, humidissimam esse adipem. Nam si membrorum naturam, & consistentiam spectemus, nihil adipem mollius reperiemus: nisi iam ad humores ipsos, qui membra nondum sunt, descendamus. Unde intelligemus cathalogum Auicennae, contrariorum membrorum alter natum corpus contemperantium, positum. 1. 1. doct. 3. cap. 1. inelaboratum esse, cum dicit. Frigidorum sicut cerebrum, & humidorum velut hepar. Primo, quoniam ossa diximus esse frigidiora, & adipem omnium humidissimam: quare haec (velut extreme talia) cum alijs extremis, corde scilicet calidissimo, & osse siccissimo (quae posuit) essent memoranda. Secundo, quoniam cerebrum est humidius hepate, & humidius quam frigidius. Ex quo etiam, Aristoteles venit reprehendendus, qui. 2. libro de partibus animalium, cap. 7. cerebrum, omnium nostri corporis partium, frigidissimum statuit: cum tamen sanguinis, prorsus expers non sit, & ingens in ipso spirituum copia proueniat, & sensus habeat adiacentes, sibiq; coniunctos, qui extremo frigore impedirentur. Sed de cerebri temperamento, dicemus mox. Interim de corde, an sit calidissimum inter membra: & de sanguine, an sit calidissimum omnium, quae in nostro sunt corpore, nos vocant. Si enim spiritus, est sanguine & corde calidior, quo modo haec, calidissima dici quibunt? Bile praeterea, calidissima statuitur à Galeno, libro de inaequali intemperie. Qui etiam sanguinem temperatum esse voluit. 1. lib. de natura humana, com. 40. Aristoteles insuper sanguinem frigidum esse voluit. Quin & Galenus ipse, primo libro de temperamentis, capite ultimo, sanguinem, à corde suum accipere calorem testatur. Ista tamen, quae ad sanguinis attinet temperamentum, satis superq; discussa sunt à nobis, cap. 8. de humoribus, quem locum lector adire potest. Nunc vero solum admonere volumus, quod cum Galenus ultimo capite, primi de temperamentis, calidissimum omnium, quae sunt in corpore nostro, sanguinem posuit, noluit ipsum à bile, nec à spiritu seiungere, sed sanguinis massam intellexit, cum spiritu coniunctam, qualis in venis & arterijs semper reperitur, ut libro cui titulus est, An solus sanguis in arterijs contineatur, satis superq; docuit Galenus. Quam coniunctionem, eodem ultimo capite, primi de temperamentis, volens significare: sanguinem à corde suum accipere calorem testatur: scilicet per spiritus ab ipso prodeuntes, qui sanguini miscentur. Spiritus enim, sanguine non modo sunt calidiores, verum & corde ipso spiritus gignente, ut scribit Auic. 1. 1. doct. 3. cap. 2. & Auerbohous. 2. coll. cap. 2. & 3. & Hippocrates, libro de carnibus, ubi spiritum ex omnibus in homine, maxime calidum esse dixit. Cuius etiam non leue argumentum est, ipsius tenuitas, & mobilitas, & calor qui per animi affectus, ad eius praesentiam, sicut frigus ad absentiam, affatim sequi solet. Nec obstat, quod agens, passo debeat esse praestantius. Item & quod propter vnumquodq; est tale, illud ipsum est magis tale.

cale. Spiritus autem sunt calidi, propter cordis efficientis, & gignentis calorē, ergo est calidius spiritibus. Dicendum enim primo est, quod cor non gignit spiritum propter solum calorem, sed propter vim vitalem, quæ præcipuum est agens. Spiritus vero genitus, à forma sua, ad maiorem calorem assurgit, quam sit calor gignentis cordis, perinde ac aqua calens, à propria forma refrigeratur: Et exigua scintilla, in stupa, & sulphure, intensiorem ignem accendit: Et medicamentum potestate calidum, à calore nostri corporis, recipit actum quarti gradus, propter inclinationem, & naturam formæ. Dicendum secundo, quod cordis essentia, & nomen, constare non potest, sine spiritibus necessarijs, cordis functionibus obeundis. Non gignit ergo solum corpus cordis, spiritus in corpus mādandos, sed corpus ipsum cordis, cū spiritibus necessarijs, & ad id munus deputatis, huiusmodi spirituum generationis est autor. Dicendum tertio, quod quauis totum cor, sit minus calidum spiritibus genitis, habet tamen partes quasdam, ipsis spiritibus calidiores, quibus ceu instrumento accommodato, vitur ad spirituum generationem. Quare quauis spiritus sint calidiores, toto corde ipsos gignente: sunt tamen minus calidi, parte ipsius cordis calidiore. Cuius exempla plura, tradit doctissimus Thomas Rodericus à Veiga, Eborensis, vir doctissimus, & quōdam magister noster, libro artis medicinalis, cap. 28. Gelatur enim aqua à frigore continentis, cū tamen in toto aëre, non sentiatur frigiditas par aquæ gelatæ: videlicet inducitur, intensa frigiditas in aquam, à parte aëris vaporosa frigidissima. Sic cadēs pruina ad styrpiū germina, exurit ipsa: quoniā vapor plætæ acceruat, nec dissolutus, præ densitate externa, producit calorem intensum, vrentem plantam: videlicet parte ignea, in vapore contenta, intense calēte vt deurat. Idem hoc efficit, vapor mitis in pernione contentus. Vapor etiam contentus, in acceruo tritici non ventilati, putrefacit & vrit triticum. Idem efficit calor moderatus membrorum, circumdans humorem, & putrefaciens illum, febremq; inducens: non temperie totius membri circumdantis, nec continentis aëris, quem accidit frigere per hyemem: sed parte ignea vaporis occupante, & putrefaciente humorem. Exempla alia posuimus libro de elementis, capite de reactione, de antiparistasi agentes: quauis enim, quod per antiparistasi intenditur, se ipso toto reddatur intensius, parte tamen intensiori intro recurrēte, necessario fit remissius. Et citra antiparistasi, fere semper cōtinget, vbi agens est dissimulare, effectum esse intensiorem toto agente, & remissioem parte agentis intensissima, quæ vires suas in passum exercet, ipsumq; sibi assimilare studet. Sed quo modo spiritus calidissimi sunt, si temperati & ad vnguem in caliditate symmetri, statuuntur à Galeno, lib. 5. simplicium, cap. 8? Dicendum, quod quauis sint calidissimi, cutis comparatione, sunt tamen symmetri, & temperati ad iustitiam, in ordine ad suas functiones. Quoniam naturæ opera perficiuntur, abundantia spiritus, & innati caloris, bene & ad vnguem in caliditate temperati: id est naturam, & temperiem suam, exactam seruantis. Plus enim facere ad coctionem, & omnes naturales functiones, innati caloris, & spiritus suam tempe-

riem

riem seruantis abundantiam, quā intensio, & acritudo, eo loco docet Galenus, argumento pueritiæ, in qua melius, quam in iuuentute calidiori & acriori, eiusmodi functiones obeuntur. Quod & Hippocrates nos docuit, primo Aphor. sententia. 15. dicens. Inditio sunt atates & athletæ. Et Galenus, in commentario, hyeme, & vere ventres esse calidissimos, non simpliciter, sed calido naturali adstruxit. Non quoniam calidum id natuum, in ordine ad cutim, ad calorem non declinet, id enim contra sensum esset: sed quoniam huiusmodi excessus caloris, ad coctiones, & naturæ opera utilis, nō est attendendus penes augmentū qualitatis, sed iuxta augmentū substantiæ calidæ: nam quo ad qualitatem attinet, calidior est venter æstatis tempore, paucissimū tamen tūc habet de substantia calida: ob idq; naturæ operibus, minus est accommodus. Diuersam enim esse operationem, calidi innati, ab operatione calidi simpliciter, etiam Aristoteles agnouit libro de respiratione, de longitudine, & breuitate vitæ, & libello de morte & vita: vt eodem quinto simplicium, capite. 8. ex Aristotele citat Galenus. Quomodo autem cor est calidissimum, si nutritur sanguine crasso, & spisso, vt scribit Galenus, sexto libro de Vsu partium, cap. 17? si præterea producit aquam, quæ iuxta cor inuenitur coaceruata? Si in cibis præterea sumptum, coctum contumax est, & in melancholicum succum vertitur? Dicendum, quod crasso & spisso alitur sanguine: non tamen frigido, sed calidissimo. Proportione enim debet respondere, alimentum membro alendo: est autem cor crassum, & fibrosum, ob robur quo indiguit, ad validas & perpetuas motiones obeundas: Crasso ergo indiguit alimento, præsertim parte externa, quæ nutritur è vena coronali, quæ à caua oritur, ante ingressum cordis, ne sanguinem calore cordis tenuatum, eo ferat. Pars vero intima cordis, ex sanguine nutritur tenuiori, & elaboratori, è cordis sinibus sibi proximis attracto, non enim eo fertur vena coronalis, sed in parte extrema sicut exhausta. Crasso ergo sanguine, nutritur pars extrema cordis, & minus crasso, intima: vtroq; tamen admodum calido, vt proportio semper alimenti, ad alendam partem seruetur. Aqua vero circum cor gignitur, ex vapore sanguinis, & spirituum, ad pericardion tunicam accedentem: cui aut ea vis data est, propter eius aquæ, cor ipsum rorantis vsum: aut sufficit ipsius tunicæ densitas, ac frigiditas, perinde ac ollæ operculum, aut destillatorij instrumenti caput. Cor vero mortui animalis, æthereas, spirituales, igneasque partes amisit, ita vt melancholici succi esse, absolum non sit: perinde ac sanguis, à quo spiritus expirauit: & cutis, quæ quauis viuens, esset temperata: in cibis sumpta, vitiosum succum exhibet. Calidissimū ergo in corpore, est spiritus, vt scribit Auic. 1. 1. doct. 3. cap. 2. cuius, nō meminit Galenus, tū quoniā sensui occulta non memorabat, tū quoniā cum sanguine permiscetur, de quo egit. Secundū locū tenet sanguis, plurimo scilicet spiritu refertus, ex Gal. 1. lib. de temper. cap. vlt. qui in cordis maxime sinibus reperitur. Tertio sequitur cor, est enim calidissimum inter membra, vt diximus. Deinceps est sanguis venarū, & arteriarū corporis: quauis enim iecur, sanguinem gignens, calidius suapte natura sit, ipso sanguine genito: sanguis

guis tamen arteriarum, & cordis commercio, hepate ipsum gignente redditur calidior, ut notat Auicenna. Nec contrarium sentit Galenus. 1. lib. de temperamentis, cap. ultimo, iecur cordi proximum ponens: natiuum enim temperamentum, non autem à corde accitum considerat. Post sanguinem ergo in arterijs & venis cum spiritu, & influxu cordis coniunctum: iecur statuendum est. Quod etiam ipsius (apud Auicennam) monstrat iecoris substantia: est enim (inquit) velut sanguis congelatus. Gelatur namque sanguis, spiritu quem à corde accipit expirascens, & in substantiam iocinori valde similem transmutatur. At vide ne iecur, frigore congelatum sanguinem appelles: sic enim grumus esset, & putresceret, naturaeque viribus, non esset insignitum: quod ut significaret Auicenna, veluti congelatum esse dixit, non enim à frigore, nec spirituum absentia coereuit: sed spirituum, & calidi innati beneficio, à vi formatrice, ex purissimo sanguine, illuc summo artificio effuso, atque congesto, in substantiam quam habet concernitur, & summis naturae viribus insignitur. Post iecur usque ad cutem, nihil est praeter bilem, valde calidum in nostro corpore, sed omnia sunt caloris moderati, & velut temperati. Bilis autem calidissima est, libro de inaequali intemperie, & 2. lib. de temperamentis, cap. 4. autore Galeno. Calidior (inquam) sanguine, in ratione alimenti, excrementi, & medicamenti, ut libro de Humoribus, cap. 9. probauimus: calidior etiam iecore, à quo, bilis gignitur se ipso calidior, non secus ac spiritus calidiores, à corde gigni tradidimus: quoniam scilicet pars ignea alimenti, quae in bilem vertitur, ob inclinationem, à propria forma incalescit amplius, & ad vltiorem caloris gradum assurgit. Quomodo ergo, si bilis est sanguine calidior, non numeratur à Galeno, neque ab Auicenna, in classe calidorum? Quo modo item, si bilis est calidissima in triplici dicta ratione, alimenti, medicamenti, & excrementi, non pugnat sibi ipsi Galenus, sanguinem statuens calidissimum, omnium quae sunt in corpore nostro? Dicendum, quod bile nomine sanguinis, in classe calidorum, voluit comprehendere, est enim sanguinis, velut flos, aut spuma. Sanguinem etiam. 1. lib. de temperamentis, cap. vlt. calidissimum esse, non simpliciter intellexit, sed naturali calore: non secus ac Hippocrates, dum ventres hyeme, & vere, natura calidissimos esse dixit. Similiter enim, de sanguine loquutum fuisse Galenum, manifestum facit locus alter, secundi libri de temperamentis, cap. 3. ubi sic scriptum reliquit. Alteri namque ex eo, quod sanguinis humor, omnium quae in animalis habentur corpore, calidissimum natura sit. &c. Reliqua autem in corpore, quae iecore minore calore sortiuntur, moderata esse, eo constat: quod sanguis iuxta suam naturam, prout iecoris est effectus (sine cordis inquam spiritu, atque calore consideratus) modice calet. siue de quarta sanguinis substantia, siue de sanguinea massa loquamur, ut luculenter dictum à nobis est, libro de humoribus, capite. 8. Caro etiam, quae è sanguine fit, calorem habet, non valde excedentem, quod voluit Galenus, primo libro de temperamentis, cap. vlt. in haec verba. Iam vero caro, humidior cute est, eadem tamen calidior. Si enim admodum calida esset, per excessum ad membrum aliud calidum, id significasset, non

per

per excessum ad cutem temperatam. Quauis tamen caro, valde calida non sit: immodicus fuit Auic. 1. 1. doct. 3. ca. 1. in eius temperie exprimenda, sic enim eo loci reperitur scriptum, ubi de equali ad pondus, mentionem habet. Immo oportet ut scias, quod caro, est membrum, illae equalitati magis propinquum, quam cetera membra: cutis tamen, carne propinquior est, quasi enim non patitur, ab aqua equaliter temperata, cuius medietas sit nix, & altera medietas sit aqua feruens. Haec Auicenna. At inter carnem, & cutem, multa sunt membra, carne minus calida, & cute calidiora, vel ipso met referente, cap. 2. ubi post carnem, memorat splen, & deinde renes: splen autem calidum esse constat, tum quia carnosum est, genere quodam carnis simplicis naturae, quam prisci parenchima, id est affusionem vocant (ut scribit Gal. 2. lib. de temperamentis, cap. 8.) quae calida est: tum quia plurimis arterijs constat, quarum ratione, non modo carne, verum & iecore, calidius euaderet (nisi sanguinis, limum, aut fecem, melancholiam vocatam, quae frigida est reciperet, à qua refrigeratur) paucas enim, simulque exiguas arterias, iecur recipit, ut docte admodum docet Gal. 4. lib. de Vsu partium. Quare Auerrhoius. 2. coll. male imponit Galeno, quod asserat multas arterias in eo. Sed cur leni membro calido, & spirituofo, crassum, & frigidum alimentum, parauit natura? Dicendum, quod natura opus habuit, membro sanguinis limum valide repurgante, & attrahente, ad quod substantiae similitudo, plurimum facit: ex duobus autem similibus, quod calidius est, vehementius trahit reliquum, ut 3. lib. simplic. cap. 25. scribit Gal. Ut ergo splen, valide repurgaret iecur, opus habuit calore, tum propriae carnis, tum arteriarum, quarum beneficio, crassus, & ficulentus sanguis, tenuatur, verberatur, ac coquitur: ex eiusque tenuiori, & magis elaborata parte, tenui scilicet, & nigricante, nutritur, apud Gal. 4. lib. de Vsu partium, cap. 15. crassiorem vero melancholiam, ad alios usus, in ventriculum eructat, ut libro de Humoribus, cap. 29. dictum est à nobis. Renes, splene sunt minus calidi, calore enim indigerunt ad tractum: mediocri autem, quoniam is non debuit esse immodicus, sed proportione potui respondens. Ob id, carne constant simplicis naturae, renum vasis affusa. Ob id etiam, non plus sanguinis recipiunt, quam pro nutritione opus habeant: nec enim ex eis, alia membra nutriuntur, ut in praxi nostra, capite de renum imbecillitate, aduersus Auic. 19. 3. tract. 2. cap. 21. notamus. Post renes, in censu calidorum, posuit Auicenna arterias, & vltimo venas, non simpliciter, sed quatenus ipsarum corpora frigida, atque sicca, spirituum & sanguinis contactu, ad mediocritatem, cutis mediocritati finitimam veniunt, ut supra etiam ex Galeno monuimus. Venarum quoque, & arteriarum corpora, praeter sanguinem, & spiritum, carnem habent calidam, fibras oppletam, qua nonnihil contemperantur, ut 2. lib. de temperamentis, cap. 8. Galenus scribit, in haec verba. Ceterum non est idem fibrarum genus, sed quae in musculis habentur, neruorum, & ligamentorum sunt particulae. Cordis propria quaedam fibrarum est species, aequae scilicet, ut venarum tunicae, atque arteriarum: Item quae intestinorum, ventriculi, uteri, & vesicae utriusque: licet enim in his quoque

L instru

instrumentis, propriam quandam videre carnem, suis ipsorum fibris circumnascen-
tem. Atq; hæc quidem carnes cutē sunt calidiores: fibræ vero quam cutis, partim pau-
lo magis, partim paulo minus, tum frigida, tum sicca sunt: partim similes omnino cu-
tis substantiæ. Hæc Galenus. Quibus patet, in qualibet è partibus memoratis, sim-
plicem illam carnem reperiri, quæ calida est in omnibus. Fibræ etiam in omnibus re-
periuntur, sed non eiusdem temperamenti, quædam enim ex ipsis, cutē sunt frigidiore,
aliæ calidiores, & aliæ temperatæ, similem cuti substantiam habentes. Ex quo ego
loco infero, ventriculū, & vterū, ex innata temperie, merito partium componentium
calere, non autem frigere, ut omnes existimant. Nam partes quæ constant fibris tem-
peratis, aut paulo minus frigidis quam sit cutis, & carne calida, necessario sunt
calidæ: ex omnibus autem partibus, quæ hoc loco memorantur, nullam reperies, quæ
apertè frigida nō sit, præter ventriculū & vterū: hæc ergo ex Galeno calida sunt,
& tū carne, tum fibris, constant calidis. Nec aliud chilificando, aut gignendo conue-
niens fuit temperamentum. Intestina quoq;, aut sunt temperata, aut paulo à tempera-
mento deflectunt, ut pote fibris constantia, aut temperatis, aut paulo frigidioribus,
quam sit cutis: quare chilificando, non prorsus sunt inidonea. Pulmo in classe cali-
dorū, male prætermisus esset, nisi ordinem humidorū tradens Auicenna, advertisset
sanguine nutriri calidissimo, ut pote plurimo sanguine arteriali, in corde præcalifa-
cto, tenuato, ac velut spumescēte, ut. 4. lib. de Usu part. cap. 15. scribit Gal. & aper-
tius. 6. de Usu part. cap. 10. ubi unumquodq; mēbrum, alimento sibi simili nutriri
asseuerat: ob idq; cum nulla reperitur particula, rara adeo, leuis, & spirituosa, ac
pulmo: nulla etiam (inquit) reperitur, quæ sanguine ita puro, & tenui, & vaporoso
nutriatur. Indiguit multo, quia viscus est adeo calidū, crebrisq;, ac perpetuis moti-
bus præditū, cui paucū nō sufficiebat. Qua etiā de causa, vasa magna, atq; densa, sibi
impertiuunt natura: densa quidem, ut tenuissimum percolarent, magna vero, ut mag-
nitudine densitatem compensarent. Fuit etiam necessum, membrum quod perpetuo,
aëre refrigeratē erat verberandū, calidū, non autem frigidum formari: ne simili lap-
su offenderetur facile, ne ve aliqualis aëri externo præparatio deesset, ante cor.

**Ea quæ in nostro corpore sunt frigida, or-
dinatim traduntur. CAP. VII.**



Rigidius quod est in corpore, est pituita, apud Gal. 1. lib. de tem-
peramentis, cap. vlt. Quæuis enim, sanguis sit initiatus (apud Auicennam) non tamen id nomē obtinuit, ob vicinitatē temperamēti,
sed quia coctione in sanguinē comutatur. Ob idq; non parauit illi
natura mēbrū, quod illā emūdar et, ut vesicā felleā, ad bilē: & lie-
nē, ad melancholiā: & renes, ad serū. Postea pili sequuntur, nam
absolute minus frigidi sūt, quā pituita: quæuis inter sicca, sint frigidissimi, apud Gal.
1. lib.

1. lib. de Temp. cap. vlt. ubi pilum frigidissimum, siccissimumq; esse scribit, & mi-
nus eo frigidum, atque siccum esse os. Quod tamen parum mihi aridet, nam mate-
ria pilorum, apud Gal. 2. lib. de Temper. cap. 10. vapor est fuliginosus, in cutis mea-
tu, vnus super alium impactus, vnus huiusmodi efficiens corpus, qualis est ea, quæ
foris cernitur fuligo: eo tantum differens, quod in pilo, quantum inspissatum est, tan-
tum etiam per transitus angustiam stipatum, in angustam prorsus redactum est for-
mam. Vbi autem tale corpus, totū obstruxerit meatum, deinceps iam violenter ictū,
& a similibus sui, quibus exitus non est excrementis, totum interim propellitur, adeo
ut cute exire cogatur, iam lori formam adeptū. Hæc Galenus. Ex quibus liquido
patet, pilū valde frigere nō posse: siquidē fuligo vsta, valdeq; stipata est. Ideo etiā ca-
lidæ naturæ, sunt hirsutæ: frigida vero, glabræ: ut ibidē scribit Galenus. Pili præte-
rea, caput calefaciunt, & tōsura nos infrigidat: & sacculi ex pilis, aut plumis anima-
liū, frigidum ventriculū inuuant: & vestes pelliceæ, nō modo frigus arcent, verum in-
signiter nos calefaciunt. Quare ex his quæ in corpore sunt, frigidissimum est pituita,
deinde os. Primo quia valde terreum, & velut terra ipsa est, apud Gal. 1. de elemen-
tis. Secundo, quia valde durū, & ob duritiē, parum à sanguine, & spiritu calfaciēti-
bus penetrabile. Sequitur cartilago, quæ quāto mollior est, minus terræ habet, & spi-
ritui, ac sanguini, magis est peruia: ob idq; medullam ipsi, ut ossibus non parauit na-
tura, quoniā melius ex vicinis sibi partibus potest ali. Non enim, quia ossa medullā
habent calidā, sunt calidiora cartilagine medulla carente: sed ob id cartilago, medul-
la caret, quia terrea, dura, et frigida est minus, & spiritui, ac sanguini alituro, peruia
magis. Ligamentum deinceps sequitur, est enim minus frigidum cartilagine, quæuis
ab osse exoriatur, cartilagine frigidiori. Plus enim potest, mollities maior ligamēti,
& natura minus terrea, spiritus, & sanguis, quibus magis fruitur, ad calorē præ-
standū, quā os ad infrigidandū suum exortū: præsertim, quod ligamentū nō oritur
ex ossis materia: sed ossi adnascitur, ex materia, & sibi peculiari substantia. Post li-
gamentum sequitur tendo, minus eo frigidus existens, tum quoniā à musculo oritur
calidiori, tū etiam quoniā ligamento, atq; neruo constat. Quod autē constat neruo,
& ligamento, minus quam solum ligamentum frigere debet: quoniam neruus minus
friget, quā ligamentū, ob spiritus quos à cerebro suscipit, ad motum, & sensum. Tē-
donem sequitur (apud Auicennam) panniculus, aut membrana, & post membra-
nam neruus. Dixitq; eodem capite, quod hic est ordo, quo Galenus disposuit
ea. Male tamen hac in parte, Galeni mentem, fuit assequutus: quoniā in catalogo sic-
corum, membranam, præposuit Galenus, non in catalogo frigidorum. Ita enim scri-
bit, primo libro de Temperamentis, capite vltimo. Siccissimum, ac frigidissimum est
pilus, minus eo, & frigidum, & siccum est os, hoc vero minus siccum, est cartilago,
proxime hanc sequitur ligamentum, & quem Græci composito nomine χονδρον
& σπονν id est, cartilagineū ligamētū vocāt. Post hūc tendo, deinceps mēbrana, & arte-
ria, & vena, ipsa scilicet corpora vasorū, succedūt deinde nerui, &c. Quibus verbis
L 2 constat,

constat in ordine siccorum, membranas præposuisse nervis, non in ordine frigidorum: membranarum namque plurimæ, venas, & arterias plures recipiunt, ut meninges, pleura, mediastinum, & capsula cordis: quarum ratione, calidiores debent esse, nervis ex æquibus. De nervo enim, ibidem dixit Galenus, quod tantum ei deficit de calore, quantum de sanguine. In quo etiam est dubitatio, nam si tantum deficit nervo de calore, quantum de sanguine, cum nervus omnis prorsus sit ex æquis: fiet ut prorsus frigeat, primumque locum, in catalogo frigidorum, tenere debeat. Dubitationem auget, quod ad initium eiusdem capitis, cutem temperatam fecerat, quoniam media est, inter nervum, & carnem: illud quidem frigidum, & sanguinis expertum, hanc vero multi sanguinis & calidam: ergo nervum extreme frigidum esse censesuit, siquidem cutem, inter ea extrema exacte mediam esse concludit. Dicendum vero, quod nervus, sanguinis conspicui, prorsus est expertus, nihil enim rubri in eo conspicimus: inconspicui vero sanguinis, ex quo omnia membra aluntur, non est prorsus expertus, pluri enim sanguine fruitur, quam os, & cartilago, & ligamentum. Accedit, quod spiritum recipit à cerebro, quo incalescit: spiritum autem, sanguinis nomine, interdum Galenum comprehendisse, diximus superius. Cutem vero, ob id exacte mediam, extremi calidi & frigidi esse censesuit, quoniam media est inter nervum & carnem: nervus enim, à summo frigido, pari intervallo distat, ac caro ab extremo calido. Non sunt autem omnes nervi, æque frigidi: sed duri calidiores, ob maiorem spirituum copiam, motui quam sensui necessariam: natura enim, pro usus ratione spiritum impertit: alioqui molles, nervi melius sanguine frui possent. Post nervum, sequitur spinalis medulla, sicut post hanc cerebrum, à quo tam medulla spinalis, quam nervi exoriuntur. Cum enim calor membrorum, ex spiritibus metiri debeat, hi autem in cerebro, tamquam in origine, magis debeant abundare, deinde in exorto origini propior: fit ut nervi, qui ab spina oriuntur, merito frigidiores habeantur, deinde medulla, & ultimo cerebrum, in quo animalium spirituum fons est. Quod respiciens Gal. 2. de temp. cap. 8. ita scribit. Est tamen humidius, ac calidius cerebrum, quam spinalis medulla, &c. Nec contrarium est, quod scribit Gal. 3. lib. de alim. fac. cap. 9. Est porro spinalis medulla, cerebro continua, ac eiusdem cum eo naturæ, nisi quod ipso multo est durior, potissimum in infernis spine sinibus. Per hoc enim, quod est eiusdem esse naturæ, utriusque frigiditatem, ac humiditatem communem, & naturam proinde pituitosam, voluit intelligere, quavis cerebrum, minus ipsa spinali frigeat medulla. Aut dicendum, quod in lib. de alimentorum facultatibus, agit de cerebro, & spinali medulla demortui animalis, nimirum prout nostrum alimentum est, quo vescimur: sic autem non magis friget medulla spinalis, cerebro: evanuit enim, è cerebro spiritus, evanuerunt calidi vapores, ab imo corpore ascendentes, & refriguit sanguis, ita ut tantumdem iam frigeat cerebrum, ac spina. Quare maximo in errore, verisatur Arist. 2. lib. de part. anim. cap. 7. tum quoniam spinalem medullam, affirmat esse calidam, & à natura ut excalfaciat cerebrum, fuisse creatam: tum quoniam cerebrum, omnium corporis partium, frigidissimam esse censet. In primum errorem lapsus est, quoniam spinalem medullam, re vera medullam esse existimavit, more aliarum medullarum,

rum, quæ in ossibus habentur: quæ cum calidæ sint, ipsam quoque calere existimavit. Indecens autem, atque impossibile fuit ratus, ex membro frigidissimo, quale apud ipsum est cerebrum, partem calidam, qualis (inquit) spinalis medulla est, nasci posse. Quoniam autem ob continuitatem, quam cum cerebro habet, à cerebro nasci videbatur multis, ideo cerebro continuam extitisse affirmat, non quoniam è cerebro exoriatur, sed quoniam huiusmodi continuitate fuit opus, ut cerebri vehemens frigus, ipsius spinalis medullæ calore temperaretur: Quæ sane sunt quæ absurdissima. Primo, quoniam (ut advertit Gal. lib. 3. de alim. facult. cap. 9.) spinalem medullam, perperam appellarunt medullam, cum medulla, non modo spinali hac, verum et cerebro ipso, sit humidior, ac mollior, et pinguior. Quod vero in spine ossibus continetur, colorum habeat medullæ ad similem, ob id ipsam medullam nominarunt. Quo etiam nomine, quidam ipsum quoque cerebrum vocitarunt. Secundo, quoniam duabus obvoluitur meningibus, ut cerebrum ipsum, quod tamen nulli convenit medullæ. Tertio, quoniam coctione, non liquefcit ut medulla, sed durior ut cerebrum (cuius ipsa natura servatur) redditur, ut adversus Arist. notat Averr. 2. lib. coll. cap. 3. Accedit, quod si cerebrum, à medulla temperaretur, non posset cor temperare, in quod solum, membrorum omnium frigidissimum, fuit à natura creatum, ut voluit Aristoteles. Quod vero cerebrum, non modo non sit omnium partium frigidissima, sed ipsa etiam spinali medulla, minus frigidum: constat primo, quia in cerebro, magni venes habentur, spiritu animali pleni, quibus caret spinalis medulla. Secundo, quia ob situm rectum, recipit vapores calidos, à toto ascendentes, quos recipere non potest medulla spinalis. Tertio, quia continetur, & intus dividitur, à tenui meninge, venas, & arterias, & magnam calorem habente. Sed an dicti vapores, spiritus, & sanguis, quibus cerebrum abundat, reddant ipsum in ordine ad cutem calidum, est dubium. Nam tactus est rectus iudex, calidi & frigidi, autore Gal. 2. de Temp. cap. 8. quoniam autem tempore (ut Gal. scribit 8. lib. de Usu part.) cerebrum, multo calidius aere invenitur, siue ruptum alicuius caput, manibus curemus, siue etiam experiendi gratia, animali cuius, cranio exciderimus: deinde meningibus discissis, tangere voluerimus. Calidum ergo est cerebrum in ordine ad cutem. Ad hæc aer æstivus, cute nostra est calidior, & nos sudare facit: cerebrum autem, est calidius aere æstivo, ad ipsum enim nudatum, refrigeratur, et valde læditur. Quo enim pacto (inquit Galenus) cerebrum aere non est calidius, cui certe lethale est, si æque, ac aer refrigeretur. Consequens ergo est, ut cerebrum sit calidius cute. Contra vero Galenus, & Avicenna, statuunt ipsum, in ordine frigidorum, ut diximus. Cui dubitationi dicendum est, quod ex temperamento innato, & elementorum commistione, frigidum est cerebrum, & in classe frigidorum, post medullam spinalem locandum, ut diximus: est enim aqueæ & terreæ naturæ (ut docuit Aristoteles) quibus frigus est commune. Ex temperamento autem influente à corde, & ex calidis vaporibus, quos recipit à toto corpore, & ex coalternatione calidorum membrorum, sibi vicinorum, ad calidum inclinatur, ut 8. libro de Usu partium concludit Galenus. Ita enim (adversus Aristotelis sectatores, qui cerebrum ab aere æstivo

refrigerari, ac ledi, non propter cerebrum, sed propter refrigeratas membranas, praesertim tenuem, quae plurimas in se ipsa, Venas & arterias continet, semperque tota pulsatur, id quod nequaquam, absque feruente caliditate efficitur) eo loco scribit. At qui ob generosissimi, tenuem menyngea calidam esse confitentes, audetis adhuc cerebrum pronuntiare frigidum, quod ab ea prorsum, ita contegitur, ut nulla ipsius inueniatur particula, quae membrana hac careat? An hoc quoque ignoratis, existimatisque, cerebrum diuitaxat ab ea contineri, non autem succingi, ac omnino intus diuidi? Quibus verbis, ob vicinitatem tenuis menyngeae, quae cerebrum obuoluit, & intersipit, cerebrum calere docet. Quod etiam reliquis partibus natura frigidis, & ipso etiam cerebro frigidioribus contingit: nullum siquidem, aut os, aut cartilago, ligamentum, tendo, membrana, aut neruus, in corpore est: quod non actu caleat, ob sanguinem, & spiritum, quibus aluntur, & seruantur, innatae ipsorum temperaturae. Tantum enim abest, ut cor in suo genere temperatum, per spiritus irradiationem, & natiuum quem transmittit calorem, immutet innatas membrorum temperies, quod sine illius influxu, atque beneficio, nequeunt seruari, ut auctor est Gal. 5. lib. de locis affectis. Membra enim frigida, temperamento innato, suis functiones operantur, non temperamento influente: innatum tamen temperamentum, sine influente, seruari nequit. Nam si cerebrum (verbi gratia) aut ventriculus nutriendus est, in substantiam sibi similem, & talem, qualem vnum, quodque ipsorum est, debet alimentum transmutare: hoc autem per aliud, quam per natiuam commisionem, & temperiem innatam, sibi simile operantem, fieri nequit: accita enim, & aliunde fluens, dissimilis est. Exemplo sit sol, qui omnibus plantis seruandis, tam frigidis, quam calidis, per necessarium est, ipse autem plantae, suis temperamentis vsete, nutriuntur & augentur: nec enim sol, nec quicquam aliud externum, ipsas enutrit. Ita cor, in nostro corpore, velut quidam est sol, contrariorum membrorum temperaturas, per temperamentum aliud influens, seruans: ipse autem sic seruat & operatur, & munia obeunt sua: non autem temperamentum, quod influxit. Sic sane cerebrum, quauis ad tactum caleat, alimētum, in cerebrum (sibi similem commisionem, & frigidam, ac pituitosam naturam habentem) conuertit: vapores etiam calidos, refrigerat, atque condensat: è quibus somnus nascitur, & interdum frigidae destillationes: sanguinem etiam, & spiritus temperat, atque refrigerat, ne palpitantes, moti, & feruentes, sensationibus quietis sint impedimento: inquietas vero, & turbulenta promoueant. In cathalogo frigidorum, post cerebrum, memorat Auicenna adipem, & pinguedinem ultimo loco. In quo dupliciter peccat. Primo, quoniam praeter adipem, in homine, nullam pinguedinem agnouit Galenus. Est sane adeps, medius inter pinguedinem & seuum: animalia humidiora (ut sus) pinguedinem gignunt, quae celeriter ob humiditatem, in ignem posita liquefcit, nec facile vbi liquata fuerit, rursum concrefcit, ac cogitur: sic ciora vero (qualia boues & caprae, & quaecumque id genus cornigera) ob siccitatem seuum plurimum generant: quod sicut difficile funditur, liquefcit ne, ita susus celerrime coit

ac

ac conglaciatur, adeoque apparet pinguedine durior, ut frangi possit, auctore Galeno, vndecimo libro simplicium, capite secundo, & apud Plinium. 11. libro naturalis historiae, cap. 37. Homo vero, qui medium tenet, inter humidiora, & sicciora, medium quoque substantiae modum, in suo seruat pingui: nec enim adeo humidum est, ut suis: nec adeo habet durum, ut cornigera: id autem adipem appellat: quauis cuique concedat Galenus, loco citato, vtrouis placuerit nomine, horum quoduis appellare. Quare exiguus hic error esset, ni duo pinguitudinum genera, in homine posuisset Auicenna, adipem (inquam) & pinguedinem. Nec obstat, quod diuersam consistentiam, habeat pingue omenti, à pingui: quod in renibus est: siquidem non est tanta humiditas, in omento humano, ac in suilla pinguedine: nec tanta siccitas, in pingui reni, ac in seuo caprino: quare adipis nomine, significamus vtrumque. Errat secundo Auicenna, adipem frigidam statuens. Cui forte errandi ansam praestitit Galenus, qui primo libro de temperamentis, capite ultimo, ita scribit. Cerebro autem ipso adeps, cui concretio contingit, propterea quod membranis adiacet, crasso namque oleo est similis, eoque congelatur, vbi cum frigidis, & exanguibus particulis coniungitur. At neque circa iecur, coire adeps potest, neque circa arterias, venasque, aut cor, sed nec circa aliam vllam praecalidam particulam. Quoniam autem cogitur, per id quod valde est frigidum, idcirco calfacta liquatur, ceterorum coagulatorum ritu. Quibus verbis (si recte id aduertisset Auicenna) adipem post cerebrum, in ordine humidorum, non autem in ordine frigidorum, posuit Galenus. Nec obstat, quod adipem, concrefcere frigore voluit, non enim statim frigida reddatur oportet: siquidem non potest in nostro corpore, tanta frigiditas esse, ut actu frigidum reddat. intra cutem namque, omnia sunt actu calida. Secundo, quoniam tenuis sanguinis pars, calida, pinguis, & oleosa, ad locum accedens minus calidum, concrefcit, etiam si non reddatur frigida: exemplo iusculi, in cuius suprema parte, pinguis tela, valde adhuc calens cogitur, & exemplo plumbi, recens post liquationem concreti, quod praecalidum est adeo, ut tangentem deurat. Sic sane omentum, ob ventriculi calfactionem, creauit natura densum, leue, & calidum, apud Gal. 4. lib. de Vsu part. densum quidem, ut intus concludat innatam caliditatem: leue autem, ut sine dolore, ac compressione calefaciat: calidum (hoc certe ne verbis quidem indiget) quia tale oportuit esse, quod gratia calefaciendi factum fuerat. Quae Galeni verba, non patiuntur caluniam, quod scilicet omentum sit calidum, eo solū, quod reflectit intus innatum calorem: calidum enim, potius quam frigidum esse cōdecuit, quod huiusmodi reflexionem facere debet, siquidem gratia calefaciendi fuit factum, ne quantum reflexione, calfacit: tantum innato frigore, refrigeret. Vndecimo item libro, de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 2. ita scribit. Omnis igitur pinguedinis facultas, est humectatoria, & excalfactoria, humanorum corporum. Quoniam autem excalfactoriam dixit habere facultatem, non in modice, sed temperate intelligamus. Adhuc enim modum. 2. libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 22. scripserat. Si quidem alio quodammodo calfacere

nos dicitur aër calidus, atq; alio modo qui sit moderatus. Respondet autem proportionem aëri calidiori, pyrethrum, napi, piper: moderato autem pinguitudo, & oleum. Hoc moderato calore, calfactoriam quam dixit facultatē, in nobis exercet, attenuādo, discutiendo, coquendo, & maturando, quæ calor operatur. Accedit potissimū argumentū, ab adipis materia sumptum: fit enim adeps, ut. 2. lib. de temp. cap. 8. autor est Galenus, ex eo quod est in sanguine oleosum, fluxile, pingue, leue, & tenue: sanguis autem huiusmodi apprime calet, nō ergo adeps erit frigidus. Hinc Arist. 2. lib. de hist. anim. cap. 19. Adipem & seuum scribit, non fieri in his quæ sanguine carent: quoniā hæc, partem oleosam, in adipē vertendam, nequeunt habere. Hinc etiā est, quod. 1. lib. de Generat. Anim. idem scribit Aristoteles, pinguiores paucum semē emittere, & minus salaces, minusq; fecundos esse: quoniā scilicet, ex pingui illa sanguinis parte, tam semen, quam adeps gignitur: adipe ergo supercrescente, semen deficiat opus est. Ob id castrata, redduntur pinguiora, & salacia demacratur: superfluus namq; concubitus, non modo adipem, verum, & carnes exhsurit, utraq; enim ex sanguine gignuntur. Hinc animalia, carnosiora, & pinguiora redduntur, abundantia pabuli, & multitudine boni succi. Sed quare caro, & adeps, simul augētur, si ex eadē materia, probo scilicet sanguine oriuntur? pinguedo autem, & semen, se perimunt, ita ut alterutro deficiente, alterum exuperare necesse sit? Dicendum, quod caro, ex crassiori constat sanguine quam adeps: semen vero & adeps ex tenuiori, & magis oleoso: quare hæc inuicem, magis sunt sibi impedimento, quam illa. Dicendū secundo, quod quodammodo, illa etiam se impediunt, non enim adeps gigni incipit, donec carne prius se impleuerint animalia, est enim de carne, magis quā de pinguedine sollicita natura. Quod sanē voluit Arist. lib. 2. de hist. animalium, cap. 16. ubi scribit, quod cum pabuli copia suppetit, caro vertitur in pinguedinem. Id est, postquam animalia, carne abundantia se impleuerunt, & sanguis adhuc ex vberiori pabulo genitus abundanter suppetit: loco carnis, natura vertitur, ad gignendam pinguedinem. Vbi vero, carnosia iam, & adiposa corpora sunt, vniuersus fere sanguis, in his enutritis absimitur, exiguumq; sanguinem habet in venis, purum tamen, atq; imputidū, ut Aristoteles scribit: Ob idq; pinguis habitus, à sanguine detrahendo nos debortatur. Cur ergo adipem frigidam ponemus, si eadem materia tenuiori, & magis oleosa constat, qua caro calida, & semen calidum gignuntur? Efficiens præterea, à quo solo, adeps frigere posset, nō sola est frigiditas coagulās, sed calidum etiam innatū, partium circa quæ adeps gignitur. Calidum enim, in naturæ operibus, instrumentum esse naturæ operantis, & frigidum acciduo quodā modo ad id concurrere, scriptum reliquit Arist. 4. libro meteororum, cap. 6. Quare in calido innato, ex calido constante & frigido, in adipis generatione, calor gignere, coquere, alere, augere, & naturæ omnia opera exercere potest: frigusq; sibi permistum, interea coagulat, & modū calori imponit, quod in metallorum, & vnguium, & cornuum etiam generatione euenit. Quod autem adeps à natura fiat, & intendatur, constat ex his, quæ de omen-

to,


to è quarto libro de vsu partium retulimus, & quoniam libro artis medicinalis, cap. 9. adipē innatis facultatibus regi, asseuerat Galenus. Si enim solo frigore cōcresceret, non agente calido innato, nullas tales haberet adeps facultates: non enim eas acquireret à frigore, nec eas habebat sanguis ex se, nullatenus ergo ipsis regi poterit. Accedit quod circa cor, calidissimum membrum, adeps concrescit, secus ac visum fuerit Galeno & Aristoteli. Nec valet, quod Gaspar Lopius, in pericardio, ob eius tunice frigus innatum, non autem in corde, gigni arbitratur: quauis (inquit) in corde aliorum ab homine animantium, de quibus Galenus non egit, reperitur. Non valet (inquam) nam si in corde animantium homine calidiorum, reperitur adeps, aut in hominis saltem pericardio, in quo feruentissimus, ob cordis vicinitatem adest calor, à frigore huiusmodi adipem non gelari, necessum est: sed ab innato calido, aut cordis aut pericardij, procurari & gigni est fatēdum. Accedit, quod Galenus, non modo in corde, adipē gigni negauit, sed in quauis etiam præcalida particula, qualis ob cordis vicinitatē pericardium est. Nec valet itē, quod Portius Neapolitanus, pinguedinē, aut adipē apparentē, qui eliquari nequeat, in corde gigni, nō autē verum, qui liquationē sustineat asseuerat: nā Pisis, experiētia fuit victus à realdo colūbo, qui candela appositā, in publico theatro eā eliquauit, ut. 7. lib. de re anatomica, ipse refert Colūbus. Cum ergo à cordis calore, exiguus adeps nō absumatur, sed toto vitæ tēpore duret, vim habet naturalē qua regatur, & indeficiente nutritione reparatur. Si solo præterea frigore cōcrescit, gigneretur in omnibus ossibus, neruis, ligamētis, & in cerebri ac spinalis medullæ mēbranis, quod non fit: calor ergo innatus, & natura nos gubernās, ubi eo opus habuit, ipsum gignit: Nō est præterea, cur ex sola cōgelatione rubicundi sanguinis, adeps cādidus gignatur: nisi natius cādidæ mēbranae calor, eū sanguinē coquens, mēbranae candorē efficiat. Id præterea cōuincūt, adenes quidā, in medio adipe reperti, qui nisi calidi innati, & facultatum naturalium ope, nec gigni, nec nutriri possent. Si adeps præterea, frigore concreuisset, totus igni appositus liquaretur, nulla parte illiquata permanente: reliquuntur autē ex experimento, multæ partes stabiliores, quæ torrentur, & vruntur, sine liquatione: ergo calido natiuo, nō autem frigore, ab initio constiterunt. Hinc pinguedinis calorē, apertis verbis cōstitetur Arist. prob. 8. sectionis. 8. & eiusdem sectionis, proble. 4. ita scripserat. Pinguedo autem calida est, nisi humectata fuerit. Id est, nisi aquosis recrementis redundauerit, ex otio, & valde humida, ac frigida, viuendi ratione. Et sectione. 31. probl. 22. Ob copiosum (inquit) adnatæ mēbranae adipē, nemo vnquā persensit in oculo frigus, præter calorem enim, quem pinguedo ex sua habet natura: ut indumentum, auget reflexione sua calorē, & lentore suo, prohibet aëris percutientis ingressum. Sed si pinguedo calida est, & non frigida, quare supercrescit in frigidis naturis, & minuitur in calidis, ut libro artis medicinalis, capit. 52. & 53. autor est Galenus? Dicendum, quod pingue, leue, & tenue sanguinis, in calidis naturis, aut nutritione absimitur in mēbris, & nō seruat perinde ac in frigidis, quæ minus conficiunt alimenti,

L 5 ut scri-

vt scribit Galenus. 2. lib. de Temperamentis cap. 9. aut pars ea tenuis ac pinguis, su per suo calore assata, in bilem vertitur, iuxta Galeni sententiam. 2. lib. de febrium differentijs, cap. 12. Cur præterea, calido, & non frigido liquatur, si frigore, non autem calore, concreuit adeps? Ita enim apud Aristotelem. 4. lib. Meteororum, reperitur scriptum. Quæcunq; calore, vel frigore, concreta soluuntur, contrarijs solui solent. Nam quæ calore sicco concreuere, aqua soluuntur, quæ humor algidus est: quæ vero frigore, igni: qui calidus existit. Dicendum, quod adeps, non cōcreuit vera concretionem, aut congelationem, de qua ibi Aristoteles agit: quare nec à calido, nec à frigido. Fit enim adipis, vt & carnis generatio, ab innato calido temperato, & facultate altrice, ex pabulo abundantiori: liquantur autem, tam caro, quam adeps, ab extraneo, & intemperato calore, ceu à contrario, quo constiteret: ab igne nempe, & à febribus, quas colliquantur appellat medici. Sic etiam butyrum, ignis calore liquatur, quoniam innato vberum calido, genitum fuit: & moderato calore, aut ex ignis, aut baculi agitatione comparato, à reliquis lactis partibus separatur. Mel quoq; igne tenuatur, & liquescit: quoniam temperato apium calore fuit genitum. De neutro namq; horū, aut frigore concreuisse, aut propriè & absolutè concreuisse, dicere possumus: concretio enim, atq; liquatio, passionem sunt, à generatione atq; corruptione diuersæ, quæ circa mista obeuntur, eadē substantiæ forma retenta. Sed si innatus membranæ calor, adipem sibi assimilauit, frigidus erit adeps, vt & ipsa membrana. Dicendum, quod membrana non prorsus assimilatur adipem: sic enim membranam faceret, nō adipem. Cum ergo in ea actione, tenuis, & valde calidus sanguis, esset pro materia subiectus: quantū sibi defuit de assimilatione, tantū superfuit caloris in genito adipe, ita vt hac ratione prope ad temperamentum accedat adeps, vt supra, ex Galeno retulimus. Sed cur non assimilatur, tenuem eam sanguinis partem, membrana: si omnis tenuis substantia, facilius alteratur, quam crassa? Dicendum, quod tenuis illa sanguinis pars, non prorsus assimilatur membranæ, ob magnam distantiam, inter sanguinem calidum, tenuem, ac pinguem, & inter membranam frigidam, densam, & terream. Cur item, in omni parte corporis, tam calida, quam frigida, non gignitur adeps, si ab innato partium calore generatur, ex tenuiori sanguinis parte? nulla siquidem pars, destituitur calido innato agente, nec parte ea sanguinis patiente. Posito autem efficiente, & materia: necessaria videtur effectus consequutio. Dicendum, quod calidissimæ partes, tenuem eam sanguinis partem absumunt: caro vero, ob sui raritatem, non detinet: ossa, ob densitatem, nō recipiunt nisi tenuissimum quoddam: quod, cum ipsorum ossium alimēto percolatum, ossium medullam pinguem reddit. Membranæ vero, mediam naturam naturæ, tenuem, & pinguem eam sanguinis partem: recipiunt, detinent, & assimilant, adipem gignentes. Hinc membranæ adiacet, apud Galenum, primo libro de temperamentis, capite ultimo, non solum ob ipsarum frigus (vt ipse voluit) verum ob innatum temperamētum, tenuem sanguinem percoquens, ac in talem, qualem adeps substantiam habet, cōmutans: & ob insitam etiam

etiam densitatem, quæ partem eam sanguinis oleosam detinet, vt constat ex Aristotele. 3. libro de historia animalium, cap. 3. Vbi circa omentum, pinguedinem generari, eo quod densas habet mēbranas scribit. Quibus sane rationibus, addere oportet, insitam naturæ doctrinam, & eius conatum, ob necessitatem, & vsum adipis gignendi: in cerebri namq; menyngibus, in quibus utilis futurus non erat, adipem non genuit, vt in omento, cuius utilitatem recenset Galenus, quarto libro de vsum partium, & inter cutem & membranam carnosam, vbi adipem, vniuersum corpus obtegentem genuit, vt ab externis immoderantijs nos defenderet, & calorem natiuum intro reuocaret.

Gradus eorum quæ in nostro corpore sunt humida, signantur. CAP. VIII.



HUMIDISSIMUM, quod est in corpore nostro, pituita est, apud Galenum, primo de temperamentis citato. Qui de naturali pituita, sui natura insipida, intelligendus est: non de gypsea, aut salsa, quæ siccæ sunt, & in recte Valentibus non reperiuntur. De his etiam, quæ nostri corporis partes, actu, aut potentia existunt, locus is est intelligendus: vapor enim sanguinis, & humorum, per vniuersum vndiq; errans corpus: & aer, in pulmonibus, corde, & arterijs receptus, humidior est quam pituita, in corporis tamen substantiam, vertendus non est. Spiritus vero, non modo aëri, humidior sunt, sed plurimo etiam igne, qui sic utis est participant: quare minus sunt quam pituita humidi: sanguini etiam annumerantur, quia eidem permiscuntur, tum in arterijs, tum in venis, ob idq; nomine sanguinis veniunt, vt supra etiam monuimus. Oculi vero humores, quauis aquei, & valde humidi sunt, minus tamen sunt, quam pituita humidi: propriam enim figuram seruant, & mutuo sibi adherent, sine mutua confusione. Vitreus namq; humor, in medio sui concavus est, vt crystallinum excipiat: crystallinus vero, sphericus est, sed antè quæ albugineum spectat, depressus: ita vt lentis formam referat. Albugineus quoq; antè situs, suam attiguitatem, & figuram, semper seruans reperitur: & apud quosdā, sine interposita ipsis mēbrana, seorsum locantur oēs. Quod minime contingeret, si naturali pituita, non essent minus humidi. Serū vero humorum, vrinæ, sudor, & lachrymæ, quauis sint fluidiora, minusq; terreni elemēti habere videantur, sicciora sunt & magis adusta. Quod mōstrat, in omnibus his liquoribus, euidēs falsedo reperta. Salina vero, ex omniū humorū massa, à glandulis sub lingua gignitur: quare siccior est, quā si è sola gigneretur pituita. Quod mōstrat, aperta vis discutendi, & resoluendi, in ipsa reperta. Aqua restat in pericardio cōtenta, ad cor humectandum à natura tributa, ne ob perpetuum motum, calidissimum membrum exsiccaretur: quæ humidior merito est, quam pituita. Nec eā tamen, nec eius vsum, nouerunt

runt antiqui anatomici: nam & nunc sunt quidam, qui in uiuentibus corporibus non reperiri arbitratur, ut Curtius, qui in demortuo animali, spiritus, à frigiditate densari, & in eiusmodi aquam verti perhibet: & alij qui à calore cordis, & vicinorum membrorum, non iam ut natiuus, sed ut calor est operante, pingue colliquari, & in aquam verti autumant. Quibus omnibus, reluctatur experimentum, viui hominis dissecti à Vesalio: & plurium animantium viuorum, à Realdo Columbo dissectorum: in quibus omnibus aquam, ad eum usum à natura creatam, inspexerunt. Quare dubitandum non est, ex huius aquae paucitate, absorptione, acrimonia, aut salsedine, febrem, atque marasmm nasci posse: sicut ex eiusdem copia, notauit Galenus, cordis palpitationem, & natiui calidi extinctionem, prouenire posse. Quinto enim libro, de locis affectis, cap. 1. ita scriptum reliquit. Est & alius affectus, palpitatio scilicet cordis, aut per se eueniens, aut cum significatione quadam, quod in humore cor ipsum moueatur. Neq; enim mirum videri debet, tantam humoris multitudinem, cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipsum ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus dissectis, vidimus plerunq; plurimū humoris vrinae speciem referentis, in eo qui ipsum inuoluit pñiculo contineri. Hæc Galenus. Post pituitā, sanguinem humere, dixit Galenus: quod euidenti ratione probat Auicenna, ex conuersione scilicet pituitæ in sanguinē, in qua necesse est, plurimū humiditatis pituitæ resolui: quare reddetur sanguis ipsa pituita minus humidus. De quo tamē dubitatio est: Nam aqua, cuius naturam refert pituita, nō est humidior aëre, cui similatur sanguis: omnia enim elementa, binas qualitates summas habere, libro de elementis probabimus: æquē ergo humida, erunt pituita & sanguis. Dicendum primo, quod sicut aër & aqua, licet extremē humida sint, non extremē humectant, sed aqua magis, ut cap. 10. lib. de elementis probabimus: ita de pituita, ac sanguine, aëri, & aquae respondentibus, ferendum est iudicium. Dic secundo, quod pituita est magis aquea, quam sanguis sit aëreus: plus enim terræ, sanguis in sui cōpositione recepit, quam pituita, cuius certe ratione, è vena exclusus coit in grumum. Dicendum tertio, ex Auicenna, quod iuxta diuersum modum humectandi, pituita dici potest humidior, & minus humida, quam sanguis: quatenus enim magis madefacit, pituita humidior est: quatenus vero plus humidi nostris reponit corporibus, humidior est sanguis: ex eo enim abundanter nutrimur. Hoc autē perinde est, ac si dicas, qualitate humidior est pituita, quantitate sanguis. Post sanguinem, magis humet adeps, de quo antiquos probat Galenus. 2. de temperamentis citato, adipem omnium corporis partium, humidissimam esse dicentes: Osium medulla sequitur, quam humidiores esse cerebro, & spinali medulla. 3. lib. de alimentorum facultatibus, cap. 9. scripsit Galenus: quod ipse monstrat mollities, & liquatio. Nec obstat quod. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. Galenus, cerebrum, adipi proximum, humiditatis ratione facit: osiumq; medullam, cerebro propinquam naturam habere, perhibet. Primo, quoniam male eo loci, Linacer vertit, Osium medulla (ut notat Fuchsius) græce enim, simpliciter scribitur

bitur, & uero, id est, medulla, quo nomine, spinalem medullam possumus intelligere. Secundo, quoniam etiam si de osium medulla, is locus intelligatur, nō recte colliges, ipsam cerebro esse sicciorem: non minus enim propinqua cerebro est, si cerebro sit paulo humidior, quam si sit paulo sicciior. Quod non intelligens Realdus Columbus 8. lib. de re anathomica, cap. 4. frustra Galenū falsitatis accusat. Frustra quoq; Brachelius, varias medullæ in osibus concoctiones inducit, & de vltima, in qua ad osis naturam propius accedit, Galeni locum interpretatur. Post osium medullam, est cerebrum: præsertim pars ipsius anterior, quæ posteriori tanto est humidior, quanto mollior, ut. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. scribit Galenus. Sicut autem ex liquatione, monstrauerat Galenus, adipis humiditatem: ita ex liquationis defectu, cerebrum minus adipe humescere conclusit. 1. lib. de temperamentis, cap. vlt. in hæc verba. At cerebrum calfactum, minimè liquatur, eoq; adipe minus est humidum. Nec tamen obstat cerebri humiditati, quod Aristoteles. 2. lib. de partibus animalium, cap. 7. cerebri naturā, aquæ, & terræ, cōmunem esse testatur: quare cum terra sicca sit, aqua vero humida: medium sicci, & humidi temperamentum, cerebrum obtinuisse putauit. Non obstat (inquam) nam aqua, terram in ea compositione superat, quod monstrat eius mollities insignis. Cuius mollitiei, ac humiditatis ratione, supra os basilare, ipsum cerebrū locauit natura: ne diffluat, neue eius partes suapte sponte abrumpanitur. Quod in casu præsertim ex sublimi facto, contingere interdum solere, & ubi contingit, ingens periculū (& quod vix curationem admittat) imminere scriptum reliquit Galenus. 2. lib. de compositione medicamentorum, secundum locos, cap. 6. Hinc detegitur error Forliuensis, qui. 2. lib. artis medicinalis, terræ plus, in cerebro esse opinatur, quam aquæ: idq; tribuit Aristoteli. 2. de partibus animalium, citato. Quod cum Aristoteles non somniauerit, & prorsus à veritate abhorreat, friuolum est, falsum, & minimè necessarium subterfugium, quo ait, quod quauis terræ plus, habeat cerebrum, quam aquæ: in cerebro tamē humectādo, potētior est aqua, quam terra. Nam si terræ, plus quam aquæ, adest in cerebro (ut dixit) & terra non sit magis sicca, & dura, quam aqua sit humida, atq; mollis: durius ac humidus necessario, cerebrum euadat oportet: quod non fit, tenerum namq; est, molle, & humidum. Cum autem humidum, ab aqua, aut ab aëre, quos in sua compositione recepit, quidpiam reddi possit: si aëreum est, leue: si aqueum vero, graue euadit: quare cum cerebrum graue sit, merito ab aqua humere, Aristoteles voluit. Quo fit, ut valde etiam errent alij, qui ob id cerebrum humescere dicunt, quod humentes vapores excipit, & in humorem ipsum humectantem concernit. Cerebrum enim sua natura, ex aqua, quam in sui compositione recepit, prius est humidum: quam vapores è corpore sublato, excipiat. Per hos vero vapores, cerebri humens natura seruat, ceu per simile, quo conuersari exoptat. Alioqui, præter naturam semper haberet cerebrum, si perpetuo humore, sue naturæ dissentaneo allueretur. Sed dubium est, quoniam. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. ita scribit Galenus. Commodè igitur dictum veteribus est, humidissimam esse

esse adipem. Secūdo, post eam loco carnosum genus. &c. Quo modo ergo post adipem proximè posuit cerebrum, quod in carnosum genere contineri nequit? Dicendum quod Galenus ibidem, quid per carnosum genus intelligat explicauit: tam scilicet carnem, quæ propriè appellatur caro, & est semper musculi pars, quam eam quæ nomine carnis appellatur, cuiusq; scilicet viscerum propria substantia, quam parenchima, id est affusionem vocarunt antiqui. Iocinoris enim, lienis, & pulmonis substantia, quamuis in colorem carnis inclinent, carnes propriæ non sunt, sed affusiones, perinde ac medullaris cerebri substantia, quæ nec caro est, nec carnem representat, affusio tamen est, & sub carnosum ob id genere, à Galeno comprehenditur, perinde ac aliorum viscerum substantia. Nam in solidis etiam partibus, vena, arteria, ventriculo, utero, & intestinis, carnosam quandam partem affusam, & intertextam à fibrosa & membranosa, diuersam, agnouit Galenus. 10. lib. methodi, ad finem, ubi eam (gratia docendi) concedit carnosam substantiam, vel huius particula peculiarem quandam carnem appellare, quamuis nec rubea sit, nec carnis aliquam phantasmam nobis exhibeat. Spinalis medulla sequitur, quæ nihil aliud est, quàm cerebrum oblongum, per spinæ vertebra deductum. Hæc in brutis, substantiam & effigiem medullarem, ad extremam vsq; caudam seruat, quamuis quo magis ab origine distat, eo sit durior, ut constat ex Galeno. 3. lib. de alimentorum facultatibus, cap. 9. in homine vero, vsq; ad finem thoracis, & lumborum initium, medullosa est, à quo vsq; ad eius extremum nervosa euasit, ut notat Realdus Columbus. Spinalis ergo medulla, cerebri parte posteriore, quanto est durior, tanto minus est humidior, ut scribit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. ita ut postrema eius pars, à thoracis extremo, ad caudam, iam non medullæ, sed mollium potius neruorum naturam, referre videatur. Vbera, & testes, post spinalem medullam, merito memorat Auicenna, quæ quamuis Galenus non nominet, sub carnosum genere (cuius plures species esse notauerat) comprehendit. Vbera vero, testibus sunt humidiora, cum scilicet lacte turgent, tunc enim rara & laxa sunt, & ex lactis abundantia tenerrima: cum vero lacte carent, contrahuntur, ac densantur, tantum à se ipsis differentia, quantum manibus ac vinculis pressæ spongiæ, à se ipsis præmadidis differre videmus, ut scribit Galenus, tertio libro de alimentorum facultatibus, cap. 5. Testes vero, tanto sunt vberibus lacte turgentibus, minus humidiora, quāto semen, lacte crassius habetur: par enim proportio, testium ad mamas, ac seminis ad lac seruetur, rationi valde consentaneum est. Pulmo sequitur, qui mollis adeo est, ut Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 8. simul cum cerebro, adipi proximum fecerit, in hæc verba. Quod autem ipsum cerebri, pulmonisq; proprium corpus, proximum adipi, humiditatis ratione sit, ex mollitie eius cōiecta re licet, non enim à frigido congelatum est, cum nec calore fundatur. Quæ Galeni verba, dubitationem pariunt. Nā si pulmo, & cerebrum, adipi immediata sunt, quo modo inter adipem, & cerebrum, posuimus ossium medullam, ex Galeno: & inter cerebrum, ac pulmonem, posuimus medullam spinalem, & vbera ac testes. Dicendum, quod

quod cerebrum, ac pulmonem, proxima adipi fecit Galenus, & non hæc sola, nam utramq; etiam medullam, cerebro & pulmoni proxima facit, quoniā nimirum ossium medulla, cerebro est humidior, & medulla spinalis, cerebro est siccior, pulmoneq; humidior, ita ut ista hoc ordine sint sibi, & adipi cohærentia, atq; propinqua. Quod voluit Galenus, post dicta verba subdens. Propinquam ys (id est, cerebro, & pulmoni) naturam habet ἰσχυρότης, id est, medulla. Quod verbum, cum græce & latine, utramq; medullam significet, pro utraq; accipiendum est: ita ut ossium medulla, cerebro: & spinalis medulla, pulmone paulo humidior, statuatur. Quod vero de utraq; medulla meminerit, hæc (quæ mox sequuntur) indicant verba. Non est tamen eiusdem generis, cum cerebro, & spinali medulla, ea quæ in quolibet habetur osse. Sed cerebrum & spinæ medulla, eiusdem sunt generis, quoniā scilicet non liquantur: reliquæ omnes medullæ, alterius naturæ sunt, quoniam scilicet liquantur ut adeps. Est tamen humidius, ac calidius cerebrum, quam spinalis medulla, eoq; etiā mollius. Est quoq; siccior, ac durius, quam ossium medulla. Quod tanquam apertum (quoniam ossium medulla est ex genere eorum, quæ liquantur) dicere prætermisit. Vbera vero, testes, ac similes carnes glandosas, non percensuit Galenus, quoniam vniuersim sub carnosum genere comprehenderat, nec plurimi erat momenti, sigillatim, omnium partium meminisse. Accedit, quod humiditatis bona pars, quarundam partium humidarum quas recenset, pendet ex glandulis humectantibus, ut in lingua, & pulmone contingit: quare ex harum consideratione, reliquæ glandulæ, quarum munus est, humiditatem partibus circumuicinis creare, possunt innotescere: humiditas enim quam creant, non tam sua est, quam aliorum, quorum gratia, ipsam gignunt. Pulmo ergo (ut de ipso agamus) cum sit cordis ventilabrum (si quod aliud in corpore membrum) contrarias poposcit temperaturas: humiditatem nempe, quæ frequentes ipsius motus, & cordis etiam calorem sustineret, ne ab ipsis exsiccaretur: & siccitatem quandam, quæ cavitates apertas, pro aëris ingressu, & egressu seruaret: plurima enim humiditate laxatus, in se concideret, & meatus eius occluderentur. Hoc prudens natura ita prouidit, pulmonem in sui substantia, & prima elementorum commistione, eatenus humidum creauit, quatenus conseruare potest aperta, foramina plurima ne obstruantur, aut ab ipsa pulmonis substantia concidente, aut ab humiditate cerebro defluente. Quod voluit Auicenna, verbis sequentibus. Scire tamen debes, quod pulmo in sui substantia, & natura, non est humidus, vehemēti humiditate. Quibus verbis, pulmonem in ordine ad cutim, esse humidum, ex prima elementorum commistione voluit: non tamen valde humidum. Humiditatem enim eius, certo colligere possumus, ex suæ substantiæ mollitie, in qua non modo cutem solam, sed etiam cum sibi substrato musculo molliori coniunctam, excedit, ut tactus experimēto constat. Est autem mollities, à membri humiditate inseparabilis, ut ex. 2. lib. de temperamentis, supra deduximus. Est insuper pulmo, apertè ad tactum mollior corde, & renibus, quæ inter humida reponit Galenus: non ergo de eius in ordine ad cutim humiditate

tate est dubitandum. Nec de alterius etiam partis veritate (quod scilicet humiditas eius non sit immodica) ambigendum est: tum ob foramina, quae aperta debet conseruare, tum etiam ob alimentum, quod sibi parauit natura, tenuem scilicet sanguinem, in cordis vetriculo praecalfactum, ac tenuatum (quod voluit Galen. 6. lib. de vsu partium) & quadatenus siccatur, igneam ac biliosam naturam, ibi quodammodo adeptum, vt merito addit Auicenna. Tenuis enim sanguis, amara bilis est materia, & a cordis feruore subactus, necessaria consequuntione, biliosam, ac igneam naturam, eatenus adipiscatur oportet: quatenus nutriendo pulmone (qui humidus quidem, non autem valde humidus est) bile scere, & exsiccari conueniebat. Nisi tamen subsidium aliud, pulmone parasset natura, vt eius humiditas seruetur: a perpeti ipsius motu, simul et a vicinissimi cordis feruore, vel breuissimo spatio exsiccaretur, et tabesceret: ipsumque cor, rursus in tabem adduceret. Alterum enim alteri, necessario, celerrimeque consentit, vt scribit Gal. 4. lib. de praesagatione ex pulsibus, ca. 2. Duplex ergo ad hoc subsidium parauit natura, vnum externum, internum alterum: externum quidem, hoc est, quod inter bibendum, è potu aliquid ad pulmonem, per guttur, & asperam arteriam fertur, non repente totum, neque per mediam instrumenti fistulam influens: sed per tunicam ipsam, sensim ipsum irrorans, vt scribit Galenus, ad finem. 8. lib. de placitis Hippocratis, & Platonis. Cum vero animanti, semper bibere expediens non esset, altero indiguit natura subsidio, interno, & indeficienti, aduersus cordis calorem, & pulmonis motiones, indeficienter exsiccantes: glandulas enim in eum vsu creauit, sub linguae radice saliuam gignentem, & alias ad pharyngem, graecis parithmia, et nobis agallas dictas: aliasque ad laringem, asperamque arteriam: quae oes, vocis & loquela partes irrigant, atque humectant, inque pulmonem demum, humiditatem quam gignunt, ad dictum vsu implendum transmittunt. Ad quod iuuat quam maxime ipsa pulmonis natura, atque substantia, laxa, rara, mollis, ac spongiosa, quae non modo, humiditatem è glandulis destillantem, verum & omnem substantiam humidam, facile potest, tum ex vasis, tum ex partibus circumuicinis conbiberere, vt scribit Gal. 2. lib. crisiu, cap. 10. Hoc volens significare Auicenna, de pulmone agens, ita scribit. In ipso vero, multa humiditatis superfluitas colligitur, propter illud quod ad ipsum ascendit, de vapore corporis, & propter illud, quod ad ipsum descendit, ex catarrhis. Per catarrhos autem, defluxum dietarum humiditatum, a natura in eum vsu creatarum, intelligo: non autem catarrhos morbosos, è capite ortos, qui in prorsus sano homine non reperiuntur. Sed dubium est, an istarum humiditatum defluxus ad pulmonem, ipsius temperamentum reddat humidius, quam pro naturae compositionis ratione conueniebat? Dicendum, quod si dietarum humiditatum defluxus, mediocris, valdeque naturalis habeatur, temperamentum pulmonis, per ipsum seruetur, quale ex prima elementorum compositione fuit creatum. Si minus eius humiditatis defluat, pulmonis temperamentum, in siccius permutatur. Si vero intemperanter, atque immodice, eiusmodi defluat humiditates: mora temporis, temperamentum pulmonis, in humidius permutabitur, vbi enim humor, diu ad membrum defluxit, illud sibi

sibi attemperare solet, autore Gal. 7. lib. Methodi, cap. 6. ante id vero tempus pulmonis temperamentum, in humidius nondum versum est, etiam si aliquanto mollior reddatur pulmo, ex eiusmodi humiditatis comertio. Membri namque mollietates, humiditatem significat temperamenti, nisi causam habeat, sparsum per membri poros humorem, vt scribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 59. Sic senes, & qui cachexia laborant, mollia & inflata habent membra, cum re vera sicca sint: donec tantam iam, humiditas per poros sparsa, moram contraxit, vt temperamentum, & compositionem permutet, perinde ac in sarcite hydropsis specie contingit, in qua totius corporis coagmentatio, ac miscella, in humidum versa, humorem vndique disseminat, vt scribit Aetius, sermone. 2. tertij terribili, cap. 20. Hinc doctissime Auicenna, pulmonem ex harum humiditatum accessu, non dixit reddi humidum, sed madefactum, nisi humiditatis mora, ipsum in sui etiam substantia, molliorem fecerit. Quae omnia, cum Valesius, & post eum Gaspar Lopus, ignorauerint, immerito Auicennam erroris insimulant. Iecur, lien, renes, & cor, humidiora cute sunt, tanto se inuicem humiditate excedentia, quanto mollietate se excedunt: iecur enim, multo mollius est cute: lien, durius est iecore, & renibus mollius: cor vero, paulo quam cutis est mollius, ac humidius: vt. 1. lib. de temperamentis, cap. vlt. scribit Galenus. Iecoris insignem humiditatem, monstrat primo, humida, ac mollis substantia, qua constat: est enim velut sanguis, qui ad eum locum concreuit. Secundo, quod est sanguinis totius corporis origo: sanguis autem, omnium maxime post pituitam humet, vt diximus. Quin & humiditate nutritiua, humidior statuitur quam pituita: sicut pituita, humidior est humiditate aquea, & madefactiua, vt ex Auicenna retulimus. Qui etiam similiter comparat, humiditatem iecoris, ac pulmonis, humiditati sanguinis & pituitae: vt enim pituita absolute humidior est, humiditate scilicet aquea & madefactiua, humiditate vero naturali, temperatiori, ac nutritiua sanguis: ita hepar, multo magis humidum est pulmone, humiditate naturali, et pulmo magis est madefactus, ex aquosis illis humiditatibus, in id destinatis, vt diximus. Quauis autem humiditas nutritiua sanguinis, ac iecoris, temperatior sit, humiditate aquosa & madefactiua pituitae, pulmonis, & glandularum: in corpore tamen nostro, ad humidius alterando, & temperamento passuarum permutando: maiorem vim sortiuntur, iecur, aut sanguis, quam pulmo, aut pituita. Omnia enim nostri corporis membra, ex sanguine a iecore profecto, alenda sunt, qui si humidus, aut siccus est, humidiora, aut sicciora, ipsa reddit necessario. Vnde lib. artis medicinalis, cap. 31. & 32. Gal. vbi cor siccum est, aut humidum, vniuersum corpus siccius, aut humidius, reddi affirmat: nisi hepar contrarie temperatum obstiterit. In acrius vero non sic, maior enim iecoris lapsus, in ijs requiritur ad emendandum contrarium intemperamentum cordis, quam in passiuus: plus enim cor potest in calfaciendo, aut refrigerando sanguine, ab hepate contrarie temperato transmissio, quam in humectando, aut exsiccando: tum quonia humectatio, & exsiccatio, difficilius & tardius obeunt: tum quonia, vt cor est origo caloris, ita hepar humiditatis nutritiua: Vnde lib. artis medicinal. c. 29. ita scribit. Magna vero ex parte calidi cordis temperatura, vniuersum corpus calidum reddit

nisi epar vehementius obstiterit. Ex addito enim aduerbio illo vehementius, patet lapsus iecoris, siue calidus, siue frigidus, maiorem requiri, ad emendandum contrarium cordis intemperamentum: quam in lapsu passuarum, in quo non dixit, nisi epar vehementius obstiterit, sed solum nisi epar obstiterit: quoniam scilicet iecur, in nostro corpore humectando, non solum pulmone, verum et omnibus nostri corporis partibus, est potentius. Lien, iecore minus est mollis, quamuis rarior sit, et laxior, ob multas arterias, quibus insignitur, ad sanguinis melancholici attenuationem. Renes, liene sunt aperte duriores, non tamen adeo, ut extra classem humidorum sint locandi. Nec oportet ut ex urina commercio, sicci euadant, praeterlabitur enim per meatus, non autem per carnem ipsorum: nec lapides gignunt ob siccitatem temperaturae, sed propter calorem, aut moram, crassam materiam assantem. Post renes, linguam statuit Auicenna, quae renibus non est mollior, quoniam venas et arterias, et plures nervos motorios habet, quae sicca et dura sunt: laxior tamen, et magis rara est, ut aduentitiam humiditatem excipiat, qua semper madescit, ex glandulis saliuam gignentibus, ne loquutionis motu frequenter exsiccata, obmutescat. Haec omnia membra, in duo redegit Galenus, in adipem nepe, et in genus carnosum: in genere autem carnosum, omnes nunc memoratae partes (quae parochimata potius quam carnes sunt) comprehenduntur. Post has, est caro simplex, sic a Galeno appellata, quoniam nullum a praecipuis membris recipit exortum: nec venam, nec arteriam, nec nervum, nec ligamentum: sed innata solum regitur facultate, ut scribit Gal. lib. artis medicinae. c. 9. ea enim, solum creauit natura, ad munienda membra quaedam: cuius generis est caro gingiuarum, et quae in cole habetur. Minus humida quam haec, est vera caro, quae semper musculi est pars: quoniam ex venis, arteriis, nervis, et ligamentis, quae recipit, exsiccatur: praecipue ad initium, et finem musculi, nam in medio carnosior, ac humidior habetur. Cor sequitur, aperte enim est durius carne, et cute mollius: quare inter humida recte reponitur a Gal. 1. lib. de temperam. cap. vlt. non propter copiam sanguinis, ac spirituum, quam habet, ut visum est Auerrho. 2. colliget, cap. 3. sed ob iudicium tactus, mollius enim est cute. Sanguis praeterea, ac spiritus abundantes in corde, non sunt cordis pars, non sunt ergo cum corde annumerandi, ad pronuntiandum de temperamento cordis: alioqui, venae, et arteriae, humidae essent. Maiori errore tenetur Auicenna, qui cor in classe posuit siccorum, existimans cute siccus esse, ac durius, cuius contrarium semper apparuit, siue viuum, siue demortuum cor contrectemus. Nec obstat, quod crasso cauae sanguine nutritur cor, ob sui duritiam: tale enim oportuit esse, duri membri alimentum, ut scribit Gal. 6. lib. de usu partium, cap. 17. non obstat (inquam) quoniam cor appellauit durum, in ordine ad pulmonem, qui nutritur sanguine in cordis sinu elaborato: cuius etiam comparatione, membra alia humida, quae a cauae propagibus nutriuntur, dura dici queunt. Libro etiam 2. de temperamentis, cap. 4. cor durum appellauit Galenus, non simpliciter, sed in comparatione ad iecur, lienem, et renes, quae corde humidiora esse diximus. Post cor, molles nervi sunt reponendi, proximam enim cuti, facit mollium nervorum naturam. 2. lib. de temperam. cap. 4. Galenus, qui locus quamuis de

vtraque

vtraque oppositione mentionem facere videatur: non de vtraque, sed de ea solum, quae in humiditate, et siccitate est, venit intelligendus, ut cap. vlt. 1. lib. de temperamentis, idem Galenus scripserat, in haec verba. Molles autem nervi, in humiditate, et siccitate, mediam naturam sicuti cutis obtinent. Nam in altera oppositione, quae est calidi, et frigidi, nervus mollis in medio non est, sed tantum ei deficit de calore, quantum de sanguine. Quod vero hic, mollium nervorum naturam, mediam sicuti cutis, illic vero, cuti proximam facit, contrarium non est: tum ob magnam propinquitatem, tum ob ipsorum mollium nervorum inter sese distantiam: quidam enim molliores, ut optici, proximam habent naturam, alij minus molles, iam non modo proximam, sed persimilem cuti nascuntur. Idem quoque, nervus mollis, ad exortum mollior existens, proximam naturam habet: in progressu vero exsiccatus, medium temperamentum ut cutis assequitur. Quare Auicenna, molles nervos, in classe siccorum memorans, recipiendus non est: ex molliibus enim soli sensui destinatis, nullus est vel in extremis recessibus, cute siccior: ad exortum vero, omnes sunt aliquanto humidiores cute. Humiditas enim, atque mollietas, siccitate est opportunior, atque paratior, impressioni sensibilium recipiendae. Obstare vero videtur locus citatus, 2. lib. de temperam. vbi ita scribit Galenus. Proxima cuti est mollium nervorum natura: duriores autem, in humido et sicco, secundum cutis naturam se habent. Quibus verbis, temperatior facit nervos siccos, humidis: et mediam temperiem, quam molliibus impertuerat libro primo, durioribus tribuit lib. 2. Respondet Valesius, magis ingeniose, quam vere: quod cutis, sita est in medio mollium, et durorum nervorum, ab vtriusque parum distans: ipsi vero molles, atque duri nervi, a se ipsis distant non parum. Ob id de vtriusque dicere potuit, quod habent similem cuti naturam, quamuis ipsi inter sese, satis habent dissimilem. Contra vero est, quod quantumuis vtriusque nervi, ob exiguum lapsum, cuti possint comparari, duos tamen temperatior esse molliibus, vere dicere non potuit. Molles enim, soli sensui sunt dicati, ut duri arbitrariis motibus: sensus autem a sensibilibus excellentibus exui debet, quo non indiget motus. Temperatior ergo molles nervos, duris oportuit esse: eatenusque, molles ipsi, a medio labantur quatenus tantillam humiditatem, ad facile sensibilem impressionem postullant: quae si maior esset, sensus acrimoniam ipsorum obtunderet. Duri vero siccitate indigerunt, ad actionum, et violentorum motuum firmitatem: consequens ergo est, ut plus duri, atque motorij labantur ad siccum, quam molles et sensui ad humidum. Et ex consequenti, Galeni litera modo non vacat. Quam quidam emendare conantur, loco duriorum, mollium legentes: ita ut hic, perinde ac primo libro, de molliibus semper loquatur, nulla de duris mentione facta, ad hunc modum. Proxima cuti, est mollium nervorum natura, molles autem in humido et sicco, secundum cutis naturam se habent. Sed nulla ratio est, cur sicci vtriusque praetermittantur. Dicitio quoque aduersatiua, de siccis in secunda oratione agi: quoniam a humidis egerat in prima, monstrat. Inutilis praeterea, ridicula, et a Galeni phrasi valde aliena est, in tam breui oratione, mollium, et iterum mollium, repetitio. Gaspar Lopius, commutatim legit, durorum vbi mollium, et mollium vbi durorum, ad hunc modum. Proxima cuti, est durorum nervorum natura, mol-

M 2 les au-

les autē in humido & sicco, secundū cutis naturā se habēt. Quae lectio vera esset, & cum altera primi libri conueniret, si neruorum durorū lapsus ad siccū, admodū esset exiguus: quod tamē cum ipsorū durorū firmitate necessaria, nescio quo modo possit coherere. Nisi admodū praeterea sicca esset, durorū neruorū natura, ipsis pūctis nō admoueremus valida exsiccātia, summa substantiae tenuitate praedita, quae vsq; ad ima nerui offensi, medicamentorū siccitatē prōpte faciat penetrare, vt nos facere docet Gal. 6. lib. metho. ca. 2. & lib. artis medicinalis, cap. 92. Ob id magis placet Galeni literā, negatione addita legere, cum Fuchsio, qui ex antiquo interprete admonitus, vt locus hic, cū altero primi libri conueniat, ita legit. Proxima cuti (in humiditate scilicet, & siccitate) est molliū neruorū natura, duriores autē, in humido & sicco, secundū cutis naturā, se non habent. Sed cur instrumentorū gustus & tactus (linguā nempe, neruos molles, & vltimō cutē) inter humida collocarunt, reliquorū vero triū sensuum instrumenta, praetermiserunt autores? Dicendū, quod satis putarunt de cerebri tēperamento egisse, vt humida eiusmodi instrumenta esse cōiiceremus. Olfactus enim instrumentū, non in nariū meatibus sedē habet, vt pleriq; putant referēte Galeno. 3. lib. de locis affect. in fine, & 7. lib. de placitis, & lib. de instr. odoratus: sed ipsius cerebri portio est, cōstituens extremitates anteriorū cerebri sinuū, quo narium meatus pertinent. Appellanturq; ab Auicēna. 5. 3. tract. 1. cap. 1. processus, aut carunculae māmillares, ob quandam cum papillis similitudinē, vt vel in ipsa peculiari effigie, à ceteris partibus, quae ad olfactū attinēt magno interuallo distāt, organum olfactus, hos processus esse ostēderet natura. Docuit enim Gal. 4. lib. de vsu partiū, in cōpositis particulis, quibus aliqua actio cōmissa est, scrutari per anatomas eiusmodi particulā, cui nusquā in corpore alia sit similis: eamq; propriae totius instrumenti actionis, autorē putare, alias vero partes, esse cōmunes: vt in iecore, in quo instrumentum sanguificationis, nō est vena, aut arteria, aut neruus, aut membrana iecoris: haec enim cōmunia sunt, & in alijs mēbris habent similiter: caro vero iecoris, sicut & cordis, & cuiusq; alterius visceris caro propria, peculiarem habet effigie, substantiā, & naturam, quam in alio nō reperias: quare ea est, in vnoquoq; ipsorum, primariū instrumentum, cui actio commissa referri debet: vt. 2. etiam de temperamentis, cap. 8. scribit Galenus. Processus autem māmillares, peculiari hac effigie, & substantia donantur: hi ergo sunt olfactus instrumentū, non autē pars aliqua nasi, membrana scilicet, os, aut cartilago, quae oēs, alijs partibus sunt cōmunes. Thomas vero à Veiga, Eborēsis, vir doctrina eximius, & omni laude dignissimus. 3. lib. de locis affect. carunculas māmillares, nec esse cerebri portionem, nec olfactus instrumentum affirmat: tum quoniā solidae prorsus sunt, tum quoniā in frontē, non autē in ossa cribro similia desinunt. Praeter has insuper (inquit) carunculas, pcessus alij sunt caui, in quos anteriores cerebri ventriculi desinūt, ad eam caluariæ partē vnde nasus oritur, & ossa colo similia sunt, descendentes: qui sine dubio instrumenta sunt olfactus, tum quoniā portiones sunt cerebri, aut nerui molles, si ita appellare malis, tum quoniā ca-

ui sunt. Galenus enim ob cavitatem, eos appellat foramina, lib. de instrumento odoratus, tum maximē ob situm quem habent, id os ipsum cribriforme, per quem odor transcolatur aēr. Intra caluariam namq; ad cerebrum esse, & non in naso, olfactus instrumentum, verissimum est. Quod Arist. lib. de sensu, & sensibili, cap. 2. sensisse videtur in hac verba. Quocirca, & peculiare sensorii olfactus, in cerebro sitū est. Male ergo Auerrh. 2. coll. cap. 17. imponit Aristoteli odoratū fieri in duobus meatibus, qui sunt in naso. In quo etiam fuit errore Gal. lib. de instru. odorat. Aristotelis loca quaedam ad verbum referens, è quibus tamen eam sententiam non licet colligere: & mirum certe est, quod Aristotelis verba nuper citata, ipsorum vterq; praeterierit: quae tamē, verum sensorij olfactus locum declarant. Forte autē fuisse decepti, ex Aristotelis loco, 2. lib. de anima, cap. 9. vbi neq; si procul fuerit odorabile, neq; si adeò prope, vt intus nares locetur, odoratū fieri adstruit: subditq;. Atq; sensum quidem nō fieri, si in instrumentū sensus res ipsa percipienda ponatur, cōmune omnibus est. Quibus verbis, noluit cum in ipsis naribus, rem olentē posuerimus, in instrumentum sensus posuisse, sed prope ipsum: nā quae prope etiā sunt, nō sentiuntur, vt Philoponus, in eius loci cōmentario aduertit. Primo etiā de Hist. Anim. per nasum odores trahi affirmat, organū tñ olfactus esse, nullibi scripsit. Qui cepas praeterea, aut allia esitarunt, cū valde foeteant alijs, inuicē sibi non foētēt, quoniā (vt autor est Arist. 2. probl. sectio. 13) odoratū habent plenū, & assimilatum prauo odori, qui per palati foramina, olfactui peruia ascendit. Nasus vero, via est ascendēti vaporī, in qua non moratur, vt ipsum assimilet: sed cursim ad cerebrum ascendit, vbi coaceruatur & sui similitudinem infert, & si vim habeat mordēli, qualē acre acetum, aut aqua vitæ appellata, sternutamentū mouet. Accedit, validissimum Galeni argumentū, ex neruorum qui sensorijs distribuuntur, magnitudine, & mollitie desumptū: quae maiora sunt, quo obiectum apprehendendū, tenuius est, ac spiritalius: maximi, ac mollissimi, sunt optici ad vidēdum: post hos, sunt auditorij: deinceps ij, qui linguā pro gustatu dantur: omnium tenuissimi, & durissimi sunt, qui ad cutē pro tactu feruntur: quare magna ex parte, ab spinali medulla ipsos deriuauit natura, cum tamen ceteris sensorijs, nō ab hac, sed à cerebro diremerit. Odor autē medius est, inter sonū aëreū, & saporem aqueum: ergo mediae magnitudinis, ac mollitiei neruos, poposcit odoratus: tunica autē narium internae, nō modo minores, quā linguā, nerui impartuntur, verum non dātur ipsi, nisi tenuia neruorū capillamenta, quanta ad sensum tactus praestandum necessaria sunt, ergo ea nō est olfactus instrumentū. Tunica enim eiusmodi, eadem esse, atq; continuā, cum ea quae totam oris circumferentiā internam, linguamq; completitur, & fauces, & asperā arteriam, atq; gulam: cui neruorū à cerebro ortorum exiguitates tantū dātur, praeterquā in eius parte, quae linguā vestit, cui neruos amplioris crassitudinis dedit, quoniā acumine gustus pollere debuit, scribit Gal. lib. de instrum. odoratus. Quod idem facere deberet natura, in parte qua narium intima vestit, si odoratus instrumentum, ea tunica ibi esset futura. Huius rationis vim, se

infringere putat *Valesius*, quoniam exiguitas nerui, narium tunicae distributi, facit in nobis olfactum imperfectum, non autem quod ibi non sit olfactus. At ratio maiores & molliores nervos olfactus, quam gustatus organo, impediendos esse probabat: qui si ob olfactus imperfectionem, à iusta sua magnitudine decidant: aequales erunt neruis linguae, aut saltem maiores, quam pro tactu sit opus, quod non fit. Sensorium in super olfactus, animantium quae respirant, eandem sedem habet in omnibus, non ergo mutabitur, ob imperfectionem olfactus hominis solius. Tertio, nam olfactum alimenti, homine perfectiorem habent bruta quaedam: differentiarum vero odorum, suauium, & insuauium, voluptatis, & molestiae, ex ipsis captandae, sensum perfectiorem habet homo: non ergo minores nervos, hominis olfactus, olfactu brutorum poscebat. Quarto, nam neruorum huius tunicae paruitas, facit ut palatus, gula, & aspera arteria, nullum sensum habeant praeter tactum: eadem ergo, faciet consimiliter in naso. Quinto, nam nerui effatu digni, qui huic tunicae impartiuntur ad linguam, praeter sensum tactus, gustum praebent, qui est veluti quidam tactus: & non sufficiunt olfactum praestare, ergo tanto maiores, & molliores, ad id requiruntur, quanto odor, est sapore immaterialior. Haec (me iudice) si diligenter aduertisset *Valesius*, non sciscitaretur à *Galeno*, cur in linguae tunica, sit sensus gustus, & non in naso: nec ex responso, speraret causam reddere, cur odoratus in naso sit, & non in lingua. Aperte enim *Galenus*, pro obiecti maiori tenuitate, necessariam fuisse in sensorio, maiorem nerui, tum molliem, tum molem docuit: & iuxta hanc rationem, lingua satis magnos recepit nervos, pro gustu, nasus vero, sola recepit capillamenta neruorum pro tactu necessaria, more aliarum membranarum, quae solo tactu insigniuntur: ob idque tam gustu, quam olfactu caret, tum apud *Galenum*, tum etiam apud *Aristotelem*. Nam si nasum (ut id quoque addamus) sensorium esse censeret *Aristoteles*, non opus esset nobis respiratione, ad odorum apprehensionem: nobis enim non respirantibus, implentur nares vapore rei olentis: quo tempore non fit odorum apprehensio, quoniam sensorium intus, ad cerebri anteriorem partem iacet, ut ex *Aristotele* retulimus. Nec valet, quod *Valesius*, odoratum in partibus profundioribus nasi statuens, ob id putat, nos non posse olfacere nisi inspirantes, quia ad profundum nasi, non potest sine suctu, & inspiratione, attrahi odor aer: quauis enim (inquit) nares ipso impleantur, deest impetus trabedi, cuius impetus ratione, cum inspiramus penetrat, & odoratus mouet. Contra vero est. Primo, quod dum inspiramus trahitur aer, ad thoracem & cerebrum, vacui ratione, per narium canales: ad narium vero intimam substantiam, non est cur penetret. Secundo, quoniam cum quidpiam exactius volumus odorare, leui & interscissa narium utimur attractione, non autem impetuosa, quae penetrare faciat. Tertio, quoniam maiori impetu & penetrationi magis exposito, per fistulam, aut follem, odor aer indè naribus potest: quo tamen casu, odorem non sentimus sine respiratu, ergo respiratio non est necessaria, quoniam ad internam narium partem, faciat odorem penetrare: sed quoniam ad cerebrum, ubi est odoratus sensorium, deducit odorem.

Quarto,

Quarto, nam per catarrhos, colatorij foramina obstruentes, odorem non sentimus, quauis ore clauso, naribus solis respiremus: quo casu, odor aer, vniuersum nasum inundat. Nec valet quod *Christophorus Marcellus*. 3. lib. de anima, cap. 78. perinde id euenire putat, ac in caecitate, ab optici obstructione pendente, citra oculi vllum affectum: neruum enim olfactorium, qui ad nares descendit, ad originem similiter obstrui censet in huiusmodi catarrho, citra nasi affectum. Contra tamen est. Primo, quod coli foramina dicta, frequenter ex leui malo, faciliq; catarrho obstruuntur, & olfactum adimunt, quod monstrat curatio facilis: nerui autem (sive optici, sive cuiusque alterius) sensum adimentis obstructio, graue malum est, & vix reparatur. Secundo, quoniam si cottum, naribus ad originem usque immiseris, ita ut transitum ad colatorium obstruas, & vniuersum nasum, infra deobstructum serues, odor non sentitur: quod tamen ex nerui obstructione, pendere nequit, sed ex impedita odoris ad cerebrum penetratione, sive per meatus manifestos, & os cribriforme, ut putat *Galenus*, & docet anatome: sive ob membranulas quasdam, quae vias & meatus, ad olfactus sensorium tendentes occludunt, quasque respiratio reserat, dicta penetratio fieri debet: ut lib. de sensu, & sensibili, & 2. lib. de anima, cap. 9. ex anatomis imperitia seductus putauit *Aristoteles*. Quae tamen, satis superque lib. de instru. odoratus, improbat *Gal.* Primo, quoniam anatome, & partium odoratus seruientium compositio, nullas eiusmodi valvulas monstrat: in naso enim duo foramina satis conspicua, & septo quodam interno diuisa cernimus. Eorum vtrumque supra media nasi loca, in duas partes est diuisum: altera obliqua, quae in os tendit, altera recta, sursum ad eam caluariae partem, ex qua nasus oritur scandit: quo loco ossa, cribro, coloz, similia, ob foramina quae habet aperta, posita sunt. Membrana autem ea quae crassa est, ea parte, qua ossibus modo nominatis subster nitur, minutis est foraminibus traiecta: ut cerebri mucus, ac recrementa crassa, primum per huius crassae membranae foramina, deinde per ossa cribriformia, viam habeant; in duo nasi quae cernimus foramina expedita: utque aer pro odoratu, & pro spirituum animalium generatione, liberè ac expedite, ad cerebrum respirans, trahi & emitti possit: ubi nullae valvulae, aut claudentes membranae visuntur. Secundo, quoniam huiusmodi valvulis, odoratus instrumentum occludi, minime erat expediens: nec enim ipsi organo erat necessariae, siquidem tutus locus sibi erat, intra nares ossuosas, et cartilagineas recodi: nec animati sunt vtilis, quis enim earum usus, nisi ut non semper olfaciat animans, esse potest? At melius est, omnem sensum aptum esse, ut proprium sensibile semper dignoscat: auditum, gustum, tactum, nullo velamine operuit natura, semperque sua obiecta sentire apta fecit. Soli oculi, in ijs qui molles eos habent, palpebris velantur, ut somnum capteret, & quoniam facile sine ipsis ledi possent, tum ab externo lumine internum dissipante, tum à puluere, festuca, fumo, & alijs, quae arcet nictatio: voluntaria tamen, ut pro arbitrio, ac necessitate videre possimus. Animalia vero, quae duros, & offensionem minime expositos, oculos habent (qualia locustae, gamari, paguri, & caeteri sunt) palpebris natura non insigniuit, ut in perpetua quoad fieri potest actione seruentur. Cur ergo odoratum

intra valuas occludet natura, quæ nisi dum respiramus, reserari nequeant? Tertio, nam si mobilibus valuulis, ac membranis, clauditur olfactus sensorium, non minus reserari possent, ex vehementer flante Aquilone, aut ex fistula, vel folle, odoratum aërem violenter impellente, quam ex leui respiratione.

Sed dubia sunt. Primum, cur per narium canales, & cribriforme os, duramq; meningem, foraminibus ibi pertusam (ita ut cerebri mucus, & crassa recrementa, facile vacuentur) non potest per fistulā, aut follem, immixtus odoratus aër, ad organum olfactus, sine inspiratione, transmitti? Nam citra violentiā, suapte sponte leuis vapor, per nares eo usq; ascendere deberet, quantumuis respirationem cobiberet homo. Secundum, cur si olfactus sensorium, intra craneum est: moschum, aut odoratum aliud, quo nares implentur, non percipit? ex Aristotelis enim doctrina, quæ sensibile supra sensum, nullam sensationem efficere tradit: nasum colligimus sensorium olfactus esse. Tertium, cur cum naribus occlusis, odoratum aërem, aperto ore respiramus, odoratum non fit? per obliquū siquidem narium meatū, qui ad os aperitur, odoratus aër trahitur ad os cribriforme: non minus quam per alium, qui recta ad caput tendit. Hoc argumento freti Auerrhous. 2. coll. & eius sequaces, putant se demonstrasse, organū olfactus non esse intra caluariā, sed in naso. Quartū, cur eadē via odoratus ciborum, quos ore mandimus, & ventriculo conficimus, non sentimus? quum à ventriculo, sursum vapores perpetuo efferantur in caput. Hac enim ratione, ante Auerrhoum usus est Zoar. Quintū, cerebri particularibus sensibus caret, unde. 3. lib. de causis sympth. Galenus, organū non sentiens ipsum appellat: non ergo in ipso erit olfactus. Adhæc cerebrum trahit aërem, pro spirituum animalium generatione. Ergo satius fuerit, olfactum extra caluariam, ad tempestiue explorandum de aëre conuenienti, aut incommodo, quam intro ad cerebrum ipsum constituere: ne prius lesionem incurrat, quam eandem diiudicet animans. Voluptas præterea ex suauitate odore, & ex fastidio molestia, in naribus deprehenditur: ergo ibi positum est sensorium. Demū, animalia quæ dictis processibus carent, non olfacerent: nisi nasus esset olfactus instrumentum.

Ad primum, respondet Galenus, libro de instrumento odoratus, quod cerebrū recipere aërem non potest, nisi dilatetur, quantumuis violenter impellatur: eius enim locum, præexistens occupat aër: non dilatatur autem, nisi inspirando, tunc enim vacui ratione, tantum trahitur aëris, quantum cerebri cavitatis, distensione augetur. Ad secundum respondet Phyloponus. 2. de anima, cap. 9. quod ad odoratum, oportet aërem pati ab odorabilibus, ut is in nostrū olfactū agat: quare moschus naribus immixtus, non est obiectū olfactus, ob idq; non sentitur præ sui crassitie. Aër vero, moschi odore alteratus, nactus est tenuitatem organo conuenientē, & ob id exacte sentitur. Tertium, quo utitur Auerrhous, non magis Galenū, quā se ipsum oppugnat: nares. n. extra occlusæ, odorato aëre, per os apertū replentur. Quin non potest ab ore, is aër, caput conscendere, nisi per nares: cur ergo odoratus non fiat, utriq; incumbit respondere: Cui tñ p Galeno dicendū, quod per nares, ad cerebrū, prompta & expedita est respiratio, & quæ

recta

recta via odorem perferat. Per os vero, sensim egregiè fit, tum quoniam obliqua via est, à palato in frontē, tū etiā quia aërem qui os intrat, suffuratur distētio thoracis, ita ut eo feratur. Quare paucissima eius quantitas, & quæ sensum mouere nequeat, fertur ad olfactus sensorium, tum paucitate sui, tum etiam quoniam hebetatur, ac inefficax eius fit odor, oris humiditate, ac vaporum eius permixtione. Quæ vero ore cōteruntur (quod quartum erat) non mouent odoratum, tum ob dictam rationem, tum etiam, quoniam res odorata (ut diximus) non est obiectum olfactus, sed aër odore alteratus: quæ vero in ventriculo coquantur, hebetiora sunt coctione, ita ut odoratum minus moueant. Accedit, quod multitudine vaporum, olfactus instrumentum, velut saturatū, & iam assimilatū, odorem à ventriculo spirantē non sentit: ut voluit Arist. probl. 2. sect. 13. ubi ita scribit: Cur esculenta male olida, minime his olere videntur, qui illa ederunt? An quod olfactum peruium, ad palatum habemus, idcirco sensus hic prope impletur: Itaq; nec interiorē, æque amplius percipere potest. Principio enim, omnes sentire queunt, ubi autē tetigerunt, non insuper possunt, quasi iam res consociata, natiuaq; reddatur. Et exterior similis illi oblatas, delitescit obtentu interioris. Quæ verba, per palatum, odores olfactui presentari, ipsumq; obtundere significant, nec id mirum, si cōceptura mulier, & quæ obstructionibus prorsus caret, aromatis desubter suffita, & bene linteis, ac panis contacta, odorem aromatum vniuersum corpus penetrantem sentit, Hippocrate autore. 5. lib. Aphor. sentent. 59. Organum præterea non sentiens, cerebrum appellat Galenus, non quoniam non sentiat, sed quoniam exiguum tactus sensum habet, ut ex eodem Galeno, libro de plenitudine constat: quare nihil obstat, sensum etiam odoratus habere: præsertim, quod dicti processus, à cerebri substantia, quadantenus degenerare videntur, ut optici, quorum substantia, cerebro est adeo similis, ut postquam oculum penetrarunt, & in reticularem tunicam dilatantur, adhuc cerebri phantasiā seruent. 7. libro de placitis, autore Galeno, in hæc verba. Quod si totum reticularis tunicæ corpus extrahas, conerisq; id in vnum simul confundere, ac cogere, cerebrum proculdubio videretur. Siquæ alicui ostendas, qui vnde id sumptum collectumq; sit, non viderit, partem cerebri, sine vlla cunctatione, corpus id quod ostenderis esse affirmabit: neque credet talem substantiam, in oculis contineri. Ut ergo in tali corpore, quale cerebrū est, vis adest videndi, apud Galenum: ita in processibus dictis vis odorandi. Cerebri præterea salutem, conuenientissimè prospexit natura, instrumentum statuens odorandi, in ipso cerebri ingressu: sic enim fetidi odores, deuitantur ne lædant, & suaves intimè ad cerebrum trahuntur, ut ipsis fruatur. Voluptas quoq; & dolor, ex suauitate, aut molesto odore, præcipuè & magis, in dictis processibus sentitur. Cuius etiam nasus prorsus expers non est: nam ut venæ meseraicæ, prælidium quodam habent virtutis sanguificandi, & intestina chylum faciendi, ne vel in ipso materierum transitu, otietur natura: utque caro vicina nervo, vi sentiendi non caret: & spiritus viuus, aërem sibi propinquum (ut scribit Gal. 7. lib. de placitis) sensificum efficit: nec

M 5 ob id

ob id est organum præcipuum videndi, aër: nec tangendi, caro: nec sanguificandi, vena meseraica: nec chylicandi, intestinum. Ita nasus, ne in odoris transitu otietur, ex organi olfactus vicinitate, præludium quodam accipit virtutis odorandi: cuius ratione, ab odore commotio quædam ibi sentitur, & voluptas etiam, aut molestia ex conuenienti, aut incommodo odore: quæ tamen consummata, atque integra ibi non sunt, sed in dictis processibus, ceu in radice, & origine, ac organo præcipuo sedent. Nam & ij, quibus vniuersus nasus præscissus est, odorem sentiunt: quod est omnium euidentissimam argumentum, & experimentum demonstratorium. Nec obstat, quod non respirantia, huiusmodi cerebri processibus carentia, odores percipiât: sua enim est cuique, incommutabilis natura: quæ respirationis beneficio caruerunt, prominentem, & extantem odoratum postularunt: quæ vero inspiratione, odorem attrahere valent, reconditum habuerunt.

Longius certè, quam par foret tractatui de Temperamentis, in olfactus instrumento vestigando, digressi sumus: ne ignoti organi naturam, frustra venari conaremur: de qua tamen, nunc non est dubitandum. Humida namq; est, ac frigida, perinde, ac cerebrum: spiritiosa quoque, ac vaporosa, quia in priori cerebri parte sedet. Ob id Arist. 2. lib. de Anima, cap. 9. ex aère, aut aqua, olfactus organum magis cõstare affirmat: quoniam vtriusque particeps est, vt scribit Arist. 3. libro de Anima, cap. 1. in hæc verba. Nam ex hisce duobus simplicibus, tantum instrumenta sunt sensus, ex aère, atque aqua, etenim pupilla ex aqua, auditus ex aère, odoratus ex vtroque eorum. Alij vero legunt ex altero, nam dictio Græca *αἰθερῶν* vtramque interpretationem patitur, vt notat Philoponus. Galenus etiam. 7. lib. de placitis, vaporosum olfactus instrumentum esse affirmat. Libroq; de instrumento odoratus, aliquid esse scribit, quod inter naturam aëris, & aquæ est: tale autem est vaporosum corpus. Ab odore enim, qui in vapore consistit, nihil aptius vaporoso corpore alterati quibit. Quomodo ergo libro de sensu & sensibili, cap. 2. Aristoteles, odoratum ignem fecit, in hæc verba? Quare si in hisce perinde euenit, vt dicimus, palam est, hoc modo assignare oportere, & accommodare, vnumquodque sensorium, vni elemẽto. Oculi enim partem cui videndi facultas data est, ex aqua constare existimandum est: ex aère, id quod sonos percipit: olfactum, ex igne. Sed quæ sequuntur verba, aliquam forte lucem dabunt, vt contradictionis tollatur phantasia, ita enim subdit. Nã quod olfacti vim obtinet, id potentia est, quod olfactus actu: sensibile enim, sensum agere facit. Quare necesse est, eundem sensum potentia prius esse. Odor autem, non nisi fumida exhalatio existit, quæ profecto ignea est. Quo circa & peculiare sensorium olfactus, in cerebro situm est: nam rei frigida materia, potentia calida est. Quibus verbis constat, quod olfactus organum, igneum esse potentia voluit, actu vero rem frigidam, aut rei frigida materiam. Simul etiam expressit, quo sensu dixerit, olfactus organum, potentia igneum esse, quia scilicet tale est sensorium in potentia, quale sensibile in actu: sensibile enim per suum actum, actuat, & informat sensorium. Olfactus ergo instru

instrumentum frigidum, atq; humidum, & vaporosum, actu existens: ab odore calido, atq; sicco, fumidaque exhalatione ignea, actuatur, & igneum fit. Aliter enim, nec odoratus, nec alterius vllius sensus instrumentum, igne cõstat, vt. 3. lib. de Anima, cap. 1. scribit Arist. in hæc verba. Ignis, aut nullius est instrumenti, aut communis omnium est, quippe cum sine caliditate, nihil sit sensituum. Quæ si Valefius aduertisset, 2. lib. Controuersiarum, cap. 21. non tam fuisset inurbanus, atq; iniurius Aristoteli.

Auditus quoque instrumentum, humidum est: est enim aereum, apud Gal. 7. lib. de placitis, & libro de instrumento odoratus. Estque prope cerebrum, ad extremum meatus auditorij, vt scribitur. 1. lib. de causis sympt. cap. 3. tam cerebrum autem, quam aër humida sunt: instrumentum ergo auditorium humidum est. Nam & Arist. 2. de Anima, cap. 8. & libro de sensu, non modo aereum, sed aërem insitum, intra pelliculam, quandam contentum, quiescentem, & animatum esse perhibet. Huiusmodi autem aër, aut aereum corpus, ego animale spiritum, ibi à natura locatum, vt ab externo aère, sonis verberato pulsetur, esse existimo: tum quoniam spiritus animalis, omnium sensationum, est accommodatissimum instrumentum, tum quoniam ex sonis, non minus aère verberari quibit: tum etiam, quoniam Philoponus, lucidissimus Aristoteles expositor, de eo spiritu Aristotelem interpretatur. Spiritus autem omnis valde humidus est.

Visus restat instrumentum, cuius partes si expendamus, dubio procul humidum erit. Humores enim, spiritus, optici nerui, & muscoli oculos mouentes, sunt partes oculi humida, quæ membranarum siccitatem excedunt. Quare non sunt audiendi, qui oculum calida, ac sicca temperatura, ob id statuunt, quod siccitas membranarum, (apud ipsos) excedit humiditatem reliquarum partium, & calor spirituum, ac musculorum, excedit frigus, humorum, membranarum, & neruorum. Adhæc, quoniam corpori valde mobili, calor (inquiunt) ac siccitas magis conueniunt contrarijs. Tertio, quia visus, est alijs sensibus spiritalior: calore ergo, ac siccitate, qualitatibus magis à materia semotis, debet insigniri. Falluntur tamen, quoniam quauis spiritus, oculum calefaciant, temperie influente, frigidi tamen sunt, ex complexione innata, & partium componentium commistione. Accedit, quod spiritus, & influens temperies, non permutant membrorum temperaturas, sed actuant & conseruant, vt supra diximus: oculus ergo membranis, & humoribus constans, frigidis vtrisque, necessario frigebit: trino quoque humore plenus, humebit. Mobilitas vero oculorum, ex musculorum oculum mouentium, multitudine pendet: non ex oculorum calore, ac siccitate vt rentur. Nec opus habuit visus, calore ac siccitate immaterialibus: luce enim, & visualibus radijs luminosis, & magis à materia semotis insignitur. Hinc Aristoteles, libro de sensu, & 5. de generatione animalium, cap. 3. oculum aqueum esse testatur. Primo, quoniam oritur, atque fouetur, à cerebro frigido, atq; humido. Secundo, quia pueris & quamplurimis animalibus, vbi primum oculi formati sunt, humore tumentes, & extantes inspiciuntur. Tertio, quoniam corruptis, ac perfra-

Etis oculis, quod inde exit videtur aqueum. Sed cur oculum non finxit natura aëreum, siquidem aër est magis pellucidus: & à coloribus alteratur, cum nitidus est, ac purus? Dicendum, ex Aristotele. 2. lib. de partibus animalium, & libro de sensu, quod aquea natura, inter omnia pellucida, maxime conseruari potest, & impressas sibi imagines retinere: nam cum aër facilius exsiccetur, & lubricus sit: nec ita conseruari, nec constare, nec impressas imagines retinere, ac aqua potest. Cur præterea lucem habent, si aquei sunt? Respondet Galenus. 7. lib. de placitis, in oculis esse copiosum lumen, ex spiritu animali plurimo, per opticos delato. Spiritum enim huiusmodi, per opticos ferri, monstrat ipsorum opticonum cavitatis. Oculo vero contineri monstrat, quod altero oculo clauso, pupilla alterius dilatatur, aperto vero, in suam magnitudinem reddit: spiritu scilicet, ab uno ad alterum, per commune foramen, ubi utrorumque coitio est, transiliente. Quod vero ingens ibi sit lumen, sensu aperte deprehenditur, ubi oculus ita comprimitur, ut lumen cõfertim exire cogatur: quod etiã capite percusso, & per phrenitidas, & per validos capitis dolores, & ubi quispiam à somno, in quo spiritus copiam aceruauit, repente expergiscitur, non dissimili ratione euenire consuevit. Imminente etiam, ab obstructione optici cecitate, splendor ab humore decumbente, per oculum extruditur. Noui enim (inquit Galenus) quendam, qui cum eodem hoc malo affectus esset, narrabat nobis, se prius, quam in eam calamitatem incidisset, in somnis patefactis repente palpebris, magnam ante oculos lucem solitum videre (quod scilicet, & mihi, & alijs multis euenit) quae tamen lux subinde diminuta fuerit, ut nihil penitus amplius appareret: atque ita videndi sensum sibi obscuratum, simili modo penitus interijisse. Addit, quod in leonibus, & paridis, alijsq; animalibus, quibus lucidi admodum, splendidique oculi sunt, noctu videre licet orbem splendoris, in pupilla apparere, ubi eam ad nares contorserint. Ut colligere possimus, tantum à pupilla in medio spatium auctum visorium conum, quantus prorata interualli portione ipsius orbis extiterit. Quiquidem conus, quibus maior natura est, in ijs maior etiam splendoris orbis conspicitur, quibus minor, in ijs pro ratione paruitatis, tanto minor etiã orbis apparet. Hinc cõstat quã frustranea, sit Aristotelis sententia, libro de sensu, ubi lucem internam in oculo esse. ob id negat, quod si ibi esset obiectum præsens potenti, e semper sentiretur. At sciat, quod non subit ratione obiecti, nisi cū multitudo spirituum confertim pellitur, & per vim exire cogitur. Male præterea etiã splendore, ab oculi humore emitti cõset, quia aqua perspicua est ex sui natura, in oculo autem crassior facta, magis lucet. Fallitur tamẽ primo, quia nec aqua, nec aër, actu perspicua sunt, nisi talia reddantur per lumẽ, ut ipse inuit Aristoteles: cū aërẽ inquit esse materiã, ac lumẽ formã, tenebras vero priuationem. Quare nõ statim, ac oculi humor aqua est, spissiorq; reddatur, actu erit perspicua: si desit sibi spiritus illuminans. Secundo, quia quanuis huiusmodi aqua, oculiq; humor, quadatenus luceret, maior tamen est oculi splendor, quã ut ex aère, aqua, aut aqueo humore, prodire queat: adeo enim splendidus est, ac si æthereus ignis, ibi micaret.

Eius

Eius namque splendoris ratione, ab Empedocle, ac Platone, igneum visus instrumentum: non autem quoniam elementum ignis, in oculi compositione exuperet, appellatum fuit. Nihil enim aliud dicti autores, lucis voce intellexerunt, quã lucidissimũ spiritum, qui oculum illustrat, & aërem alterat, sibi que similem reddit, ut autor est Galenus. 7. lib. de placitis, in hæc verba. Merito visus, illo desuper influente lucido spiritu indiguit, qui in aërem occurrens, eum quadam quasi percussione, sibi similem redderet. Apte igitur dicemus, visus instrumentum lucidum esse, aëreum auditus, vaporosum olfactus, gustatus humidum, terreum tactus: nullo enim alio modo potest, cum ex similibus alteratione consistant. Atque hoc est, quod Empedocles volebat significare, his versibus.

Conspicimus terram tellure, liquore liquorem.

Aère naturam aëream, ignem cernimus igne.

Sentimus enim re vera terrestri sensu, hoc est tactu, terrestrem insitam in rebus naturam: lucidissimo qui est visus, lucidam: non secus etiam aëreo auditus sensu, proprias aëris affectiones dignoscimus: quemadmodum gustatu, qui humidus natura, spongiosusque est, succorum qualitates nobis innotescunt. Superest unius, olfactus nempe instrumentum, quod non in narium meatibus sedem habet, ut pleriq; putant: sed in extremitatibus anteriorum cerebri sinuũ, quo narium meatus pertinet: qua maxime in parte, vaporosos esse cerebri ventriculos constat. Sed de hoc, qui copiosius legere voluerit, habet unum à nobis cõscriptum librum, qui de olfactus instrumento inscribitur. Quintus quippe hic (licet non sint quinque elementa) sensus euasit: quia odorum genus, mediam inter aërem & aquam, naturam sortitum est. Id quod etiã Plato in Timæo, inquit his verbis. Dum enim aqua in aërẽ, aërq; in aquã mutatur, medij extiterunt odores uniuersi. Loquitur idem de visus instrumento, idque ignis purissimi, esse genus affirmat, quem ipse splendorem, & lucem appellat, à pruna, & flamma longe distantem. Ait enim. Post hæc considerandum est, ignis genera multa extitisse: primum flammam, quodq; à flamma procedit, minime vrens illud quidem, sed lucem oculis exhibens: tum quod flamma extincta, in ipsis ignitis corporibus restat. Ex his tribus generibus, quod non vrit (ut ipse inquit) sed lucem oculis exhibet, in visus instrumento, plurimum reperitur. Quare Aristoteles, dum Platoni contradicere putat, ipsi nullatenus contradicit. Aqueus enim est oculus, quia humore plenus: Igneus quoque, id est lucidissimus, quia spiritus animales splendidos, per opticos nervos recipit à cerebro: qui oculi humoribus permisti, totam eorum substantiam reddunt sensiuam, ut eodem. 7. lib. de placitis Gal. scribit. Frustra vero, ut eius splendoris causam reddat, ad lucem externam, in organo reseruatam, confugit Aristoteles: quanuis enim non statim euanescat, sicut nec visillum species, sed aliquandiu in organo seruetur (ut putat) exiguum tamen lumen est, quod seruari potest, nõ autẽ ingens splendor, qui percipitur. In tenebris quoque, quando solem, aut lumen, multo ante non conspeximus (eo scilicet

ce.

cet tempore, quo ex ante visa luce, nihil reſeruatū eſſe poteſt) oculus compreſſus, eiſmodi lumen reddit. Accedit, & altera aduerſus Ariſtotelem, minoris momenti obiectione: quod humor oculi, lucem ſibi inſidentem, & reſeruatam, nō poſſet videre, non enim à ſe ipſo, alterari quibit, ſenſus autem, ſine alteratione, ac paſſione non fit. Huic ſane facile occurrunt, cum Alexandro Aphrodiſienſi Perepatetici, quod ex oculi cōpreſſione, aut capitis percūſſione, oculi humor agitatur, in equaliſq; in partibus efficitur, ita vt pars vna, ab altera illuminetur, & illuminata, fulgorem comprehendat. Exemplum eſt, de aqua in vaſe contenta, in qua modicum recipiatur lumen, putā imago faſcis ardentis: aquā hanc ſi cōmoueas, propter partium aquæ in equalitatem ex motu acquiſitā, faſcis imago in aquæ ipſius ſuperficie turbatur, variuſq; efficitur ſplendor, parte vna, reliquas ita illuminatē, vt ſi aqua eſſet viſus compos, ſuū fulgorem neceſſario conſpiceret. Quod vero plurimum fulgorem conſpiciant, niſi valde lucidi ſint, rationē tradere nequeunt. Nec obſtat, quod ſi recipiens, debet eſſe denudatum, à formis recipiendis, vt ſenſus fiat: oportuit etiam, oculos qui lucem, & ſplendorem externum inſpiciunt, ſplendidos non eſſe: lumen enim, & perſpicuitas, naturæ communes ſunt, non impediētes, immō adiuuantes, perceptionem omnium viſibiliū: ob idq; perſpicuum, & lucidū oculū fuiſſe, fuit conuenientiſſimū, valdeque neceſſarium. Nec obſtat etiam, quod ſi oculus humidus eſſet, non ſeruaretur ſiccis medicamentis, quibus ſeruatur apud Auicennam, tertia, tertij, tractatu primo, capite de conſeruatione ſanitatū oculorum: ſimilibus enim fit conſeruatio, præſertim in paſſiuis, apud Galenum, tum alibi, tum lib. 6. de ſanitate tuenda. Non obſtat (inquam) quoniam medicamenta externa ſicca, proſunt oculis multipliciter. Primo, quia occurrunt membranæ ſiccis, quæ ſimilibus ſeruātur. Secundo, quia retinent ſpiritum viſorium, ne exhalet. Tertio, quia abſorbent ichores, & excrementa, à quibus fere debiles oculi non liberantur, tum ob incoctionem, tum etiam, quoniam à cerebro, in partem vicinam debilem tranſmittuntur.

Traditur claſſis eorum, quæ in noſtro corpore ſunt ſicca. CAP. IX.



VANVIS pro meſura mollitiæ, atque duritiæ, humiditatem, ac ſiccitatem partium, metiatur Galenus, vt diximus: euidentius tamen, huiuſmodi regula, in ſiccis, quam in humidis deprehenditur: non quoniam diſpar ſit ratio, duri ad ſiccum in corpore noſtro, ac mollis ad humidum, plane enim eadem: ſed quoniam durum, tactum premit: molle vero reprimatur, & minus quam durum tactum afficit. Ob id, in ſiccorum claſſe, nihil fere eſt quod dubites, Galeno perlecto, primo libro de Temperamentis, capite vltimo, vbi ita ſcribit. Sicciſſimum, ac frigidiffimum eſt pilus. Minus eo, & frigidum,

& ſiccum eſt os: hoc vero minus ſiccum eſt cartilago. Proxime hanc ſequitur ligamentum, & quem Græci compoſito nomine χονδρινοειδὲς ὄσθιον, id eſt cartilagineum, ligamentum vocant. Poſt hunc tendo, deinceps membrana, & arteria, & vena, ipſa ſcilicet corpora vaſorum. Succedūt deinde nerui duri. Molles autem nerui, in humiditate, & ſiccitate, mediam naturam ſicuti cutis obtinet. Hæc Galenus. Quæ ſolo fere ordine variant, ab his quæ poſtea tradit. 2. lib. de Temper. cap. 4. vt enim primo libro orditur à ſicciſſimo, in minus ſiccum: ſic ſecundo libro, à minus ſiccum fere, in ſicciſſimum tendit, ita enim eo loco ſcriptum reliquit. Porro omnes membranæ, citæ ſunt ſicciores, veluti cerebri, & ſpinalis medullæ inuolucra, quæ meninges dicuntur: ſunt enim hæc quoque membranæ. Iam ligamenta omnia, quanto cute ſunt duriora, tanto ſunt & ſicciora. Tendones quoq; tametſi ligamenti ſunt molliores, at tamē cute luculenter ſunt duriores. Cartilago vero, poſt ligamentū deinceps eſt. Præterea mediū quoddā, inter ea corpus: appellant id anatomici quiddā νευροχονδρινοειδὲς ὄσθιον, quaſi cartilagineum ligamentum dicas. Eſt autē id, durum, cartilagineoſumq; ligamentum. Os vero, omnium quæ cutis operit, duriffimum eſt. At eorum quæ ex cute extant, ſicciſſimus eſt pilus, deinde cornu, mox unguis, & ungula, & calcaria, & roſtra: quæque his in ſingulis animalium, ratione carentium ſimiles ſunt partes. Hæc Galenus. Sed ſi pilus, eſt oſſe ſiccior, cur ex regula tradita, non eſt ipſo durior? Dicendum, quod inter ea quæ ſunt eiſdem, non autem diuerſi generis, eiſmodi regula eſt vera. Eiſdem generis appello, noſtri corporis partes, quæ animatæ ſunt, & ex ſanguinis coctione, ac commutatione proueniunt. Diuerſam rationem habet pilus, qui nec pars corporis eſt, nec ex ſanguinis, aut humoris alterius coctione fit: ſed ex fumo per vim compacto, & conſiſtente. Non poteſt autem fumus, ad æqualem duritiem, ac humor aſſurgere, quantum viſione ſicceſcat, & meatus anguſtia comprimatur. Nec obſtat ſiccitati pilorum, quod in capite, humido membro naſcantur, nec quod humidæ naturæ, ætates, & ſexus, pueri (inquam) mulieres, & eunuchi, non calueſcant. In capite enim magis naſcuntur pili, non ob humiditatem, ſed quia cutis capitis ſiccior, atq; durior eſt: hæretq; præter id, oſſi nudo. Citius etiā magisq; naſcuntur in ſyncipite, quoniam ſiccior, & magis excarnis, ea parte cutis habetur. Eadem etiam ſiccitas, cum valde augetur, in naturis, ætatibus, ſexibus, & partibus noſtri corporis ſiccioribus, cutem reddit duram, occaleſcentem, ac veluti teſta ceam, & cicatricum more, à fumo, ac pilo impenetrabilem. Ob idque caput prius, & in ipſo magis ſynciput, reliquis partibus calueſcit. Prius enim accedunt, ad ſiccitatem impenetrabilem, & pilis continendis proſus ineptam, vt. 2. lib. de Temperam. cap. 11. ſcribit Gal. Pueri vero, mulieres, & eunuchi, calui non fiunt: quoniam ad eā ſiccitatem, ob humiditatem temperamenti, non accedunt. Os vero, minus pilo ſicceſcere, triplici argumento, conuincit Auicenna. Primo, quia fumus ex quo pilus gignitur, ſiccior eſt ſanguine, aut ſemine, ex quo conſtat, & nutritur os. Secundo, quid oſſibus nutriuntur canes, & lupi, & alia etiam animantia, ob humidum nutrimentale,


tale in ipsis repertum: pilis vero non. Tertio, quia cum duplex humidum in mistis agnoscamus: vnum aqueum, minus naturale, minusque nutriens, & alterum aëreum, pinguius, nutrimentalius, viscosius, & partes ipsius misti continuans, ac cōglutinās: vtrumque eorum elicit (primum aqua, secundum vero, olei forma) ars destiliandi, paucissimum ex pilo, abundantius vero ex osse, æquali pondere sumpto. Terreum quoque excrementum, ex pili destillatione relinquatur copiosius, parcius vero ex osse: ergo humidior pilo est os, quāuis minus ipso sit durum, quoniam diuersi generis materia constāt, vt diximus. Cartilago vero, eiusdem generis cum osse materia constans, quāto est mollior ipso, leuior, & magis flexilis, tanto minus sicca habetur. Post cartilaginē, ligamētum cartilagineum sequitur: quod vt siccius ac durius est, ligamētis alijs, ita cartilagine ipsa humidior, ac mollior est. Post ligamentū tendo statuitur: quoniam præter ligamentum, neruum motiuum, qui ligamento est mollius, ac humidius, in suis recipit compositione. Membranae sequuntur, veluti cerebri, & spinalis medullæ inuolucra, peritonæum quoque, & omnes ab ipso, in viscera natæ propagines, tum ad obuoluenda, & custodienda, tum etiam ad suspendenda membra quibus insident: quæ omnes, sunt tendonibus minus sicca. Arteria & vena, deinceps sequuntur, apud Galenum: primo quidem arteria, deinceps vero vena, apud Auicennam: quia cor, a quo nascitur arteria, est siccius iecore, a quo procedit vena: & sanguis arterialis, est siccius venali, arteria etiā ex motu perpeti, & calore magis feruente, quadantenus exsiccat. Hic autem ipsa vasorum corpora (ex sibi scilicet insita temperie) intelligenda esse, monuit Galenus, cap. vlt. primi libri de temperamentis: quoniam si alterationi, quam a sanguine, & spiritu recipiunt attendamus, contactu sanguinis calefiunt, atque ad medium temperamenti statum veniunt, vt eodem capite scripsit Galenus. In altera quoque oppositione, commutationem etiam, & alterationem temperamenti recipiunt, quāuis minus insignem. Cur enim, si sanguis magis est humidus, quam calidus: arteriæ & venæ, ex ipsius contactu, ad medium potius actiuarum, quam passiuarum statum venient? nam humiditatis in agendo minor efficacia, id vnum efficere est potis, vt citra medium statum, in commutatione sit restitum, si ad medium vsque in actiuus est deuentum: non autem, vt commutatio non fiat prorsus. Hinc Gal. 7. lib. meth. quartā siccitatem memorat, quæ in proprijs cuiusque particulae, exilibus venis, & arterijs consistit: quāque ex sanguinis penuria, prouenire docuit: humiditas ergo illi siccitati contraria, ex sanguinis presentia, & abundantia pendebat: insitumque vasorum temperamētū, naturali quadā & cōuenienti cōmutatione immutabat. Post venas, nervos duos memorat Galenus, oriuntur enim, ab humidissimo cerebro, eademque cum ipso substātia cōstant: vna vero ab hepate, multo minus humido, quam sit cerebrum. Nutriuntur præterea pituitosiori, ac magis glutinoso alimento, quā venæ. Omnes insuper nerui motiui sentiunt: ad sensum vero, maior humiditas requiritur, quā venis insit. Ergo tam ortus, quam nutrimenti, quā etiam functionis ratione, humidiores venis, sunt nerui. Reponuntur

autem

autem in genere, atque classe siccorum, quoniam ad motum voluntarium, firmitate est opus, quæ excessu siccitatis comparatur. Omnium mediocritatem tenet cutis, tam actiuarum, quam passiuarum: quāuis enim membrana, vniuersum corpus obtegens, & possit appellari, & appelletur interdū, eo tamē nomine hic non venit, sed ipsi potius contradistinguitur, cum .2. libro de Temperam. cap. 8. omnes membranas, cute esse siccores, scripsit Galenus. Cum vero .7. libro de Placitis, Hippocratis & Platonis, & libro de instrumento odoratus, tactus instrumentum terreum esse definit, non voluit huiusmodi mediocritatem, & exactum cutis temperamentum adimere: sed hunc sensum, & eius obiectum, reliquis sensibus, & obiectis comparare. Reliquorum enim sensuum magis immaterialium comparatione, crassum, atque terrenum est, tum neruus, tum etiam cutis, & quoduis aliud tactus instrumentum. Quomodo vero cutis, media substātia sit, ex neruo & carne, aut ex neruo & sanguine temperata, dictum a nobis superius est.

De calidorum, frigidorum, humidorum, atque siccorum contraoperantia, & temperamento, per coalternationem consurgente.

CAP. X.



AS qui contrariorum membrorum classes expenderit, facile estimare poterit, nostrum corpus ita ex contrariarum partium temperamentis constare, vt in recte, & bene temperato homine, frigida aequentur calidis, & humida siccis: non quidem indiuidua æqualitate, quam explosimus ceu inutilem, sed quæ latitudinem habeat insignem, vt diximus. Vt enim tres partes lactis, diuersorum vnaquæuis temperamentorum: medium aliud in toto lacte temperamētū cōponunt, ita ex cōcinna, & naturali contrariorū mēbrorū coaptatione, tēperamētū aliud consurgit in toto, totū hominem temperatum reddens: aut intemperatum, si membra componentia, a recta temperatura deciscant. Omnia enim nostri corporis membra, sibi inuicem, & toti, imprimunt temperaturam suam, pro suarum viritū ratione: præcipua quidem membra, insignem impressionem, & commutationem faciunt, quæ vero præcipua non sunt minorem. Cor enim calidum, aut frigidum, humidum, aut siccum, totum corpus in simile ducit temperamentum, nisi iecur contrariè temperatum valde repugnet: & iecur similiter intemperatum, totum corpus in suū trahit intemperamentum, nisi obstet contrariè temperatum cor. Cum vero in vniū conuenerint vtriusque principij temperatura, totum secundum illas exquisitè afficitur corpus, vt auctor est Galenus libro artis medicinalis, capite quadragesimo primo. Cerebrum quoque, spiritus vitales, quos cor calidissimos, ad vitam, corporis tutelam, & impulsus in corpus genuit: temperat, & refrigerat, ad quietas

N. sen.

sensationes & intellectiones, & motus compositos, ac minime turbulentos, item & ad somnum conciliandum. Testes præterea, vniuersum corpus alterant, & floridum reddunt. Venter quoque, insignem facit mutationem, quoniam materiã parat, quæ vniuersum corpus alterat: qui etiam à vicinis membris (ceu lebes in furno constitutus) vndique incalescit. Pulmo, suas alterationes, celerrimè cordi communicat, vt scribit Gal. 4. lib. de præfagatione ex pulsibus, cap. 2. Caro vero, os sibi cõiunctum calfacit: & quædam caro, est sicciore alia, quia magis ab osse exsiccat. Sic tibus in vlcere capitis, & partis, ac naturæ siccæ, est suppuratorium, quoniam eius cõparatione humet: in parte vero musculoſa, & natura molliori, carnem gignit, quoniam similem cum ea carne, naturam sortitur, vt docet Gal. 3. lib. Methodi. Sic neruus cordis valde calet: & transiens per os, exsiccat, & dureſcit. Sic cerebrum natura frigidum, spirituum calore temperatur, octauo libro de Vſu partium, auctore Galeno: & vasorum corpora, sanguinis & spirituum calore, in medium statum deducuntur, vt scribitur primo libro de Temperamentis, capite vltimo. Hinc eorum detegitur error, qui in membris naturam suam seruantibus, nullam fieri contraoperantiam autumant, agunt enim membra in se se, puta in suum humidum: & inter se se, puta calida in frigida, & humida in sicca: agunt præterea in tertium (puta in totum corpus) contraoperantia positiua, & priuatiua. Priuatiuam appello, in qua conantur membra, temperiem contrariam inferre, aut in se ipsa, aut in tertium, & nulla qualitas inducitur, propter equipotentiam contrariorum: prohibent tamen se inuicem, ne vterius labatur. Positiuã autem, eam esse dicimus in qua qualitas aliqua, per actionẽ acquiritur, & eius contraria corrumpitur. Hæc autem quadruplici constat differentia, aut enim est minuens, aut æquans, aut in contrarium permutans, aut augens. Si namque cor calidum, de iecoris frigore, dimidium intemperantiæ adimat, ipsam minuit: si ad temperatum perducatur, æquat ipsam: si vltra temperatum calfaciat, in contrarium temperamentum permutat. Si iecur (quod iam incaluit, & in contrarium temperamentum versus est) vterius calfaciat & intemperet, eius intemperamentum auget. Eadem contraoperantiæ fiunt, à membris contrariæ temperatis, in tertium: si enim à cerebro frigido, tantundem refrigeretur musculus, ac à corde calido incalescit, priuatio fit effectus vtriusque, propter equipotentem actionem contrariam. Si vero magis excedat cerebri frigus, refrigeratur musculus à cerebro, magis quam incalescat à corde: ita vt si musculus (verbi gratia) intemperiem calidam habuit, per eam cerebri perfrigerationem, minui eiusmodi intemperies, aut ad exactam temperiem duci, aut in frigidam intemperiem contrariam permutari possit. Aut si frigida fortè musculus labebatur intemperie, eam necessitate quadam, eadem auget à cerebro perfrigeratio. Nam quomodo sine contrariorum membrorum contraoperantia, saluari potest temperies ex ipsorum coalternatione orta: ob quam singularum partium temperamenta, laboriosè excussit, & liberauit Galenus,

Galenus primo libro de Temperamentis, capite vltimo, & secundo eiusdem, cap. 8. Si manum præterea thoraci, aut ventri admoueamus, ad sensum se contemperant: ergo multo magis se contemperabunt, iecur, cor, & cerebrum, sanguis, & spiritus ab his transmissi in corpus, carnes insuper, & ossa, quæ magis dissidentia sunt. Iecur præterea, & cor, vniuersum corpus alterant, & contemperant, per sanguinem & spiritum transmissum: ergo & se se contemperabunt, nam inuicem sibi ipsis sanguinem transmittunt, atque spiritum. Cor insuper febrientis, lædit cerebrum calore: sicut cerebrum attoniti, soporati, & congelati, lædit cor frigore: sed ante alterationem quæ lædit, est alteratio manifesta non lædens, hæc ergo reperiri debet, in lapsibus, & intemperantijs, intra latitudinem sanitatis contingentibus: & ex consequenti, cordi calido, reuertetur cerebrum frigidum, ipsumque manifesta alteratione alterabit. Ante manifestam vero alterationem, est alteratio inuidentis: hæc ergo respondebit membris, parum à temperato recedentibus. Temperatis vero, aut exigua quedam alteratio positiua, aut ad minus priuatiua respondet: quoniam membra præcipua, quantumuis temperata sint in suo genere, sunt tamen intemperata, & prona in lapsum similem: in quem ne labantur, oportet vt sibi inuicem sint impedimento, ob contrarietatem quam habent: quod sine contraria inuicem actione, & alteratione, fieri nequit. Cum ergo temperata omnia membra sunt, tam præcipua, quam ignobilia, alterant se se, & corpus vniuersum, contraoperantia priuatiua, per quam inuicem sunt sibi impedimento ne labantur, aut quod expeditius dicitur, se se tuentur. Quoniam omnia membra inuicem sui sunt indiga, ob idque vniuersum corpus conflatile, & conspirabile, fabrefecit natura, vt mutuam opem, & tutelam, membra sibi possent afferre. Cor temperatum, sanguinem arterialem, spiritum, & influxum, mittit iecori, & vniuersis partibus, qualem, & quantum requirit, pro suscitanda, ac actuã da innata ipsorum temperie, quæ velut qualitas est potentialis, actuã illa cordis indigens, vt operetur. Iecur vero temperatum, remittit cordi sanguinem, & naturalem (si is datur) spiritum exacte confectum, nec crudum, nec à corde inflammari aptum, vt in cordis substantiam temperatam, ipsum commutet: vtque sanguinem arterialem, atque vitalem spiritum, temperatissimum in suo genere, ex eo gignat. Vniuersis etiam corporis partibus, talem, ac tantum mittit, qualem, ac quantum, sua postulat natura, vt in similem sibi substantiam commutari possit. Quod si membrorum quantumuis temperatorum contrarietatem, nobis rurſus obtrudas, ex qua non sola tutela, aut actio priuatiua, sed qualitatũ aliqua corruptio, & generatio positiua, fieri sit necesse: eam leuem, ac naturalem esse dicemus, adeoque exiguã, vt nõ modo lesionẽ, nec sensum vllũ inuehat, verum magnã etiam inferat vtilitatẽ, quoniã temperamentũ ex coalternatiõẽ, per hæc ipsorũ leuẽ actionẽ cõsurgit. Nec maior isthæc est alteratio, quã quæ à somno & vigilia, cibatiõẽ aut fame, secundũ naturã inuehitur: sicutq; per hæc, ob eius lenitatẽ non tollitur, quomodo

nus somnus & vigilia, cibus & fames, pro ratione administrata sint conseruantia, ita leuis actio positua inter os temperatum, & carnem temperatam, iecur quoque atque cor temperata, non tollit conseruationem, & tutelam mutuā. E quis enim dubitare potest, aliter nostrum corpus disponi dormiens, aut vigilans, cibatum aut inani- tum? Hāc sane exiguam, & pauci momenti contraoperantiam, tum in partibus opti- mē tēperatis, tum in hecticis febribus, quæ equaliter ac proportionabiliter corporis membra intemperarunt, notauit Galenus, libro de inæquali intēperie, cap. 6. in hæc verba. Itaque etiam hectice febres omnes, tum sine dolore, tum nec sensu, ab ijs qui ipsis laborant perceptæ. Non enim ex eorum particulis hæc agit, hæc patitur: cum omnes inter se iam similes sunt redditæ, ac vnā habeant consentiētem temperim. Quod si alia calidior est, alia frigidior: at certè eatenus est frigidior, vt vicinā nihil offendat: alioqui sic scilicet partes, quæ pro naturæ modo se habēt mutuo se offende- rent: vt pote quæ sic quidem temperamentis dissideant: caro namq; calida particula est, os frigidum, cæterum tam harum partium, quam reliquarum cmmium, indolēs in- æqualitas est, modi excessus merito. Quibus verbis, non prorsus actionem mutuam carnis in os negauit, est enim ob contrarietatem necessaria: sed indolentem (exigui ex- cessus merito) esse voluit. Cuius tamen nos indolentiæ causam, non modò exiguū con- trarietatis excessum esse putamus, sed insuper addimus, quod eiusmodi præter id con- trarietas, naturalis est, utilis, & ad temperamentum ex coalternatione gignendum, item & ad natiuam membrorum intemperaturam seruandam, propè necessaria, tan- quam eius frenum, ne furiat, & in similem suæ intemperaturæ lapsum decidat. Cor- dis enim à respirato aëre refrigeratio, indolens est: non ob exiguū excessum aëris fri- gidi, ad calidū cor: magnus enim inter ipsa excessus est: sed quoniā naturalis est, vti- lis, & necessaria, huiusmodi refrigeratio, & solius naturæ nomine est indolēs: magni- tudinis vero ratione, sensibilis & voluptuosa: cor enim oblectatur, cū aura frigida, & expetita, fruitur: frustra enim gentilis, insensibilitatem eius in corde causatur.

Si vero membra intemperata sunt, aut simili intemperie à tēperata labuntur, ita vt omnia sint calida, aut frigida, humida, aut sicca: aut dissimili, ita vt quædā laban- tur ad calidum, & alia ad frigidum. Quæ simili intemperie tenentur, aut equaliter ac proportionabiliter labuntur, aut inæqualiter. Aequaliter ac ad proportionē lapsa, non contraoperantur momentaneè: nam si id non efficiunt hectici mēbra, validam qualitatem & præter naturā habentia, multo minus quæ minores qualitates, & in- tra naturæ limites constitutas possident. Inæqualiter vero lapsa, in id cōtraria actio- ne contendunt, vt sese contemperent, ac ad intermediam contrariorum equalitatem veniāt. Si namq; caro & neruus, ad calidum ita labantur, vt carnis quam nerui la- psus sit maior, neruus remittet calorē carnis, minus quam neruus temperatus remit- teret, & caro intendet calorē nerui, plus carne temperata: itaq; peracta actio- ne, tam os, quam caro, ad calidum labuntur equaliter, ac proportionabiliter: vt enim inten- sum, auget qualitatem remissi, contraoperantia augente, sic remissum remittit inten- sum,

sum, contraoperantia minuente. Quæ vero contraria intemperie tenentur, aut nati- ua temperie labuntur, iuxta latitudinem complexionum, quæ intra sanitatis limites consistit, aut lapsu præter naturam, & morbofo. Si lapsus est præternaturam, ad medium ferè reducuntur interualli: vtrumq; enim naturam habet adiutricem, quæ morbum debellare studet. Ferè autem aduerbium, additum est, propter maiorem calo- ris, quam frigoris efficaciam. Si vero lapsus est naturalis, contraoperantur quidem ex vi & natura contrariorum, minus tamen actione proficiunt. Primo, quoniam na- turam vniuscuiusque membri, habent reluctantem reductioni: natura enim, etiam si intemperata sit, similia poscit, & per ipsa tueri postulat, & quæ reducunt, vim ip- si inferunt: quare iubemur à reductione abstinere, nisi per otium, & integram va- letudinem. Secundo, quoniam temperamentum, non in solis qualitatibus contingit, sed potissimè in elementorum substantijs, ex quibus qualitates elementorum erum- pentes, rursus superbiunt. Ob id sane, cor, atque iecur, contrariè temperata intra sa- nitatis terminos, per contraoperantiam, non se reducunt ad temperamentum me- dium: sed exorbitantes ipsorum qualitates, castigantur, & mutuo sibi impedimen- to sunt, ne furiant, plus aut minus, pro contrariorum ratione. Quamuis autem non integrè se contemperent, actio tamen contraria vtriusque in corpus, contemperat ipsum, vt voluit Galenus, libro Artis medicinalis, de signis cordis, & hepatis, vbi totius corporis habitus temperamentum, sequi voluit temperamentum vtriuslibet horum, nisi alterutrum obsistat. Vbi enim vnum alteri repugnat, si æquis viribus certent, muscoli, & cutis, medium temperamentum possidebunt. Si vero alteru- trum vincat, ad vincantis qualitatem proportionabiliter inclinabit. Hinc valde extraneam & falsam esse gentilis opinionem existimo, qui libello suo de resisten- tijs, putat sanguinem, & spiritum, ab hepate in vniuersum corpus transmissum, ni- hil à sanguine, spirituque cordis calidioribus, pati, moueri que, neq; in se ipsos agere, cum ex vtrorūq; miscella, mediū in cute consurgit temperamentū. Sed sanguis (in- quit) spiritusq; iecoris, aut cerebri frigidiores, omni ex parte miscentur, & consun- duntur, cum sanguine & spiritu cordis calidioribus, teporq; ex ea miscella, & con- fusione, non gignitur, sed representatur: perinde ac medius color apparet, ex mi- nutissimis pulueribus, albis simul & nigris, valde commistis. Contra vero est. Primo, quod album, & nigrum, non habent vim se inuicem transmūtandi, vt pri- mæ qualitates. Secundo, quod inter quæcunque duo contraria actiua, in materia communicantia, intra sphaeram propriæ actiuitatis constituta, necessaria est actio reciproca. Tertio, nam sanguis, & spiritus cordis, possunt ossa, & neruos calefa- cere: multo ergo melius sanguinem & spiritum naturalem, à iecore prodeuntes, (qui minus quam ossa frigent) calefacere poterunt. Quarto, in cute producitur qua- litas vna teporis, vnūque tēperamentū: non autē qualitatū, aut temperamento- rum congeries: ergo vnum, agit in reliquum, actione reciproca, & vtrumque in- eundem,

cutem non geminum, sed vnum producit effectum, aut temperamētum, quod iuxta aequalitatis, aut excessus rationem, in ea complexione agentium resultat. Si enim ab vnoquoque agente, sua produceretur qualitas, suumque temperamentum, contrarijs motibus corpus simul teneretur: ipsaque contraria, vim suam mutuo, ab eodem subiecto se abiciendi amitterent. Quod etiam docet sensus, qui ex mixtura gelidae, & feruentis aquae, vbi iam se temperarunt, vnum obiectum, & temperamentum vnum apprehendit. Tactus insuper iudicat cutem temperatam esse, sensus autem circa propria sensibilia non decipitur, ergo ipsi credere oportet, quod sit qualitas vna, & temperamentum vnum, verè & non secundum apparentiam. Ex quo etiam elicio, quam fallax esse possit, iudicium tactus in temperamentis dignoscendis, nisi multa alia addantur inditia: trium enim principiorum contraria temperaturae, temperatam reddunt cutem (quanuis non prorsus aequalem) tantū vero abest, vt temperatum ex ipsis constans corpus sit, quantum morbosissima natura, à temperatissimo distat corpore, vt monstrat experimentū, & Auicenna. 2. 1. doct. 3. cap. 5. & ratio, quia mēbra ab ortu intemperata, sunt simpliciter insalubria, ex principijs vero simpliciter insalubribus, corpus salubre simpliciter constare vanum est.

Sed contraria quaedam sunt soluenda. Primum, nam si in membris naturam suam seruantibus, datur actio, nullum membrum in sua naturali dispositione, & temperatura, seruari poterit: quare nec salubre simpliciter corpus erit, nec recte natura, corporis temperiem, atque membrorum, magno labore, & artificio creasset, si nullo temporis spatio, tueri incolumem posset. Secundum, quoniam frustra natura induxisset illam qualitatem, quam vnum ex altero corrumpit. Tertium, caro toto vit. e curriculo calida perseuerat, frigitur neruum semper calefacit, necesse est senis neruum calidiorem esse, quam fuerit in etatibus anterioribus. Quartum, nam si caro (verbi gratia) calefacit os, & refrigeratur ab ipso, non cessabit actio, donec se assimilent, & omnis cesset contrarietas, quod non fit. Quintum, nam contraoperantia fieri non posse videtur in membris prorsus temperatis, nec vbi intemperata sunt, erit ergo impossibilis. Assumptum quoque ad temperata attinet, eo constat, quod intemperatorum actio eo tendit, vt temperent se se: ergo si temperata ab initio creata sunt, non est cur se contemperent: habitibus enim presentibus in materia, cessat motus, ex communi philosophantium proloquio. Quantum attinet vero, ad intemperata, non minus verum videtur assumptum, nam si nec inter cor calidum, & hepar frigidum, nec inter cor frigidū & hepar calidum, nec inter cerebrum & cor mutua actio fieri potest, multo minus inter reliqua membra ignobiliora, viribus inferiora, & qualitibus minus dissidētia, fieri poterit. At si cor calidū, contraoperatur iecori frigido, & in determinato tempore, aliquid (tertiam nēpe partem) de sui adimit frigore, in tempore duplo, alias duas partes corrumpet, reddeturque hepar necessariō calidum: nec se compati poterunt cor calidum, & hepar frigidum, quod tamen experi-

experimentis repugnat. Quod si ante id tempus, actionem intercipi dicas, inuentibus adhuc corde calido, & hepate frigido, iam sub his mensuris non contraoperantur: & ex consequenti, si ab ortu sub his mensuris gignantur, decrit mutua ipsorum actio. Frigidum etiam cor, est calidius, calidissimo iecore: ergo nec cor poterit calferi, à minus calido iecore, nec iecur frigesieri, à corde se ipso calidiori. Contraoperantiam quoque, inter cor & cerebrum, sustulisse videtur Galenus, octauo libro de Vsu partium, multis rationibus aduersus Aristotelem conuincens, cor à cerebro non posse refrigerari. Consequens ergo est, vt nulla in nostro corpore, siue temperato, siue intemperato, mutua membrorum actio contingat.

Ad horum vero primum, dicendum est, quod ex contraoperantia membrorum, non tollitur corpus salubre simpliciter semper, ea enim non prohibet, quo minus per omnes etates duret optimum temperamentum, in pueritia quidem optimum puerile, in iuuenta iuuenile, & in senectā senile. In omni siquidem etate, huiusmodi corpus, praestat suis coeuis, quantumuis membra agant paulatim in suam humidum, & ipsa inter se se, & in totum. Ad secundum dicitur, quod non frustra genuit natura qualitatem, quam vnum membrum, ex altero membro corrumpit: sed vt ex huiusmodi actione, & mutua qualitatum attemperazione, temperamentum ex coalternatione membrorum resultaret. Ad tertium dicendum, quod neruus, tota vita incalescit à carne, & refrigerat ipsam, sitque ex huiusmodi actione, & coalternatione membrorum, temperamentum quoddam, quod terminus est, ac meta caloris nerui, & frigoris carnis. Nec tamen huiusmodi nerui incalescentia tollit, quin etatis lapsu refrigeretur, ob actionem totius calidi, in totum humidum, quoniam diuersi generis sunt huiusmodi alterationes. Ad quartum, dicendum, Primo, quod vt elementa, quae ad mixtionem veniunt, non se assimilent, propter temperamentum, & formam substantialem, quae ipsa necit, continet, & componit: ita membra contraria, non se conficiunt, tum propter convenientiam temperamenti, quod ex omni contraoperantia consurgit, tum ob vnitatem animae, quae omnibus membris, quibus indiget insidens, facit vt sibi mutuo seruiant, & potius sint sibi adiumento, quam detrimento. Quanuis autem vnitās animae, & temperamenti, haec beneficia impendant, corpori tamen corruptibili, & defeturo, ipsa largiuntur: cui fuit satis, si per aetatum decursum, eiusmodi actio, & corruptio, quae pendet ex contrarijs nos componentibus, retardetur. Dicendum secundo, quod non omne passum, integre assimilari potest agenti, sol enim aërem nubilum tota die illustrans, & eius opacitatem tandem superans, licet quantum potest, ipsum illustret, non prorsus assimilat: est enim sol ipse, aëre illustrato longe lucidior. Vt ergo nubilus aër, non potest ex sole semper agente, in maiorem lucem assurgere: sic nostri corporis membra, contraria cum sint, tota vita paulatim se alterant, nec apta sunt, integram similitudinem inuicem assumere: ita enim caro, verteretur in os, & hoc rursus in carnem, quod non fit:

Sed caro ossi proxima, siccior fit, & frigidior: & os, ex carnis vicinitate mollior, ac calidior, quam si carne destitueretur. Nec obstat, quod si partem caloris carnis, adimere cœpit os, ipsius actio intercipi nequit: quoniam minus renitetur vltiori infrigidationi, caro ex parte infrigidata, quam prorsus calida. Non obstat (inquam) nam & illustratus aer, minus reluctatur, vltiori illustrationi, quam nubilus: non tamen ampliore a sole recipit lucem. Quod si instes, aërem esse incapacem, maioris lucis, carnem vero capacem maioris frigoris: ad temperamenti, & animæ vnitatem est recurrendum, item & ad perpetuam cōseruationem, quam membra habent, ex continuâ nutritione; per quam reparantur, talia qualia fuerunt absumpta: & ex perpeti cordis influxu, qui sine intermissione impedit, ne membra à sua natura labantur, & quæ modice iam lapsa sunt, prompte reducit. Vt enim sol, plantas calidas, ac frigidās, eisdem radijs tuetur: ita cor omnium membrorum temperaturas. Hinc pendet solutio, cuiusdam de cordis neruo dubitationis, cur scilicet lapsa calido non ægrotet, siquidem calidior semper reperitur, quacumque alia corporis parte: soluitur enim, quoniā neruus cordis, licet plurimū caloris assumat, nō amittit temperiē, ex cōmitione elementorum, sibi vt parti similari impartitā: sed potius eam aëtuat, & calore suo tuetur cor. Præter caloris autē mensurā, neruo necessariā huiusmodi aëtuatiōni, vt pars similis est: vltiorē calorem, & perfectiōnē, ex naturæ instituto, & ordinatione sibi assumit neruus, vt partem organicam (cor nempe) constituit. Ex priori etenim temperie, alimentum sibi assimilāt, & neruum facit, qui pars similis est: ex vltiori vero perfectiōne, cordi vt pars est instrumentalis vnitur, & fit utilis: tantum abest, vt laboret calida aliqua intemperie, qua laboraret, quiuis alter neruus corporis, qui vel dimidiū caloris acciperet: quoniam deesset sibi, naturæ institutum, organi compositio, & vltior perfectio, quæ cordi adsunt secundum naturam. Ad Quintum dicitur, quod tam inter temperata, quam inter intemperata membra, reperitur actio mutua. Inter temperata quidem reperitur actio priuatiua, qua se tuentur, & non permittuntur in similes lapsus ferri, vt diximus. Est etiam inter ipsa, leuis actio positiua naturalis, & indolens, ex qua temperamentum per coalternationem gignitur: per quam etiam, vbi iam genitum est seruatur. Inter intemperata etiā membra, mutua est actio: interdum maior, aliās minor, pro ratione contrarietatis. Minorem enim contrarietatem, interdum intercedere, inter membra intemperata, quam inter temperata constat: quoniam magis distat temperatum cor, à temperato iecore: quam frigidissimum cor, à iecore calidissimo. Magis quoque dissidentia sunt, cor temperatum, & cerebrum temperatum: quam cor frigidissimum, & cerebrum calidissimum: quoniam (vt scribit Galenus, libro artis Medicinalis, capite vicesimo octauo) vtrumque extiterit cor natura frigidius, multo calidiorē temperaturā possidebit calidissimo cerebro. Quod vero nō se cōpatiātur, nec simul stare possint diutius, cor calidū & iecur frigidū, vt obieciatur (quoniā si vnā partē frigoris, corrumpit cor calidum de iecore frigido: in duplo tē-

pore

pore alias duas corrūpet, fietq; prorsus calidū) nō recte colligit. Primo, ob contrariā actionem, iecoris frigidū, in calidum cor, ex qua, ad temperamentum per coalternationem vtriusq; est deueniendum. Secundo, quoniam licet qualitatum exorbitantiæ, per mutuam actionem decrescant, & castigentur: restat temperametum radicale, & substantiale, ex elementorum compositione constans, quod non permutatur qualitatum actione, sed substantiæ contrariæ diutina appositione, & conuersione. Ad id vero, quod de corde frigido, & calido iecore dubitabatur, dicendum est, quod iecur frigidum, infrigidare potest cor calidum, & ab eodem calefieri: calidum tamen iecur, non potest calfacere cor frigidum, nec ab eo infrigidari: quoniam minus, in magis tale, agere est impossibile. Potest tamen vtrumlibet ipsorum, emendare intemperamentum totius corporis, ab alterutro pendentem. Nam ad exactum temperamentum, & integram corporis salubritatem, calor & humiditas iecoris, & cordis, certa quadam mensura, transmitti in corpus debent: ex corde plus caloris, & minus humiditatis: & ex iecore plus humiditatis, & minus caloris: quoniam cor, fons est, & origo caloris, sicut iecur, humiditatis nutrimentalis. Si ergo cor frigidum, vno fere gradu deficiat, quoniam minorem sanguinis, & spirituum quantitatem gignit, & ad corpus transmittit, quam foret ex vsu: emendari potest, à iecore plus sanguinis transmittente, ad proportionem eius, qui ex corde defecit. Nam si mensura caloris, & humiditatis, ad medium totius corporis temperamentum creandum, corpori transmittitur: siue à iecore, siue à corde, maior, aut minor portio procedat: dum tamen magis, aut minus quam opus sit, non feratur ex vtroq; totius corporis habitus temperamentum, minime peruertetur. Potest ergo iecur calidum, corpus quod minus caloris, è corde frigido suscepit, ad temperiem deducere: & cor frigidum, caloris immoderatiā, quam iecur calidum, in corpus transmissit temperare. Potest etiam iecur calidum (tum actione sua priuatiua, tum appulsu ad cor calidi sanguinis, & apti inflāmari) impedire, ne vltius cor ipsum ad frigus labatur: & à corde frigido iuuari, ne ita incalescat, ac incalesceret, & accenderetur si cordi temperato, aut calido iungeretur. Cor vero, quantumuis frigidum, verè à calidissimo iecore incalescere: aut iecur, à corde infrigidari, ex ijs est quæ fieri nequeunt. Nec obstat, quod si calor iecoris (verbi gratia) sit vt sex, frigiditas vero vt duo, & calor cordis vt septem, frigiditas vero vt vnum: necessaria quibusdam videatur, cordis ab hepate cal factio, & hepatis infrigidatio: ob rationē acutā magis, quam verā, ac vtilem. Nam eo (inquiūt) casu, maior est proportio calidi hepatis, ad frigus cordis, quam calidi cordis, ad hepatis frigus: hæc enim est tripla superparties septimas, putā septenarij ad binarium: illa vero est sextupla, senarij scilicet ad vnitatem: potest autem cor, ex proportione quæ minor est, frigus hepatis, sua caliditate minuere: multo igitur magis poterit iecur, ex maiori proportione, cordis frigus remittere. Huic vero dubitationi dicendum, quod nos docuimus, libro de elementis, capite de reactione, vim agendi, non resultare ex proportione numerorum, sed ex contrarietate. Simul etiam docuimus,

N 5 calorem

calorem, ac frigus, in gradibus implentibus latitudinem, aut infra, contraria non esse, sed amica, & cohabitantia. Quare iecur sexto gradu calidum, non erit contrarium, cordi in eum frigoris gradum habenti: hunc enim, & alterum, secum admittit, donec latitudo impleatur. Si ergo deest contrarietas, quantumvis proportio numerorum sit maior, omnis necessario deerit actio. Nec obstat etiam, quod Galenus, libro artis medicinalis, cap. 41. non minus frigidum cor, obtundere posse hepatis calorem, quam calidum, frigiditatem tradidit, in hæc verba. Nam quæ ex corde caliditas originem habet, potest obtundere, eam quæ ab hepate nascitur frigiditatem: sicuti & frigiditas caliditatem. Siccitatem vero, non potest humidius cor, ad contrarium habitum transferre. Media vero inter has quæ dictæ sunt, ea quæ ab hepate humiditas oritur: magis enim à cordis siccitate superatur, quam siccitas ab humiditate, minus autem caliditate, adhuc vero multo minus frigiditate: hæc enim, inter omnes qualitates quæ ab hepate eueniunt, facillimè vincitur. Non obstat (inquam) nam Galenus non loquitur, de actione cordis in iecur, nec iecoris in cor: sed de actione utriusque, in corpus vniuersum. De qua (inquit) quod caliditas, aut frigiditas, quæ ex corde in corpus procedit, potest obtundere calorem, aut frigiditatem, quæ ab hepate procedit in corpus: ad modum scilicet interpretatum, nimirum quod corpus nostrum, ad exactam totius habitus temperiem, requirit certam mensuram caloris, & humiditatis cordis, & certam quandam caloris, & humiditatis iecoris: in qua mensura, vnus excessus obtunditur, & corrigitur per defectum alterius, aut per contrarium excessum. Sed quare si ita est, non potest similiter excessus siccitatis iecoris, ab excessu humiditatis cordis, perinde ac reliquæ intemperantiæ corrigi? Dicendum, quod iecur siccum, exiguum sanguinem gignit, quia destituitur humiditate, quæ maxime facit ad sanguinis generationem, & quoniam ex chilo attrahit partem siccam sibi similem, quæ inepta est, ut in sanguinem vertatur: quam insuper ob innatam siccitatem, magis exsiccat, & absorbet. Neesse ergo est, ut iecur siccum, sanguinis sit paucissimi. Paucum vero sanguinem gignens iecur, paucum mittit in corpus, eumque sicciorem. Ex paucis autem sanguine, atque sicciore, pauca siccioreque caro proueniet. Non potest autem siccitas, ex sanguinis & carnis paucitate pendens, emendari, sine sanguinis vbertate, ex qua plus carnis gignatur. Cor vero, quantumlibet humidius fiat, sanguinem augere non potest, nec humectare: illud quidem, quoniam cor nullum sanguinem gignit, sed in iecore genitum alterat: hoc vero, quoniam sanguine & iecore siccius est humidum cor, quare non humectabit ipsum. Ad hæc quoniam si corpus humectandum esset ex corde humido, per transmissionem sanguinis arterialis, in sinistro ventriculo efferuescentis, esset humectandum. Huiusmodi vero sanguis (præter id quod pauca membra nutrit, & ex consequenti siccitatem ob penuriam alimenti ortam, corrigere nequit) ob excedentem quem habet calorem, aut exsiccat, aut vix humectare poterit: exemplo aquæ feruentis, quæ prius exsiccat, quam humectet. Hinc patet, quam frustra Forliuensis, siccitatem hepatis, ex humiditate cordis minui posse, & rursus in temperiem

perduci

perduci, affirmet. Quod probat hoc modo. Minus exsiccat iecur, à corde humido, quam à temperato, aliqua ergo mensura, minus exsiccat: quantumvis autem parua ea mensura existat, potest iecur sicci, minori interuallo à temperato distare: ergo per eam paruam mensuram, cor humidum sufficiet, iecur siccum ad mediam temperiem deducere. At nugax est hæc obloquutio, nam iecur siccum, ab omni corde exsiccat, etiam humidissimo: est enim humidum cor, siccius iecore sicco: quanquam ergo minus à corde sicco, quam à temperato exsiccet, ab utroque, exsiccabitur: à neutro ergo, ad mediam temperiem reducetur, etiam si minor sit lapsus iecoris per siccum, quam mensura, qua minus à corde temperato, quam ab humido, exsiccat iecur. Accedit, quod tam exigui lapsus, non violant mediam temperiem: quare iecur, quod siccum esse arbitratur, optimè temperatum est. Non minus errat Iacobus, dum existimat, cor posse siccitatem totius habitus corporis, à sicco iecore pendente, in contrarium vertere, puerili quodam argumento delusus. Cor enim (inquit) tam validè sanguinem ad se trahere potest, ut iecur exhauriat plusquam oportet: quo casu, si sanguinem attractum, per arterias ad musculos, & mēbra, abundanter transmittat pro nutritione, ipsorum siccitatem corriget. Sed contra est primo, quod si iecur siccum est, & pauci sanguinis, non potest cor haurire multum, nec ipsum abundanter ad membra transmittere. Secundo, quia fatuum est cordi iubere, ut pro musculis irrigandis, iecur siccum, & sanguine indigum exhauriat, & iecori ut se ferat exsiccari, & in morbum ex sanguinis defectu ortum pertrahi, pro musculorum & habitus corporis salute. An existimat, vim nos regentem, suo arbitrio, & friuolis argutis, sine nostri commodi prouidentia, atque salute duci?

Iam an mutua actio intercedat cordi, & cerebro, quod quinta dubitatione postremo querebatur, est examinandum. De calfactione cerebri à corde, dubitat nemo, suscipiunt enim à corde meninges (quæ cerebrum vndique obuoluunt, & intersecant) arteriarum multitudinem, spiritu, & sanguine arteriali scaturientem, cuius contactu, necessario incallescere debet cerebrum. Cerebrum quoque, cordi transmittit nervum, suamque vim, & temperamentum, ipsi communicat, inæquali tamen efficacia: tum quoniam cor, multo magis est calidum, quam cerebrum sit frigidum, tum quoniam arterie, quæ à corde mittuntur cerebro, sunt grandiores, & capaciores: nervus vero qui à cerebro cordi distribuitur, exiguus est, & solidior: refrigerabit ergo cor, sed multo minus quam à corde calfiat. Quo autem cerebrum est frigidius, eo plus frigoris ab ipso cordi accedet, ita ut frigidissimum cerebrum, ad extremam sui temperamenti metam constitutum, euidenter cor ipsum refrigeret. Nam si aucto lapsu, frigidus morbo laborat cerebrum, à quo cor leditur (ut monstrat pulsuum mutatio, quam subit apud Galenum, quarto libro de Præfagatione ex pulsibus, capit. 8.) euidenter autem alteratio, antecedit lesionem: ergo ante morbum cerebri frigidum, ad extremum latitudinis sanitatis insuit. Ad hæc principiorum mutuam consensum, & alterationem, sæpe confitetur Galenus, quam sine alterna actione, mente non finges. Aliter


etiam

etiam, temperamentum ex coalternatione partium, nisi principia se alterent, nunquam gignetur. Vt quid ergo Galenus. 8. lib. de Vsu partium, multis rationibus convincere conatur, cerebrum non posse cor refrigerare? Dicendum, quod Galenus in Aristotelem inuebitur, non quoniam cerebrum aliquantisper cor refrigerare tradiderit, sed quoniam solius refrigerij gratia, cerebrum creatum fuisse, scriptum reliquerit. 2. lib. de Partibus animalium, cap. 7. Quare Galenus cum diuinos prope cerebri vsus nonerit, vsus illum refrigerandi cor, infringere & extenuare conatur, non quoniam non sit, sed quoniam alios vsus (in quorum gratiam cerebrum præcipue voluit esse creatum) stabilit, vsu refrigerandi ob eius exiguitatem, reliquorum comparatione spreto. Sunt autem Galeni rationes huiusmodi. Si solius (inquit) refrigerij cordis causa, cerebrum creasset natura, non undique vallasset ipsum, craneo, & menyngibus, impediētibus alterationem aliō peruenire, præsertim per os crassissimum, quod ad cerebri basim est: nec duobus septis, firmis adeo & densis, cor ac cerebrum diremisset, huic quidem cranium totum, illi autem thoracem circumponens: nec cerebrum tam longe à corde locasset, nec collum medium posuisset, quod in animantibus dentes serratos habentibus, & volatilibus, tanta est longitudine, vt cerebrum, paricum pedibus interuallo, à corde faciat distare. Vnde & calcaneū, cordis refrigerandi causa extitisse, similiter dicere posses: siquidem nihil minus frigidum cerebro reperias calcaneum: nec enim ipsius distantia à corde, multo est maior, præsertim in volatilibus: estq; minus difficilis, à calcaneis ad cor additus, & penetratio frigoris: si quidem in solis inferioribus partibus, thorax non est offeus. Quare promptius à calcaneis, ad cor ascendere frigus poterit, quam à cerebro descendere. Vnde & Aristoteles Problemate. 5. quartæ sectionis, cur nuditas pedum, faueat castitati, requirens (inquit) quod frigus coctionē, sui vehementia impedit: & caloris ad intimā collectionem, quæ coitum citare solet, perturbat. Nō constaret præterea cerebrum, tam admiranda structura, & compositione: si enim solius refrigerationis causa extitisset, sufficeret velut desidem, & informem spongiam, ipsum affirmasse. Nec sensus omnes è cerebro suspendisset, & prope locasset, oculos, aures, nasum, & linguā, nisi istiusmodi sensoria, aliud ab ipso, quam frigus acciperent. Quod præterea cordi refrigerando est comparatum, id ceu fons refrigerationis, propinqua omnia magis refrigerabit: at nec sensus circumpositi, eam refrigerationem, aut patiuntur, aut requirunt: cum tamen plures, & maiores ad sensum, nervos, & cerebri portiones, quam cor, sensoria recipiant: ergo aliorum vsuum gratia, cerebrum creatum est. Superflue præterea cerebrum, cordi tantum refrigerando, formasset natura, cum perpetua respiratione temperetur, qualitate scilicet frigida, per inspirationē ipsi suppeditata, & feruente fuligine ab ipso purgata per expirationes: promptius autem, & maiori compendio erat ipsi, asperam arteriam creare latiore, & frigidi aëris magis capace, si pluri frigore cordi erat opus, quam cerebri tantæ molis dispendio, & superflua procreatione vti. Accedit, quod cerebrum calidum semper est, ex spirituum in ipso contentorum

abundantia,

abundantia, & ex vicinitate tenuis menyngis obuoluentis, & interfecantis cerebrum: hæc enim venas, & arterias plures habet, abundantem sanguinem, & spiritum, & pulsationem perpetuam. Quod etiam experientia tactus, in animantibus, quæ aut viua, aut recens mortua dissecantur, videre est: in quibus cerebrum ipsum, valde calens depræhenditur, vt & in hoc Aristotele (qui cerebrum tactu frigidum sentiri scribit. 3. lib. de Historia animalium, cap. 3.) sensui contradicere iudicemus. Euentus etiam, & curatio eorum, qui per fracta caluaria curandos suscipimus, cerebrum valde calere declarat: offenduntur enim ac perfrigerantur ab aëre æstiuo, quare cito foueri, & obtegi postulant. Quæ sane rationes, exactè probant, non in solum vsu refrigerandi cor, cerebrum fuisse creatum, sed in alios vsus præstantiores: quibus admissis, adijci etiā potest, minus præcipuus vsus refrigerandi cor. Quauis enim ad tactum caleat cerebrū, cordis cōparatione friget: & quoniam præcipuū mēbrum est, omnia membra alterandi vim sortitur, quod calcaneo neutiquam contingere potest. Quæ ergo cor per neruum tangit, refrigerabit ipsum: quæ vero spiritum, & sanguinem feruentem, à corde prodeuntem excipit, ipsum etiam refrigerat, & castigat: ne sensationes fiant in sensorijs turbulentiæ. Quod notauit Auic. 1. 3. tact. 1. cap. 2. in hæc verba. Cerebri vero substantia, creata est frigida, & humida: frigida quidem, ne ipsum inflammaret multitudo, quæ ei aduenit, ex fortitudinibus motuum neruorum, & passionibus sensuum, & motibus spiritus, in alterationibus imaginatiuis, & cogitatiuis, & memorialibus, & vt eo temperetur spiritus à corde egrediens, & ad ipsum penetrans, in duabus venis ascenditibus ab eo ad ipsum. & c.

An viuientia omnia sint calida, & humida. Et an temperatus homo, magis accedat calori extremo, quam frigori extremo. C A P. XI.



I X I M V S hominis temperati cutem, ad pondus temperatam esse: & reliqua eius membra, quædam calidiora, & alia frigidiora, eatenus euasisse, vt calida frigidis, & humida siccis compensata, corpus ex omnium compositione constans, nec calidum, nec frigidum, humidū, aut siccum dici possit, sed verè, exacte, ac ad pondus, quantum sensus assequi valet temperatum. In intemperato vero homine, dicta membrorum compensatio, nō est equalis: sed in quibusdam vincunt calida, in alijs frigida membra, humida, aut sicca: totq; intemperatorum corporum genera redduntur, quot sunt qualitatum vincuntium, ac superantium genera: tantusq; est intemperamenti gradus, ac intensio, quantus est victoriæ numerus, aut gradus. Hinc octo intemperatorum genera consurgunt, in quorum medio, ac veluti centro, temperatum corpus est, ita vt corpus, in quo frigida membra vincunt, frigidum respectu temperati sit: & eiusdem respectu calidum, vbi calida superant

rant habeatur. Ex quo duplex conuincitur error, primus philosophorum quorundam, qui hominem, & omnia pariter uiuentia, calida & humida esse uolunt, ut auctor est Galenus. 3. lib. de simpl. med. fac. cap. 6. sequentibus freti rationibus. Prima, quod uita consistit in calido & humido. Secunda, quod uiuens omne alitur, alitio uero functio est, à calore permutante, & uicente: in omnibus ergo uincit calor. Tertia, uiuimus uitali calore, hic autem humido alitur: ergo calidum atque humidum in commistione uiuentium, superat frigus, atque siccitas. Quarta, omne quod uiuit, ex materia fit prius concocta: omnis autem concoctio, calore perficitur, unde semen calidum & humidum statuitur à Galeno. 1. lib. de sanit. tuenda: è semine ergo constans homo, calidus atque humidus erit. Quinta, uita (ut scribit Aristoteles, libro de morte & uita) est permansio calidi, sicut mors, caloris extinctio, aut marcor. Unde libro de longitudine & breuitate uita, cap. 2. ita scripserat. Intelligendum enim est, animal natura humidum, calidumque esse, cuiusmodi quoque uita ipsa habeatur: at senectus, & quod emortuum est, obarescit, algetque. Libro etiam de motu animalium dixit, quod homo recto stat corpore, eo quod plurimo est calore, & quod erigi non posset, nisi humore redundaret. Hanc philosophorum sententiam, extendit etiam gentilis, ad mista inanimata: nam omne mistum (inquit) mistione prouenit, mistio autem non fit, nisi à calore superante, frigus enim immobilitat. Adhuc si in misto aliquo uinceret frigus, illius naturalis corruptio, magis pederet ex corruptione frigoris, quam caloris: quod non fit, simplici enim generationi mistorum, contrarium maxime comune putrefactio est, ut scribit Aristoteles. 4. lib. Meteororum, cap. 1. putrefactio uero, natiui calidi, non autem frigidi, est corruptio. In eadem etiam (quoad hominis attinet temperamentum) sententiam iuisse Galenus uidetur, cum secundo libro de simpl. medicament. facult. cap. 22. animal scripsit esse calidum per exuperantiam. Et eodem libro, cap. 3. dixerat. Quin & hominem non absolute calidum ut ignem, sed exuperantia calidum diximus. Et tertio libro, cap. 5. ita scribit. Nam totius nature respectu, bifariam horum unumquodque dicitur, partim absolute, partim per exuperantiam. Absolute quidem unumquodque elementorum: homo uero equus & bos, per exuperantiam. Quod & cap. 6. repetit, in hac uerba. Simpliciter enim ignis calidus est, per exuperantiam homo.

Hac uero comenta, atque sophismata (inquit Galenus, primo libro de tempera-
mentis, cap. 5.) illi uitio succedunt, quod utiq; non recte definitum est de calidi signi-
ficationibus, sed duobus tantum modis dici id putatum: quorum altero, significetur
quod syncerum, immistum, & simplex est: altero, quod in mistione cum suo contra-
rio, id superat. Quod autem alteram temperiem, cum altera conferentes, subinde al-
teram earum calidam, pro eo quod est calidiorum pronunciamus, id non meminimus.
Atqui ad eum modum, animantia ueteribus, calida & humida sunt dicta, non pro-
priae temperaturae gratia, & sermone absoluto: immo ad stirpes, & demortua colla-
ta. Quippe demortuis & stirpibus, animantia calidiora, humidioraque sunt. Quae
Galeni

Galeni uerba, antiquorum opinionem declarant, dicentium animalia calida esse &
humida: non absoluto sermone, sed collatione facta ad se ipsa demortua, debere intel-
ligi. Viuens enim calore uiuit, & suas obit functiones, tanquam idoneo natura in-
strumento, quod diuersimode limitatur, determinatur, ac corrigitur, à frigore, sibi
comisto, ita ut interdum superet ipsum, aliàs ab ipso superetur, pro uniuscuiusque ui-
uentis natura. Siue tamen superas, siue superatus sit, calor semper est agens, ut scri-
bit Auerrhoius. 3. coll. cap. 21. frigus nanque nature opera, uix ingreditur, nisi per
accides, ob idque passiuus potius, quam actiuus ipsum annumerat Aristoteles. 4. lib. Me-
teororum, cap. 5. Merito igitur, si solus calor, aut exiguus, aut maior, auctor est tum na-
ture, tum uita operationum: uiuentia, calida atque humida, dicuntur antiquis, com-
paratione ad se ipsa demortua, quoniam calore uiuunt, & operantur, calor uero in
humido ipso seruatur, sicut in morte, & senio morti proximo, extinguitur, obarescit,
& alget, ut è libro Aristotelis, de longitudine & breuitate uita, retulimus. Si uero
uniuersae substantiae commistionem, & elementorum proportionem, aut effectum
quod in nos exercent spectemus: multa uiuentia frigida sunt, alia etiam sicca, non
modo in obarescente, algidaque, senectute, uerum omni aetate, & toto suo genere. Quod
Galenus (secus sentientes reprehendens) aduertit. 3. lib. de simpl. med. facult. cap. 6.
ubi ita scribit. Dicant igitur, si lubet, papauer, madragoram, cicutam, salamandram,
esse calida: uerum nemo id dicit, sed uelut uno ore omnes esse frigida prouocant.
Atqui animal est salamandra, quod & nutritur, & crescit, & mouetur, quae sane, ca-
lido in mistura uicente, prouenire asserunt. Inter nostri etiam corporis membra, quae
exanguia habentur, ut os, & neruus, aperte frigida sunt atque sicca. Accedit etiam fir-
missimum aliud argumentum, nam animantia homine frigidiora, aut sicciora, essent etiam
ipso temperatiora, si uiuens omne per calidum, atque humidum, à medio ponderali
latur: fietque ut apes, formicae, canes, & scarabei, pisces etiam, & salamandra, no-
biliori donentur temperamento, & ex consequenti nobiliori forma, & functione:
temperatura etiam melancholica, tum reliquis omnibus, tum etiam temperata praestaret:
quae aperte, tum falsa, tum impossibilia sunt. Huc accedunt omnia argumenta, quibus
supra, temperatum corpus ad sensum, dari probabimus. Nec obstat, quae in con-
trarium afferbatur. Quoniam uita omnis, in calido & humido consistere dicitur,
hoc est in partibus, in quibus tantum est calidi & humidum, quantum uita ratio exci-
git: calore nanque uiuunt, aluntur, & uniuersum operantur uiuentia, quantumuis fri-
gus in commistione calorem excedat, quoniam frigore non utitur anima, sed calore ad suas
functiones: ob idque calor uincens dicitur, non quoniam frigus non excedat ipsum, sed
quoniam eiusmodi opera non ingreditur nisi calor. Quod concoctum insuper est, non ne-
cessario calet, sed simile coquenti redditur: sique coquens ad frigidum inclinatur, materia
etiam concocta per similem alterationem consequetur, exemplo lactis frigidi, à fri-
gidis mammillarum glandulis coctione geniti. Semen uero calidum est, quoniam ul-
tra aqueam substantiam, spiritu plenum est, quo expirascens, seminaria membra fe-
re

re omnia, frigida sunt. Mixturem vero miscibilium (ut gentili occurramus) non solum operatur calor, sed alia etiam qualitates, & ipsa elementorum corpora. Praeterea quod non est opus, ut calor frigus euincat, sed ut commiscere & diuidere queat: quod dum frigore est inferior, efficere promptissime potest. Mixture vero corruptio, ad corruptionem cuiusque qualitatis sequitur, violenta quidem, ad corruptionem frigoris, ut cum caro comburitur, aut os, naturalis vero ad corruptionem, & separationem innati calidi, quae vetustate & senio cuiusque mixti contingit, ut Aristoteles docet. 4. lib. Meteororum, cap. 1. Calor enim, etate humidam absumit, cuius etiam defectu deficit, deficiente scilicet suo subiecto: frigus vero, se ipsum non destruit, quare suapte sponte non corrumpitur, nisi violentia accedat. Loca vero Galeni, quae animal, aut hominem, per exuperantiam calere adstruunt, non de omni, sed de calida temperatura praedito, aut bilioso, sunt audienda: calidi enim per exuperantiam, exempla tradere studet. Loca vero Aristotelis, quibus humanam temperaturam, calidam atque humidam statuit, aut comparatione ad demortua, cum Galeno interpretemur, aut de potentia, & efficacia operandi (quam actiuitatem vocat) ea intelligamus. Interdum enim calidum appellari, id in quo calor vincit secundum efficaciam operis, scripsit Galenus, libro aduersus Lycum, cap. 8. Maior autem efficacia caloris, quam frigoris, pendet tum ex qualitatis natura, quae suapte, sponte est efficacior, tum & magis, quoniam ipso, non autem frigore, utitur anima ad obeundas vitae functiones. Isacius vero, cap. 10. vniuersalium, hominem secundo gradu calidum statuens, commodam interpretationem recipere posse non videtur, nisi de sola influente temperie loquatur.

Aliud etiam iuniorum erratum, ex tradita doctrina exploditur, qui quauis admitterent mixta plura frigida esse, & alia sicca: viuientia quoque, animalia, & homines quidam frigere, aut siccescere respectu medijs ponderalis: sicut contra alios calere, aut humere eiusdem respectu statuunt: non tamen credunt, in harum medio, ac veluti centro, temperatam naturam sedere. Forliuensis enim, iustitiam hominis temperaturam, magis accedere frigori ac siccitati extremae, quam contrarijs qualitibus autumat. Quoniam citius interimunt morbi frigidi, apoplexia, sopor, & conuulsio, quam febres: ergo propiores sumus frigori extremo, nos scilicet interimenti, quam extremo calori. Ob idque, Auic. 4. 1. cap. 2. maius periculum timet ex refrigeratione, quam ex calfactione: calor enim, qualitas est frigore magis familiaris, & amica, quare maiorem lapsum versus calorem, quam versus frigus tollerare quimus: & ex consequenti, minor est latitudo frigoris, quam caloris, propioresque sumus extremo frigori, quam calori extremo. Intemperatum praeterea frigus, innatum calorem debilitat, eique aduersatur, tum quia calor est, tum quia est naturalis: intemperatum vero calor, innatum calidum, eodem tantum reddit imbecillioem, quod naturalis est, non autem quod calor est: ergo magis labi potest temperatus homo, versus calorem, quam versus frigus: & ex consequenti, vicinior est frigori extremo, quam calori extremo. Alij vero contra sentiunt, iustitiale hominis temperamentum, propius calori extremo, quam extremo

tremo frigori accedere, magisque & citius, temperatum hominem laedi ex lapsu calido, quam frigido, quoniam humana (inquiunt) natura, ad calidum magis, quam ad frigidum vergit: simile autem facile leditur a simili, & inuatur a contrario, ergo citius leditur ex calore, quam ex frigore, si ad utrumlibet aequaliter labatur. Quinto praeterea libro de simpl. med. fac. cap. ultimo, calidum, aut frigidum primi gradus, definit esse, quod nos alterat ineuidenter: secundi vero, quod id euidenter efficit: calor autem est efficacior, & actiuior frigore, ergo angustiores eiusmodi gradus habebit, frigus vero latiores & ampliores: minor enim caloris, quam frigoris mensura, sufficit tactum mouere, tum euidenti, tum ineuidenti alteratione: & ex consequenti primus caloris gradus, est primo frigoris gradu angustior, & secundus secundo: quam autem rationem habent, primus ad primum, & secundus ad secundum, eandem habeant par est, tertius ad tertium, & quartus ad quartum. Fit ergo necessarium, ut tota caloris latitudo, sit angustior, tota latitudine frigoris, & ex consequenti, magis distat temperatus homo, ab extremo frigore, per ampliore scilicet latitudine, quam ab extremo calore per angustiore.

Errant tamen utriusque, nam temperatus homo ad iustitiam (quantum sensu possumus iudicare) in medio est qualitatum elementalium, quae verè sunt extremae, & aequalem latitudinem sortiuntur: gradus tamen ipsarum non sunt aequales, sed primus, & secundus caloris gradus est angustior, tertius vero & quartus amplissimus: contra vero in frigore res habet, primus enim & secundus gradus, primo & secundo caloris sunt ampliores: tertius vero & quartus, angustiores suis comparibus: qualitatum vero passiuarum (quoniam parum actiuae sunt, & difficile sensum mouent) primus atque secundus gradus sunt latissimi, angustissimi vero tertius & quartus: ita ut quidam totam humiditatis latitudinem, in duos tantum gradus partiantur, quoniam existimant humidum adeo esse agendo inefficax, ut nec ledere, nec interire mere possit, quae duo, tertio atque quarto gradui conuenire prodidit Galenus, quinto libro de simplicium medicamentorum facultatibus, capite ultimo. Hoc voluit Ioannes cognomento Mesue, capite de psilio, in haec verba. Non eleuatur res frigida iuncta cum humiditate ultra secundum gradum, & dixit Galenus, humida res non transgreditur metam usque ad quam potest regimen hominis extendi, propter quod, non inuenimus humidum esse causam doloris, in quantum humidum, sed in quantum potest esse materia, quae quantitate sua, mouetur ad continuitatis solutionem. Haec Mesue. Siccitas praeterea, nisi iungatur calido deurete (ob imbecillitatem actionis) non excedit tertium gradum, ut scribit Galenus. 5. lib. de simpl. medic. facult. cap. ultimo, ergo humiditas (quae multo debilior & tardior siccitate est, apud Galenum. 7. libro de simpl. medic. facult. capite de zinzibere) non videtur excedere posse secundum gradum: nam calore iuuari non potest, frigore autem parum, & tractu temporis iuuabitur, vna vero applicatione iuuare nequibit. Quauis ergo omnium quatuor qualitatum latitudo sit aequalis, partitio tamen earum per gradus, inaequalis est,


est, quoniam in ea partitione, non queritur portio qualitatum in se, sed in ordine ad effectum quem in nostro corpore operatur. Quare quo qualitas est inefficacior, aut ex sui natura, aut ob sibi coniunctam qualitatem inefficacior, vel ob crassitudinem substantiæ, eo in pauciores, & pluris latitudinis gradus partitur: quoniam ob di-
 Etam inefficaciam, eæ qualitates non alterant nos ultra eum gradum. Sic siccitas si iungatur calido vrenti, ad quartum accedit gradum nos alterantium: si iungatur frigori, non excedit tertium, ob minorem frigoris coniuncti efficaciam, ut in omphatio, ybū, alamine, balauſtio, & galla omphacitide aduertit Galenus, quinto libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. ultimo. Humiditas vero quia valde est sua natura inefficax, nec calori, nec frigori iuncta, secundum gradum videtur excedere: nec enim aliunde, quam ex huiusmodi humiditatis inefficacia, pendere potest: quod aqua, & aer, aliæq; humectantia, non humectent corpora nostra ultra gradum secundū. Friuole etenim sunt duæ aliæ causæ, quas addit conciliator, differentia 138. Prima, quoniam naturā humanā, declinat a temperato ad pondus per humidū duobus gradibus, ergo humidum in quarto, nō potest alterare nos nisi per alios duos gradus. Secunda, quod humidum medicamēti, iunctū humido hominis, valde obtundit calorem actuāntem, ergo difficillimē actuabitur: quod autem difficilē actuatur, debilissimē operatur, ergo sat est si ad secundum gradum nos humectet. Contra vero est, quod statuimus temperatum corpus in æquilibrio esse qualitatum contrariarum, quantum sensus assequitur: non ergo est humida in secundo natura humana. Secundo, nam qui naturā humanā a medio credunt declinare, non modo humidam, verum etiā secundo gradu calidam statuunt, quod & ipse credit conciliator: quare si humida ob id duobus tantū gradibus nos alterant, similiter facient calida: hæc vero deurunt & crustā in nobis molliūtur, quæ quarto gradui cōueniunt. Tercio, nam sicca medicamenta, alterarent nos ultra quartum gradum, per duos alios gradus, per quos nostrum corpus in humidum labitur, nullus autem ultra quartum datur gradus. Secunda quoque ratio ridicula est, humidum enim medicamēti, non potest iungi humido hominis, ut calidum obtundat, nisi prius sit actuatum, ex utroque enim agens vnum, calidum obtundens, debet consurgere: prius ergo actuatur, quam actuātionem impediatur: prius etiam habet temperamentum actuāle, quam actuatur, quæ secum pugnantia sunt. Omnium ergo quatuor qualitatum latitudo, tam in mistis animatis, quam in inanimatis, æqualis est: utpotē quæ ex summis elementorum, qui ad mīstionem venerunt qualitibus inuicem refractis ortum ducunt: in qua tantum vnius contrarij gignitur, quantum demittitur de alio, ita ut vtriusque contrarij, summa illa latitudo, plena sit semper. Quoniam autem æqualis sit ipsarum latitudo, inæqualis est efficacia: eam enim humiditas habet debilissimam, ita ut raro corpus nostrum alterare queat ultra secundum gradum, in vna scilicet applicatione: nam tractu temporis & nimia mora, viuētia omnia interire possunt ex cuiusque è quatuor qualitibus excessu, ut

su, ut autor est Galenus ad initium libri de marasmo. Si humiditas etiam iungatur formæ nobis aduersæ, quæ ea utatur, ut instrumento nos interimendi, efficacissima fit, ob sibi adiunctam formam & venenositatem: ut ostenditur exemplo demorsi a serpente, cuius membra defluebant tæbe: & in peste quæ in cranone vigit, in qua status austrinus & venenosus ossa denudabat, ut memoriæ mandauit Hippocrates 3. lib. Epidemiarum, parte. 3. Quod vero magis ad hanc, quam ad illam qualitatem temperatus homo labi possit, tum ex qualitatum efficacia, tum etiam ex maiori, aut minori familiaritate qualitatum ad nos, aut contrarietate nasci videtur: ad calidum enim, minor sufficet nos interimere lapsus, quam ad frigidum, quoniam calor multo est frigore efficacior: contra vero, ob familiaritatis defectum, minus de frigore, quam de calore sustinebit natura, est enim calor qualitas familiaris, & amica magis. Quare in huiusmodi ambiguitate tenendum est, quod in lapsu naturali, & intra latitudinem sanitatis consistente, magis labi potest ad calorem ob dictam familiaritatem: in lapsu vero præter naturam, & extra sanitatis limina, magis labitur ad frigus: quoniam ubi calor præternaturam iam est, & cœpit lædere, actiuior est, & minori ob id sui portione, nos internecare valebit.

De numero complexionum intemperatarum,

& utrum intemperatura simplex detur.

C A P. XII.



In omnium rerum genere (ut scribit Galenus 6. lib. de sani. tuē da, cap. 1.) quod optimū est, id vnū est, vitiosa verò plurima sunt. Sic in genere temperamentorum, temperata natura quam pinximus, vna est, eaq; optima, vitiosæ verò plures: quæ tamen ad eam (ceu ad regulam quādam & velut Polycleti statuā) referuntur. Non sat autē est, vitiosas plures esse intelligere, nisi exactū ipsarum numerum teneamus: quem sic obtinebimus. Ex calidi, frigidi, humidi & sicci mīstura, omnia fiunt temperamenta, è quibus temperata natura, quantum sensu assequi licet, in horum æquilibrio consistit: sicut intemperatæ ex alterutris horum excessu consurgunt. Quare tot esse intemperatas naturas constat, quot sunt horum quatuor excessuū possibiles exorbitantiæ & copulæ. Exorbitat autem vna quæuis è quatuor qualitibus, aut sola, aut cum altera copulata, ita ut intemperatæ nature octo sint, quatuor simplices, calida tantū, frigida tantū, humida tantū, & sicca tantum, totidemq; compositæ calida & humida, calida & sicca, frigida & humida, frigida & sicca. Calida enim ac frigida, sicut & humida simul ac sicca, dari nequeunt in eodem subiecto, nisi forte iuxta diuersa membra, aut diuersas in vno mēbro partes in æqualem intemperiem constituentes: quod in epialis & hypirys contingit. Et dictis tamen octo intemperiebus, Auerrhoius 2. coll. cap. 1. & ante eum antiquorum

quidam quos reprehendit Galenus. 1. lib. de temperamentis, cap. 3. quatuor simplices intemperaturas de medio tollere conatur. Primo, quonia Aristoteles. 4. lib. Meteororū, cap. 1. ita scribit. Est autem simplex, naturalisq generatio, transmutatio que ab hisce fit potentis, ubi ex subiecta materia, ad quamq naturā rationem obtinent, ea autē sunt passiuæ illæ potentiæ, quas diximus. E quibus verbis infert, quod actiuæ qualitates, passiuas ita proportione responderē debent, ut vnius excessus, sine excessu alterius consistere nequeat. Secundo, quonia actiuæ qualitates in ordine ad passiuas, habēt vicē formæ: & passiuæ, vicē materiæ: forma autē & materia, inuicē separata esse nequeunt: ergo quantum additur, aut demitur de actiuis, tantum addi, aut demeri debet de passiuis. Tertio, quantitas innati caloris cuiusq; mixti, respondet quantitati humidi radicalis, quod ostendunt flāma & oleum in lucerna, & inmatum calidū, ac radicale humidum in animantibus: quæ simul aucta sunt in pueritia & adolescentiā, simulq; marcescunt in senectā & naturali morte: vnde impossibile censet aduersus Galenum, dari duo corpora (ut iuuenis & pueri) caliditate paria, si alterū sit humidius. Quarto, omnis intemperies fit superante aliquo elemento, aut humore; humor autem omnis, sicut & quoduis elementū, duplici constat insigni qualitate: nulla ergo intemperies simplex esse quibit. Quinto, qualitates actiuæ generant passiuas, ergo excessus actiuarū, gignet excessum in passiuis. Sexto, calor non potest ab exsiccando absolui, ergo eius excessus, non potest stare cum temperie passiuarū. Septimo, temperamenta omnia, per ætates mutantur, ergo intemperies quæ simplex esse cepit, in quauis ætatis mutatione, variatur iuxta alteram oppositionem in qua temperamentum seruat, & ex consequenti, ex simplici fit duplex.

Galenus vero. 1. lib. de temperamentis, cap. 15. simplices intemperantias dari, sic demonstrat. Datur calor cū humiditate in sanguine: & cum siccitate in bile: ergo datur cū temperamēto passiuarū: magis enim distat extremū, ab extremo, quā a medio. Galeni verba ita habēt. Si nanq; necessariū omnino nō est sicca esse quæ calida sit, sed licet eā & humidā esse, licebit. utiq; & mediā esse: propior nanq; sicca temperaturæ, media est, quā humidā. Frigidā etiā simplicē dari, sequētib; verbis confirmat. Si necesse nō est frigidā temperiē esse humidā, sed licet & sicca eā fieri: manifestū est mediā quoq; esse posse: quippe quæ vicinior humidā est quā sicca. Simili ratione utitur in sicca tantū, & humidā tantū suadēdā. Nō minus efficax & demonstratoria ratio, ex transmutatiōe sanguinei, in pituitosū cōsurgit: fit enim transitus in ipsa, per mediū actiuarū, manēte lapsu in humiditate. Nec valet tergiuersatio barbara, quod id mediū in actiuis, est mediū transitus, aut motus: nō autē mediū formæ. Nā quāuis forma frigoris, aut caloris, aut mediū temperamēti, necessario acquiratur p motū: durare tamē potest forma p motū acquisita, si motus per quā acquiratur sistatur, & causæ insuper eā formā conseruātes applicētur ipsi. Temperatus insuper, tam in actiuis quā in passiuis homo (quē Auerrhoius admittit) potest à valida aliqua causa incallescere, simulq; à causis cōseruātibus impediri, ne in passiuarū oppositione mutetur.

Adhæc

Adhæc, omne quod hominum decreto fieri valet, multo perfectius gignetur à natura, nos vero simplicē intemperatiam humidam paramus, miscendo aquæ feruenti, parum modum glaciæ: & frigidam tantū, miscendo glebæ, tantundē aquæ frigidæ: ergo consultius has intemperaturas cōponet natura. Calidius insuper vnum altero dicitur (ut autor est Gal. 1. lib. Aphorism. com. 15. & lib. 3. de simpl. med. fac. cap. 6.) aut quia quantitate augetur, aut quia qualitate intenditur: ergo manente eadem humiditate, & eadē quoq; calidi quātitate, fieri potest, ut qualitas caloris augeatur, aut minuatur: quod vel aquæ exemplo constat, quæ frigida cum sit, ignis actione primo temperatur, deinceps feruida fit, parum aut nihil quod ad qualitatem attinet exsiccata. Quin in latere, & aqua, equalem caloris gradum reperiri posse, est necessariū: quod etiam in iuuenē, & puero, adstruit Galenus. Humida præterea temperies, non minus pendet ex humido aqueo, & pituitoso, quam ex aëreo, & sanguineo: quāuis autem cum hoc, calidum ad proportionem augeri possit, cum illo tamen calore carente, nequit augeri. His adde, quod quauis variato calore, necessario varietur humiditas, & contra (quod Auerrhoius præterdit) non tamen necessarium est, ut quantum augetur calor supra moderatū, tantundem etiā augeatur humiditas: nec quod quantum humiditas decrescit, tantundem minuatur calor: à pueritia enim in iuuetutem, contemperatur humiditas, non autem calor: consistentibus contemperatur calor, & creuit siccitas: quæ in senibus magis est aucta, quā calor sit imminutus. Adhæc non sufficit quælibet variatio, si exigua sit, in medici considerationem venire: dogma enim sempiternæ passionis (quauis habeat euidētem demonstratiōem) medico qui est artifex sensualis, non consideratur: id enim calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur, & frigidum in quo frigiditas, humidum & siccum, in quibus humiditas & siccitas: quare fieri potest, ut temperamento quis, quod ad actiuas qualitates, calidiori, aut frigidiori sit, quod ad passiuas tamē dignosci nequeat, an siccitas, an humiditas exuperet, fietq; ut medicē loquendo, tale corpus simplicem intemperaturam habere censeatur. Morbose præterea intemperies simplices dantur, & ab ipso etiam Auerrho curantur. 7. lib. coll. cap. 23. sunt autem morbose efficaciores naturalibus, ergo naturales, quæ minorem vim gignendi qualitatem adiunctā sortiuntur, nulla ratione negari possunt. Vnde & ipse Auerrhoius. 2. coll. cap. 1. statim ac Galenum reprehendit, Palinodiā recantat, in hæc verba. Et nos videmus, si nos exiremus ab intentione publica multitudinis medicorum, esset difficile intelligere. Et ideo nos loquimur de hoc nimis. Et adhuc error qui accideret ex hoc in arte est multum paruus, & ideo non facimus hic nouum præceptum. Et in summa nouē ibi vult esse temperaturas, quæ in necessariam medici considerationem veniant, quatuor simplices, & quatuor compositas, vnamq; temperatam in ipsarum medio sitam.

His vero, quæ in cōtrariū pro Auerrho adducebatur, responderē oportet. Nam Aristoteles id quod eliciūt nō somniavit, eius enim sententiā est, ut Aphrodisiēsis interpretatur, quod calidū & frigidū, quoquo modo accepta, nō pmutāt ad generationē

mistorum, nisi quatenus à passiuis qualitatibus, sumunt quandam rationem agendi. Cum enim calidum & frigidum, agunt in humidum & siccum, quadatenus ab ipsis repatiuntur, & propter hanc repassionem, acquirunt ab ipsis quandam rationem agendi, quæ agunt generationem mistorum. Quod verò actiuas qualitates esse passiuarum formas, passiuas autem actiuarum materias scribit, multiplicem sensum habere potest. Falsum etenim est humiditatem esse subiectum caloris: substantiam quoque humidam, calori subijci, de aliqua humida substantia (puta humido radicali) verum est: de pituita verò (quæ supercrescere, & humidam naturam sine caloris cumento efficere potest) non est verum. Humidum quoque radicale (quod est caloris subiectum) quauis varietate suscipiat ex variatione caloris, non tamen quanta est vnius variatio, tanta & alterius, vt diximus. Quauis insuper vnumquodque elementum, duplici constet qualitate, fieri potest vt in misti cōcretionem, vna qualitate vincat, & altera aut vincatur, aut ad medium temperamentum perueniat: nec opus est, vt victoria semper sit penes ambas qualitates. Actiuæ autem, non semper passiuas gignunt, sed cum plurimum creuerunt, quod voluit Auicenna his verbis. Istæ tamē quatuor non diu permanent: caliditas namque maior quam debet, reddit corpus siccius quam oportet: & frigiditas maior quam debet, facit corpus humidius quàm oportet, humiditate extranea: & siccitas maior quàm debet, citò reddit ipsum frigidius quàm oportet: & humiditas maior quam debet, si valde fuerit superflua, velocius reducit ipsum ad frigiditatem, quam siccitas maior: quæ si plurima non fuerit, conseruabit ipsum prolixiori tempore, ad vltimum verò reddit ipsum frigidius quam debet. Quibus verbis patet, quod non ad omnem cumentum actiuarum, sequitur euidentem cumentum in passiuis, nec contra, sed ad cumentum magnum: nec tunc ad proportionem actiuarum augentur passiuæ, quauis aliquam variationem suscipiant. Quod vero simplices intemperies, diu permanere non posse, dixit: scriptum etiam reliquit Galenus. 6. lib. de sanit. tuen. in hæc verba. Sane dictum à nobis in libro de temperamentis est, fieri non posse, vt intemperies quælibet sola diu duret, quādo ipsa sibi ipsi alteram ex necessitate adsciscit, indeque factum, vt plerique medicorum quatuor tantum esse intemperantias, easque cōpositas: simplices verò ne esse quidem, nā et calidam, dum humiditates semper consumit, parere siccitatem: & frigidam, dum nihil absūmit, humoris incremento quodammodo conferre. Eodē modo & sicca per eas ætates, quibus augetur animal, calidius ipsum semper efficere, quibus vero decrescit refrigerare & siccare quidem solidas corporis particulas, congerere vero abundantiam excrementorum. Quibus Galeni verbis constat, simplices intemperies, perpetuò & per omnem ætatem decursum, durare non posse. Ita enim hoc loco, diu nō durare interpretamur, ex 1. lib. de temperamentis, cap. 3. nā ad hunc locum se refert, vbi ita scriptum reliquerat Galenus. Ratio vero horum (scilicet medicorum, qui simplices intemperantias negabāt) non illud efficit, quod nequeat aliquādo in eodē corpore, humidi plus esse quam sicci, & calidi quàm frigidi: sed quod sub eiusmodi statu, durare perpetuo nō possit. Quod er

go diu

go diu non posse durare simplices intemperantias scripsit. 6. de sanit. tuen. idē dictu est, ac quod perpetuo durare non posse dixerat libro de temperamentis, siquidem locus ille, hunc refert & citat. Quod cum non fuerit assequutus Valesius, lib. 1. Controuersiarum, cap. 7. in multiplicem errorem incidit: nam Auicennā à Galeno dissentire facit, cum tamen persimiles vterque sententias tradiderit, vt constat ex locis citatis: item & ex eodē Auic. 1. 3. doct. 4. cap. 1. & 2. Cur enim diuersum sensum intellexerit in Auicenna, cum dixit. Istæ tamen quatuor non diu permanent: ac in Galeno, dum dixit. Fieri non posse vt intemperies quælibet diu duret, nō video. Auicennam de breui aliquo spatio, quo ipsum erroris insimulet interpretatur, Galenum vero, vt ab hoc errore liberet, de permutatione quæ per ætates cōtingit, loquuntū fuisse: nō autē de permutatione natui temperamenti scribit. Quod quā falsum sit, facile intelliget, qui quintū & sextū lib. de sanit. tuen. perlegerit: itē & caput tertium, & quartū, primi libri de temperamentis. Adde rationem, quod excedens qualitas simplicis intemperiei, eiusmodi permutatione in altera oppositione facit, quatenus excedens est, & à temperata exorbitat: ergo seclusa omni ætatum successione, ratione solius intemperanti, & excedentis qualitatis, dicta permutatio continget. Omnis præter ea temperies, latitudinem habet ætatibus respondens, sic enim qui temperatus est, per omnes ætates est temperatus, non quoniam indiuisibili aliquo temperamento sit temperatus, sed quoniam suis coæuis comparatus, temperatus habetur: intemperatus quoque, siue simplici, siue duplici intemperantia, per omnes ætates similiter intemperatus dicitur, quoniam temperato suæ ætatis homini comparatus, intemperatus censetur: malè ergo simplices intemperaturas diu durare non posse, ob ætatum permutationem tradidit. Frigida præterea temperies, ratione intemperanti humefacit, permutatio autem in humidius, eadē cum ætatiua esse nequit, hæc enim in siccus semper alterat. Simplex præterea humida intemperies, ex sola mutatione ætatum, nullam necessario sibi adsciscet qualitatem sociam, nam humidus natus infans, vt quid ex ætate calidus, aut frigidus fiat non dicet, per vniuersam enim pueritiam, pubertatem & iuuentam, eundē (quo ad ætatum rationem attinet) seruari caloris gradum, autor est Galenus: de translatione ergo temperamenti, à qualitate excedenti, quæ vim habet producenti qualitatem alteram, & non de ætatis permutatione intelligendus est Galenus, nullā siquidem temperaturam excepit, dum vnamquælibet, sola diu durare non posse adstruxit. Nam intemperanti ratione habita, citra ætatis successione, calida intemperies exsiccatur, humorem absūmendo: frigida humefacit, tum quoniam minus absūmit, tum quia per incoctionem plus gignit crudi recrementi: humida frigefacit, quia calorem sopit, & obruit, ac penè suffocat: sicca interdum calefacit, quia calorem acuit, alias refrigerat, cum humidam substantiam (quæ caloris subiectum est) digerit. Hæc autē cito, aut tardius fiūt, pro maiori, vel minori, aut mēsuræ aut gradu intemperiei: si enim multum excedat breuis, si parum tarda est commutatio dicta: at multum excedere simplex intemperies nequit, quoniam cum temperie in altera opposi-

O 4 tione

tione coniungitur, nam si valde multum excederet, alterius etiam oppositionis intemperiam statim efficeret, quod in calida intemperie expressit Galenus lib. 5. de sanit. tuend. cap. vlt. in hæc verba. Sed cum triplex genere sit calidi temperamenti differentia, vna, in qua reliqua contrarietas (nempe quæ in humido siccoq; consistit) mediam temperiē seruat, altera, in qua siccitas subsultat, & tertia, in qua vna cum calido, etiam humidum redundat: utique in qua altera contrarietas medium temperamentum tenet, nunquam fuerit vltimè calor immodicus: quãdoquidem huic siccitas statim superuenit, ista vero non ponitur à nobis sicca. At in qua siccitas calori est adiuncta, in hac incidere aliquãdo plurimus (vt in intemperie, quæ cum sanitate consistat) præter naturã calor potest: idq; longo tẽpore. Plurimã verò breui spacio, etiã quæ cum humiditate cõiuncta est, immoderatã caliditatem, vt in sanitatis intemperie fieri licet. Exigua ergo, & tarda est permutatio, quæ ad simplices sequitur intemperaturas, quoniam valde intemperatæ, eiusmodi intemperaturæ esse nequeunt. Quare cū eas temperaturas Galenus gubernat, solius qualitatis excedentis rationē habet, in administratione contrarij: alteram enim oppositionem, per ea quæ mediã temperaturam sortiuntur regit, donec eius iam fiat conspicua permutatio: tunc enim primũ duplicis intemperiei correctionem molitur. Ita enim 6. lib. de sanit. tuen. dum frigida temperamenta percenset scriptum reliquit. At qui frigidi natura sunt, ceterum in sicci, humidiq; temperatura, modicè se habent: minus y, vel ad sanitatē, vel ad corporis robur, sunt inepti. Horũ igitur excitare, firmareq; calorē expediet: in humiditatis vero siccitatisq; specie, tota victus ratio, media est exhibenda. Qua sententia constat, nullã indicationē sumpsisse Galenũ, de exsiccatõ id, quod à simplici frigore humescit: quoniã simplex intemperantia, nec magna esse potest, nec plurimũ alterare valet: quãuis enim sola, perpetuò durare nequeat, debilis tamen est, ac tarda nimis, & ferè insensilis, quæ ab ipsa prouenit permutatio. Medicus autem insensiles permutaciones, & dogma sempiternæ passionis, nõ considerat: id enim solũ calidum iudicat, in quo calor euidenter percipitur, & frigidũ, in quo frigiditas, humidũ & siccũ, in quibus humiditas & siccitas. Cum vero euidenter non excedunt, media temperies iudicatur: intra quam leuis exsiccatio, à calido, aut humectatio à frigido recipitur.

De temperamento sexus.

CAP. XIII.



LOE MINAM frigidiorē esse masculo, tradit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 9. in hominum vero genere, non modo frigidiorē esse mulierem viro, sed multo etiam frigidiorē, quam in aliorum animantium genere, scribit idem Galenus. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 1. Quoniã mulier in otio viuunt, & domi se continet, contra ac vir in multis laboribus, & rusticatione:

in

in brutis verò vterque sexus, consimilem ferè vitæ, & exercitationum rationem seruat. Mulier ergo viro est frigidior, si cætera quæ à sexu sunt, consimilia habeat vterque: temperaturam (inquam) victum, ac regionem. Pituitosa enim, pituitoso frigidior est: & biliosa, bilioso: si eadem regionem incolant, & persimili viuendi ratione vtantur. Quoniam verò ex peculiari vtriusque vitæ instituto, mulieri accedit otium, mollities, ac vita sedentaria, viro verò labor, & exercitamentum: fit vt non modo mulier sit frigidior viro, sed multo etiam ipso frigidior. Nisi fortè virũ fingas pituitosum, qui ponthum incolat, & molliter viuat, eumque conferas mulieri biliosæ, Aegyptiæ, sobriæ, & ruralibus exercitamentis assuetæ: tunc enim calidior fœmina viro habebitur. Quin huiusmodi mulier, nisi frigido viro iungatur, ac temperetur, conceptura non est, vt Hippocrates pariter, ac Galenus aduertunt. 5. lib. Aphorismorum, sent. 62. Dubium tamen est, cur in biliosa muliere, quæ pituitoso viro est calidior, pudenda intus delitescant, & in viro pituitoso, qui biliosa mulier est frigidior, extra erumpant? Siquidē calor exuperans, facit pudenda erumpere, & deficiens, intus delitescere: vt scribit Gal. 14. lib. de Vsu partium, & 2. libro de Semine. Dicendum ex Galeno est, quòd genitalia in omni viri generatione sunt calidiora, quam in generatione mulieris: potentior enim calor, ipsa facit in viro erumpere, & in muliere præ impotentia delitescere. Quare quantum ad sexum attinet, semper vir est muliere calidior, quoniam ob genitalium calorem, tẽperatura ex omnium membrorum coalternatione consurgens, in maiorem calorem assurgit: sunt enim testes post cor, altera insiti caloris origo, vt scribit Gal. 1. lib. de Semine. Si cætera tamen quæ à sexu sunt, in viro ad frigus, & in muliere ad calorem inclinent, sexus præpollere non potest. Sed huic etiam obstare videtur, quòd multæ mulieres reperiuntur calidissimo natura vtero, & genitalibus: & viri præ testium frigore, aut impotentes, aut infœcundi: in quibus dicere ridiculum esset, viros mulieribus, quò ad partes generationi attinentes calore præstare. Erroneum præterea esset, ad genitalium perfrigerationem, postquam semel creatæ sunt, ob errorem victus, aut affectum aliquẽ morbosum (quod Valestius facit, primo libro cõtrouersiarũ, cap. 9.) confugere. Viros enim frigidos, & impotentes, sicut & fœminas, vtero, & genitalibus ardentiores: ab ortu frequenter prodire, experimentum ostendit. Nec minus errat, cum viros huiusmodi, copia materiæ illis partibus respondentem, & fœminas eiusdem inopia, creari tradit. Primo, quoniam non plus materiæ poscunt virilia, muliebribus: sed minus fortè, vt dicemus. Secundo, quoniam si sola positione differunt, à virilibus muliebria, equalis materia responderet vtrisque. Tertio, nã quo materia fuerit copiosior, eo difficilius actione caloris foras erumpet. Quare verius fortè dicendum est (si à Galeni hac in parte sententia, recedere non vereamur) fictitiã esse illam, virilium ex maiori calore eruptionem: & muliebrium ex minori calore delitescentiã. Falsum enim est quòd putat, virilia prius intro formari, quam extrudantur. Falsum quoque, quòd si in hac postrema functione languerit, non vir,

O 5 sed

sed femina fit: nihil enim conuincit ex simili quod affert, de posteriori dentium eruptione: nec de catellis, qui recens nati non vident, vident autem postea: nec de talpis, quae oculorum tantum praedidum habuerunt. Non conuincit (inquam) nam dentes qui septimo mense erumpunt, ab ortu infantis creati non sunt, sed septimo mense, cum vtilis esse coeperunt, & creantur, & foras erumpunt. Catelli autem, quoniam oculos habent ad initium imbecillimos, non aperiri donec firmitatem habeant maiorem, sategit natura. Talpa vero, quoniam terra erat excecata, visu caruit. Ex his Galenus colligit, virilia intus creari primo, deincepsque calor & spiritus vi extra pelliculi. Quam vero recte colligat, lector apud semetipsum aestimet. Adde, quod multa alia membra, sunt in corpore extantia, & foras prodeuntia, manus, pedes, nares, aures, umbilicus, quorum nullum intus formatum est: ergo nec genitale viri intus formari fuit necessarium. Sola quoque, positione (quod putat) virilia & muliebria, inuicem distare, falsum est: penis enim solidior est, per eiusque cavitatem, vix calculus pelliculi potest: uteri autem ceruix, insignem habet cavitatem, per quam foetus nascitur: uterus multo est amplior scroto, praeputium mulieri carnosius, & maius datum est: vasa seminalia non ad ceruicem vesicae ut in maribus, verum ne ad ceruicem vulvae, quae ipsi vicinior est, sed ad uteri cornua inferuntur, ut aduersus Herophylum, idem notat Gal. 2. lib. de Semine, non longe ab initio. Membra quoque, adiacentia, diuersam formationem, & crassitudinem receperunt, ut iam inde de femina fingenda, sollicitam tunc fuisse naturam constet. Peritonaeum enim parte inferna, mulieribus crassius, ob factam sustinendam habetur. Illorum ossa, ampliora & crassiora sunt ipsis, ut locus amplius in ventre, & ossium robur gestationi sufficiens, foetui concedatur. Cauda extrorsum magis in muliere reflectitur, & ossa pubis laxius, quam in viris herent, ut facilis in exitu concedatur exitus infanti. Hinc mulier ferè omnis, parte inferiori est crassior, & laticlunia. Ex brutorum praeterea inspectione, non sola positione, utriusque sexus genitalia inuicem distare, quam apertissimum est: feminis enim, retrorsum iacent ad caudam, maribus vero antrorsum ad ventrem, & inter crura pendunt: quod huius in illam insultus, hac positione facilis esset futurus, penèque impossibilis, si eadem parte crearentur. Toto praeterea corpore, mas à femina distat, secundo libro de Semine, auctore Galeno. Nam sicut leonem à leona, gallum à gallina, capram ab hirco, ouem ad ariete, ita virum à muliere facile discernimus: neque opus est ut prius vestes exuamus, quod differentiam membrorum speculemur, sed indutos & opertos satis agnoscimus: cum & toto corpore inter se discrepent, & partes quae post genita nuncupantur, aliae nullae sint feminis, aliae diuersae conspiciantur. Barbæ enim, cristæ, calcaria, dentes exerti, marium animalium partes sunt. Cerui etiam longa cornua habent, ut in his quoque à maribus, feminae superentur. Discrepant item feminae à maribus, in eo quod lauiore hae, illi hirsutiores sunt: hae mollioribus pilis, illi durioribus integuntur: hae latiores clunes, illi latiora habent pectora: alijsque multis differentijs distant.

Deus

Deus ergo, vel nos pangens natura, animalia cuncta creans, masculum & feminam creauit ea: quoniam utroque sexu fuit opus, masculo ut in altero generet, femineo vero ut in se ipso. Vtrique autem, peculiarem qua indiget perfectionem indidit, tum organorum, tum temperamenti, ad sua munia obeunda necessariam. Semper enim facultatibus sua organa concedit, alas volaturo, & processuro pedes. Sic in ari penem prominentem, ut in altero generet, & feminae utrum intro reclusum, ut penem excipiat, & generet in seipso. Non quoniam extra proferre nequiuit pudenda, ideo femina facta est, sed quoniam intus habere condecuit, ideo creauit intus. In viris etiã ab initio, penè & scrotum, ut & manus, ac pedes, extra delineat, quoniam extantia esse debuerunt. Temperamentum etiam diuersum, utrique sexui impertiuit, nam absolute mas est femina calidior: temperatus, temperata: biliosus, biliosa: & pituitosus, pituitosa: quoniam mas, debuit esse femina efficacior, & femina plus de materia tribuere, tum pro alendo foetu, tum pro lactando. Calor autem, quod maior est, eò est efficacior, & plus materiae absumit, minusque sanguinis relinquit, quod foetus in utero alatur, & exclusus ab utero, lactetur. Vir ergo, qui femina non esset calidior, parum esset efficax gignendo, & mulier, quae viro non esset frigidior, nec utero gestare, nec infantem lactare, sine graui sui iactura posset. Quod in biliosis, & praecalidis quibusdam mulieribus experimur, quae valde emaciantur, maleque habent ex conceptu, & infantem lactare non sustinent. Quod autem artificio sit vasa natura, in serendo mare atque femina, ut frigidiorē hanc, illum vero calidiorē produceret, notat Hippocrates. 5. lib. Aphorism. sententia. 48. in haec verba: Foetus mares quidem in dextris, feminae vero in sinistris magis. Primo, quoniam dextra uteri pars, sinistra est calidior, propter hepatis vicinitatem, & rectitudinē. Secundo, quoniam semen ex dextro feminae teste profluens in dextrum sinum, calidius est, ac defecatius, quam profluens ex sinistro teste: sinister enim sanguine nutritur serosiori, ac frigidiori, antequam à renibus repurgetur. Tertio, quoniam dexter viri testis, dicta ratione est calidior, & masculorum sator. Vnde Hippocrates 6. lib. Epidem. sect. 4. sent. 26. in permutatione pueritiae in adolescentiam (quando scilicet vox ex acuta rauca, maribus reddi solet, & puellis virginibus mammae extuberant, atque menses ferri incipiunt, & utrisque pili, in locis genitalibus incipiunt erumpere) ex dextri, aut sinistri testis intumescencia, docet dignoscere, filios ne, an filias, cum in aetatem perfectam, ac virilem peruenerint, sint genaturi. Si enim dexter prius testis intumescat, filij: si sinister, feminae gigni solent. Et Aristoteles 4. lib. de generatione animalium, in tauris ut vacas gignant, dextrum testem ligare praecipit. Quam sententiam in viris sectatus Galenus, libro de facile parabilibus, ita scribit. Ut mas gignatur, vir sinistro teste ligato venere utatur, ut femina dextro. Vnde quidam pro magno secreto consulunt, ut in accessu vir eo iaceat situ, ut dextrum crus leuet, sic enim ex dextro teste, in dextrum uteri sinum, semen expeditius iaculatur: tunc vero femina ab accessu, supra dextrum latus est vertenda,

ut

ut semē ad dextrum sinum colligatur. Dixit enim Rasis. 6. lib. Aphor. sent. 101. quod mulier, quae in dextram latus solita est decumbere, rarissimè gignit foeminas. Hinc in conceptu maris, maior tumor dextrorum vasorum adest, & sinistorum in conceptu foeminae: quod in vasis qui sub lingua sunt, valde conspicuum apparet, ad eam enim partem, magis accurrit sanguis pro foetu alendo. Unde & eius partis pulsus vehementior est, maior, velocior, & durior. Quod inditium, esse certissimum, & minimè fallax, masculinae praegnationis legitur apud Aëtium. 4. lib. de trab. 4. cap. 9. vehementior namque fit pulsus, quoniam vires augentur, sanguinis & spirituum vitalium copia: maior etiā fit & velocior, ob usum adauētū, ex sanguinis & spirituum calore: sicut durior ob tensionem, quae tum à foetu extendente, tum à sanguine implente vasa contingit: quare rectius tensum dixeris, aut plenum, cum Auicenna. 22. 3. tract. 1. cap. 13. Eiusdem etiam partis, quam contrariae mēma, prius lactescit, & magis turgēt, praesertim papilla, ut notat Aëtius. Sic & eius mammae repentina detumescētia, abortum portendit, siquidem mamma dextra magis gracilis fiat, maris: si verò sinistra, foemina est quae abortitur, ut scriptum reliquit Hippocrates. 5. libro Aphor. sent. 38. Initium etiam motus infantis, in utero iā animati, in dextro incipit sentiri, ut notat Auicenna. Qui alia etiam minus certa, quamuis non prorsus improbabilia, ex alijs autoribus inditia in gestatione maris colligit, cum ita scribit. Et dixerunt quidam, quod quando mouetur à statione, mouet prius pedem dextrum, & est expertum. Et cum erigitur, sustentatur super manum dextram, & est oculus eius dexter, lenioris, & velocioris motus. Haec tamen communia inditia esse cōseō, utero gerētibus, & ijs quae nihil gestant, ut autor est Aristoteles, libro de progressu animalium, dextrum est motus principium: quare ipsa natura docti, dextra ceu validiora, & calidiora prius mouemus. Nec obstat huic sententiae de gestatione maris in dextro, & foemina in sinistro, quod ipsam reprehenderit Arist. 4. lib. de generatione animalium, cap. 1. in Empedocle & Anaxagora, quoniam experimento obseruatum esse tradit, in dextera uteri parte foeminam, & in sinistra masculum, immò in vna & eadem parte simul masculum & foeminam generari. Non obstat (inquam) nam Hippocrates, hanc causam non censuit esse perpetuam, & necessariam ut illi, sed frequentem: ob idque aduerbium ferè, aut magis, apposuit: fieri enim potest, ut maris semen plus excedat calore, quam sinister uteri, sinus deficiat: fieri etiam potest (quamuis raro contingat) ut mulier sit sinistra, id est quod dextra habeat infirmiora sinistris: quo casu, mas sinistra uteri parte gignitur, & ex contrarijs causis, foemina in parte dextera: si praesertim causae addantur aliae, calfacientes, aut infrigidantes, quas colligit Auicenna. 21. 3. tract. 1. cap. 12. Ratio etiam demonstrat, mulierem dari posse, in qua sinistra, dextris sint aequae valida: quoniam datur in qua sint validiora, & in qua sint debiliora, ergo dabitur etiam medius status. Adeo tamen rarus est huiusmodi euentus, ut Hippocrates mulierem ambidexteram non fieri, scripserit. 7. lib. Aphorismorum, sent. 43. qua

sen-

sententia, frequentiam, non autem perpetuitatem intellexit Hippocrates: mulierem enim ambidexteram, vidit conciliator, problemate duodecimo, sectionis tricesimae primae. Nec opus est ad solam consuetudinem, cum ipso recurrere, cogit enim ratio dicta, medium statum per naturam concedere. Nec obstat etiam, quod ex cordis reatitudine, sinister latus deberet esse calidius, atque validius. Respondet enim Galenus. 6. lib. Epidem. sect. 2. com. 44. quod dextrum latus est calidius ob hepar, cor namque in medio iacet, quamuis ob sinistrum eius ventrem in sinistro latere pulsantem, ad id latus magis videatur accedere. Sed cur (quod ibi quaerit Galenus) si dexter oculus, aut auris, non plus videt, aut audit sinistris, dexter uterus, aut testis, dextra quoque manus, validior est, atque calidior, sinistris suis comparibus? In utero dextro, & teste dextro, respondet Galenus, causam esse, quod calidiori, & magis defecato nutriuntur sanguine, quam sinistri. In brachio verò, respondet Aristoteles, problemate. 12. & 13. sect. 31. quod robur dextri, est maioris, & euidentioris usus, in actione & motu brachij, quam in passione, per quam fit sensus omnis: ideoque aut nihil, aut parum plus, videt, atque audit, oculus, & auris dextra, quam sinistra: quoniam non minus patiuntur à sensibilibus, sensoria sinistra, dextris.

Hinc si alijs inditijs attendamus, calidiores semper masculos, suis comparibus foeminae reperiemus, citius enim formantur, & celerius, ac frequentius mouentur in utero, quae opera caloris sunt. Quae insuper mares gestant, citius, pluribus, validioribusque motibus agitantur, & melius coloratae visuntur, ut scribit Galenus. 6. libro Epid. sect. 2. com. 45. Lac etiam crassius habent, nam aquae instillatum (inquit Aëtius) si foetus foemella sit, diuellit, ac distrabatur: si vero masculus in superficie persistit. Et apud Auicennam, speculo instillatum, remanet quasi ipsum sit frustrum argenti viui, aut granum margaritae non currens, neque protensum. Maculae etiam quae papillas circumstant, & ipsarum papillarum color, rubeus est in maris gestatione, nigrior verò velut ex sanguine magis refrigerato, ubi gestatur foemina, ut aduertit Auicenna. Viuidus etiam calor, est qui in maris conceptu facit papillas sursum reflecti: & eius defectus, ubi foemina gestatur deorsum nutare, ut notat Aëtius. Ipse etiā masculus, colore est nigrior, maior, solidior, robustior, hirsutior, quae calore ostendunt: foemina verò candidior, breuior, laxior, imbecillior, & depillis, quae frigore comparantur.

Videtur tamen ob stare, Primo, quod mulier citius adolescit, ut scribit Hippocrates. 6. lib. Epidem. sect. 2. sent. 45. Secundo, quod pluri sanguine redundat, qui singulis lunationibus vacuatur. Tertio, quod Hippocrates. 1. libro de morbis, ad principium, ita scribit. Habet enim mulier sanguinem calidiorem, & propterea calidior est quam vir. Quarto, quoniam in genere auium rapacium, foeminae sunt validiores, & celeriores masculis, aucupum experimento. Leena quoque leone, & vrsus vrsu, ferocior esse perhibetur: equam quoque, equo esse velociorem statuunt.

Dicendum tamen ex Galeno, in eiusce sententiae commentario, quod mulier citius

ius

ius augetur, ob humiditatem temperaturæ, quæ membra reddit extensioni opportu-
nissima: citò tamen desinit augeri, ob defectum innati calidi extendentis ipsa. San-
guis verò qui singulis lunationibus purgatur, non tantum refertur abundantia, quæ
nutritionis membrorum defectui. Liber verò de morbis, aut spurius est, aut inter-
sertas habet sententias Hippocrate indignas, quòd alijs etiam eius libris videre est.
In genere verò auium rapacium, mares quoniam calidissimi sunt, imbecilliores fœ-
minis minus calidis habentur: quoniam omnis intemperies, si valde augeatur, deij-
cit actum propriæ operationis, ut autor est Gal. 2. lib. Aphorism. com. 20. Leena
quoque leone, & vrsa vrsò, ferocior & morosior est, ob inditum instinctum seruan-
dæ prolis, quòd in gallina etiam, & cane fœmina videmus, non tamen propterea est
calidior. Velocitas vero maior equarum, non est inditum necessarium caloris maio-
ris, lepori enim, & ceruo datur, quoniam meticulosus, fugam velocitate parauit na-
tura. Erit ergo equa velocior, quoniam equo est meticulosior, nò quoniam calidior,
citius enim lassatur & deficit: equus vero velox est, atque firmus in labore, &
cursu pertinax, & feritate, ac victoriæ spe magis quam metu ducitur.

De ætatum numero, & distinctione.

C A P. XIII.



VITÆ quæ (apud Aristotelem) animæ in corpore mora est, per
ætates, id est per insignes quasdam mutationes in ipsa contingen-
tes diuiditur. Per quandam etiam quasi abusionem, & similitu-
dinem, vita carentia ætatibus metimur, id est mutationibus qui-
busdam eidentibus, à quibus non sunt immunita: quæuis in eide-
tiores, eas habeant quàm viuientia. Non enim statim à prima ge-
neratione, summam sunt consequuta perfectionem, sed temporis tractu, tum perfici-
untur, tum ad corruptionem properant, & veterascunt. Lapides namque, & me-
talla initio sui friabilia, imperfectaque sunt, donec firmitatem, & ultimam perfe-
ctionem acquirant, antiquitate etiam corroduntur, & puluerascunt. In theriaca
quoque, & compositis medicamentis, ætates agnoscunt Galenus & Auicenna, iu-
niorem, vigentem & senescentem: in iuniori præualet papaueris succus, in vigenti
perfecta est forma, virtute compositionis præter vires simplicium tributa: in senes-
cente verò, vtraque virtus exoluitur, & veterascit. Quoniam verò animata, eide-
tiores habent huiusmodi mutationes, homines præsertim, de quibus nostrum est in-
stitutum agere (ortus, dentitionis, loquellæ, intelligentiæ, redentitionis, pubis, vene-
reorum, mensium, incrementi & decrementi, roboris & remissionis, canorum, & de-
mum interitus) ipsorum progressum, atque vitam, per ætates, velut per terminos
quosdam in quibus frequentius contingunt metimur: latitudinem enim quæ contra-
rijs respondeat temperamentis, in omni ætate subaudiendam esse monemus, magna
quippe

quippe est inter melancholicum, & sanguineum (sive puerum, sive iuuenem, sive senem) diffe-
rentia, tã in totius vitæ duratione, quàm in eius partitione, quæ per ætates fit. Quòd
Gal. 3. lib. Aphorism. com. 27. & lib. 6. de sanit. tuenda. cap. 2. ita docuit. Nec tamẽ
“(inquit) est has ætates annorum numero circumscribere, quenadmodum nonnulli fe-
“(cerunt, nisi fortè in latitudine quadam. Ergo pubescere quidem incipiunt aliqui,
“(ubi quartumdecimum annum expleuerunt: quidam vno post anno, aut etiam an-
“(plius. Initium præterea remissionis nonnulli habent, statim à trigésimo anno, non-
“(nulli post quintum & trigésimum. Id quod tertio etiam prognosticorum, com. 28.
“(Galenus notauit inquit. Primus terminus cõuersionis ad habitum frigidiorẽ, an-
“(nus trigésimus est, nouissimus verò, trigésimus quintus. Ex quibus locis nolim quis-
“(piam intelligat, ætates distingui debere certo aliquo, atque præfixo temperamento,
“(quod quædam naturæ citius, & aliæ tardius nanciscuntur. Melancholicus enim, nò
“(ingreditur pueritiam, nec ullam aliam ætatem, cum eodem temperamento quo san-
“(guineus: sic enim non distarent inuicem temperamenta. Nec indicatio ab ætate, esset
“(alia, ab indicatione natiui temperamenti. Nec sanguineus in ætate inclinante, ad
“(extremum vsq; senium salubrius degeret, cæteris qui parem ætatem agunt: con-
“(tra ac docet Galenus. 6. lib. de sanit. tuenda. Aætates ergo distinguntur intraneis
“(quibusdam mutationibus, euidenter in vita contingentibus, quæ nec certo annorũ
“(numero, nec certo item temperamento circumscribi possunt; sed sub ampla quadam
“(latitudine, diuersis temperamentis respondente: sanguineus enim inclinans, ubi tã
“(ad frigidiorẽ naturam cœpit commutari, calidior est atque humidior, melancholi-
“(co iuuenem. Per intraneas autẽ mutationes ætates metimur, non ut iuris prudẽtiæ pe-
“(riti, per extraneas, quæ ipsis à iure conferuntur, ad delicta perpetranda, ad impetran-
“(dam veniam, ad emancipationes, ad beneficia & dignitates consequendas, ad ordi-
“(nes, professiones, & nuptias contrahendas. Præterea astrologos, cum Pitholomeo,
“(ultimo libro quaternarij, qui quæuis intraneas mutationes memorẽt: septenario eas
“(numero claudunt, quò errantibus stellis, singulas mutationes largiantur, & maiori
“(quàm stelle ipsæ detineantur errore. In intraneis autem mutationibus percensẽ-
“(dis, non vsquequaque conueniunt autores: quidam enim plures, alij pauciores per-
“(censent: atque idem autor, pro diuerso tractandi instituto, aut ordine, hic plures
“(alibi vero pauciores describit. Cum enim in pauciores ætates diuidit, illas rursus in
“(alias mutationes minus insignes, diuidendas relinquit. Aristoteles libro de morte
“(vita, ita scribit. Est igitur ortus quidem prima vegetatricis animæ cum calore
“(participatio, vita vero mora eius, iuuenta primæ refrigerabilis particulæ auctio, se-
“(necia eiusdem decretio, status sive ætas adulta, quod horũ medium est. Quibus ver-
“(bis, triplicem tantum ætatem statuere videtur, tribus calidi, atque humidi mutatio-
“(nibus respondentẽ: cum scilicet augetur, aut in vigore est, vel inclinat. Quæ augetur
“(cit in sui initio pueritia est, quæ terminatur anno ferè decimo quarto, autore Gale-
“(no. 3. lib. Aphorism. com. 27. & 28. In progressu verò est adolescentia, quæ ter-
“(minat

minatur anno ferè vicesimo quinto: hic enim annus vltimus est crescendi: quoniam ab hoc in tricesimum (qui primus terminus est conuersionis in habitum frigidiorum, aut in trigesimum quintum, qui vltimus statuitur à Galeno. 3. prognostic. com. 28.) iuuentus extenditur. Iuuenes autem, & omnes siccae etates, à ratione crescendi excluduntur, libro de victu priuatorum, com. 7. Vbi incrementum, in nulum aliud, quàm humidum temperamentum incidere posse, scribit Galenus. Quod etiam voluit Hippocrates, lib. 1. de diæta, non longe à fine, in hæc verba. Vir cum steterit iam corpus, siccus est, & frigidus, quia caliditatis impetus, non amplius dominatur, sed est tunc id est, stetit corpus, ab augmento quiescens ac perfrigeratum. Male enim cornarius vertit, stat, presentis temporis, pro præterito stetit: deditque occasionem errandi Valesio, cap. 8. primi libri controuersiarum, qui ex eo loco consistentes existimat, tunc primum stare quiescentes ab augmento, quasi iuuenes creuissent. Quod ut caueret Hippocrates, præterito est usus, dicens: viros stetisse ab augmento quiescentes: per totam scilicet iuuentutem antecedentem. Male ergo dixit Valesius, quod solida membra corporis, plerisque vsque ad trigesimum annum, aut etiam trigesimum quintum, fiunt corporatiora. Nam verum augmentum solidorum, quod trina dimensione aucta constat, iuuenibus non fit: quod verò corpulentiores, & crassiores fiant, non autem longi, ex carne est, non ex solidis, & vltioribus etiam etatibus contingit. Iuuentutem sequitur vergens ætas, aut inclinans, aut subsistens, ita enim rectius, quàm consistentem appellari, docet Christophorus a Vega, 1. libro. prognost. com. 29. & 1. Aphor. com. 13. qui enim iam declinare incipiunt, non rectè consistentes dicuntur, sed subsistentes, ac declinantes: habent enim ætatem mediam vigoris & senectutis, ita ut ab ætate quidem vigente recedant, nondum tamen sensum habent senectæ manifestum, ut scribit Gal. 1. lib. Aphor. com. 13. Durat hæc ætas, à tricesimo, aut tricesimo quinto anno, in quadragesimum nonum, autore Gal. 3. Aphor. com. 30. quæ vitæ humanæ medietas est, ex septem annorum septimanis constans. In quo dominum exorans psalmista inquit, Domine ne in dimidio dierum meorum reuoces me. Quauis enim calor, hac ætate iam deferuere cæperit, non prorsus sedatus est, nec animi perturbationes pacatæ, ut Deo tota mente vacemus: donec senectus accedat, per alias septem annorum septimanas, in naturalem interitum protensa. Vnde hac computatione ducti legislatores, post centum annos neminem viuere præsumunt. l. 2. de sacros. eccles. Sunt ergo omnes etates quinque, pueritia, adolescentia, iuuentus, subsistens, & senectus: quæ tribus illis inuati calidi atque humidi mutationibus, tribusque Aristotelis etatibus dictis comprehenduntur. Iuuenta enim ab ortu, ad augmenti finem protensa, pueritiã & adolescentiam claudit. Senectæ verò, ab imminutionis initio, vsq; in mortem prorogatur, & etatè inclinantem, ac senium comprehendit. Aetas verò adulta, in ambarum medio sita, vigēs, florens, atq; consistens, & iuuentus, à iuuado dicitur, sicut & adulta, quoniã in ipsa corpus adolescere finiuit. Quare immerito à Valesio reprehenditur

Fuchsius,

Fuchsius, quod in cõpendio dixerit, iuuenes & vigētes etate, & consistentes eandē etatē agere: nam verè quæ in suo robore constat, non alia est quàm vigens, & quæ iuuentus à iuuando, quoniam maximè sit apta ad tolerandum laborē dicitur. Quod ergo lib. de victu priuat. sent. 7. Hippocrates diuiserit etates in duas, inelaboratus est locus: ut aduertit Galenus, in cõmentario eiusdem sententiæ. Primo autem libro Aphor. sent. 13. iuuentutem, adolescentiã & subsistentiã interiacentem, prætermisit Hippocrates, quoniã breuitatem affectans, eam ceu mediã, medio modo in diam tolerare, vnusquisq; ex etatibus quas dixit, intelligere poterat, ut aduertit Galenus in eius sententiæ cõmentario. Quod nõ aduertens Valesius cap. 8. primi libri cont. nomine adolescentiã, iuuentutem in ea sententiã Hippocratem intellexisse scribit. Primo itē libro de diæta in fine, Hippocrates quatuor ponit etates, pueritiã, adolescentiã, virilitatē & senium. Ibi autem per pueritiã omnem etatem augmentationis intellexit, cū scilicet mēbra eatenus sunt humida, ut vndiq; extēdi possint, quoniã ut autor est Gal. lib. de victu priuat. com. 7. id tēperamentū augmento est opportunissimū. Nam eos qui vltra quatuordecimū annū sunt cõstituti, pueros interdum vocasse Galenū, constat ex libro eiusdē de sanguinis missione, cap. 12. Vbi si post quartū decimū annum pueri natura fuerit bene sanguinea, sanguinem ipsi mittere iubet. Quin lib. de victu priuat. com. 7. hac ratione etates reduxit Galenus ad quatuor, totidem tēperamentis respondentes: è quibus pueritiã calidã & humidam ponit, iuuentutem calidã & siccam, vergentē frigidam & siccam, senectutem frigidã & humidam: vbi pueritiæ nomine, omnē etatem quæ est vsq; ad iuuentutem intellexit: quoniã in omni ea etate, calorē atq; humiditatē corporis extēsiōni, & augmentationi necessariã, corpus habet. Primo ergo libro de diæta, adolescentiam in pueritiã cõprehendit: & adolescentiæ nomine iuuentutē intelligit, calidam enim & siccã esse, & in qua ignis impetus dñetur describit. Siue ergo in tres, siue in quatuor secas, siue in plures, aut pauciores, nihil obstat: omnes enim, aut diuisione pauciorū, aut collectione pluriū, ad quinq; dictas etates reducūtur. Quas iterum in alias refecant auctores, per mutationes alias minus insignes. Pueritiã enim in quatuor secant Hippocrates, atq; Gal. 3. Aphor. libro à sent. 24. in. 28. ante loquelã infantia, à non fando dicitur, duratq; menses septem, donec dentes pullulare incipiunt. A quo vsq; ad redentitionē, quæ septimo anno magna ex parte cõtingit, ætas durat dēntitionis. Postrema pueritiæ pars, appellatur pubertati proxima, quæ duodecimū, decimū tertium, & decimū quartū annū cõprehēdit, ut scribit Gal. 3. Aphor. com. 27. inter quã & septimū annū, quo etatē dentitionis diximus expleri, mediã etatē ponit Aphorismo vicesimo octauo sequēti. Pueritiæ autē p has etates partitio vtilis est, quoniã diuersis morbis ipsarū singulæ sūt obnoxia, ut notat Hippocrates sentētys citatis: atq; hæc ætas cū calida sit, & valde humida, plurimis mutationibus est obnoxia, ob idq; in breui quatuordecim annorū spatio, tot quas diximus subit mutationes, & alias adhuc minutiores, quas Auicēna memorat.

P cen-

centium etas, quā ab anno decimo quarto, in vicesimū quintū, diximus prorrogari, appellatur etiam pūbertas, vt constat ex Galeno. 5. libro Aphorismorum, coment. 7. vbi scribit: Quod tempus pūbertatis post quartum decimum annum exorditur, & vsque ad vicesimum quintum prorrogatur: diuiturq; speciatim in ephebiā, in qua pūbes innascitur, à decimo quarto anno, in annum decimum octauum: & in adolescentiam, à decimo octauo in vicesimum quintum: vt quinto Aphorismorum, comentario nono scribit Galenus. Tertia etas iuuentus, florens, et vicens appellata, firmum et siccum corpus habet, quod iam extendi et augeri nequit: ob idque appellatur ab Auicena etas perfectionis et complementi. Hac mutationibus ob eius siccitatem, & robur, minus est obnoxia: ob idque in alias etates non refecatur, vbi enim mutari cōpit, iam in quartam etatem quae firma non est, & ad mortem vsque perdurat degenerat. Hanc *παρὰ μαστορίαν* hoc est, inclinantem, aut vergentem, appellat Galenus. 5. libro de sanitate tuenda, vbi postquam superioribus libris, artem tuendae valetudinis, vsque ad iuuentutem peractam tradidisset, ita scribit. Id quod ipsi hactenus fecimus: qui de ea per singulas etates praeter inclinantem, *παρὰ μαστορίαν* Graeci vocant) egimus. Cuius extrema pars senium proprie dicitur. Quibus verbis, omnem etatem quae est à iuuentute, in vitæ finem, inclinantem appellauit: eiusque vltimam partem, senij nomen proprie sortiri affirmat. Prior vero nō proprie, sed *ωμογυγία* hoc est, eorum est, qui cruda, viridique senecta, praediti sunt: quae interdum senectutis nomine, alias vero nomine inclinantis, aut subsistentis intelligenda venit. Primo siquidem libro Aphor. com. 13. Subsistentes dixit esse medios, inter iuuenes, ac senes. Et tertio libro Aphor. com. vlt. primos senes dixit esse medios, inter iuuenes & seniores. Aetas ergo, quae post iuuentutē ad obitum vsq; sequitur, generali vocabulo inclinans appellatur: cuius postrema pars proprie senium, prior vero interdum subsistens, alias cruda & viridis senecta, aut primum senium, aut prima senij pars appellatur. Nam & in hac ad frigidiorē habitum cōpit corpus permutari, vt scribit Hippocrates, ad finem primi libri de dietis: & ortus tunc canorum visitur: & quauis omnia vitæ munia, aequae atq; illi qui in viginti etate consistunt conentur peragere, non tamen eodem modo ad labores sufficiunt: ex adustione nanq; & algoribus & humi cubatu, vigilijs, atq; repletione, pulsq; illi offenduntur, auctore Galeno. 3. lib. Aphor. coment. 30. Postrema vero inclinantis pars, quam proprie senij appellari dixit Galenus, vltima etas est, quam seniorum etatem appellat tertio libro Aphorismorum, comentario vltimo: atque haec duplici constat differentiā, prima est eorum qui ciuilia negotia, adire non sūstinent, proprie tamen saluti consulere possunt. Ob idque dejs recte dicitur. Vt lauit, sumpsitq; cibum, det membra sopori


Nanq; haec iusta seni.

Secunda vero seniorum differentia, eorum est qui non modò à ciuilibus negotijs abstinere cōguntur, verum nec propter vitium imbecillitatem assiduū balneū

balnei vsū sūstinent: nec propter habitus frigiditatem, mordacia excrementa per balneum euaporanda congerunt. Durat illa à quinquagesimo in sexagesimum annum, aut quòd longius prorrogatur in sexagesimum quintum. vocaturq; media senectus, quoniam viridi, & vltimae interiacet. Vltima vero, quae & decrepita appellatur, ad septuaginta, & in potentatibus octuaginta protenditur: quod amplius, labor, & dolor est, (vt docuit psalmista): ad quatuordecimq; extenditur annorum septimanas, quibus vitam hominis, cum morte ineuitabili commutari diximus.

An senium & mors, arte vlla possint

deitari. CAP. XV. Gaspar Sants



MNES quas memorauimus etates, dirimit Gal. 2. libro de temp. cap. 2. humiditate & ariditate. Senes enim siccissimi sunt & durissimi, pueri vero humididissimi, mediae etates, medio modo se habent: pro vt magis ortui accedunt humidiores, & quanto magis recedunt siccores sunt. Exsiccatio enim nostri corporis ab ortu in interitum, perpes & necessaria est. Primo, ob experimentum irrefragabile, quo nullus vsq; in hodiernū diem, quantūuis exacta viuēdi ratione tractetur, desit consensescere. Vnde libro de Marasmo Gal. cuiusdam philosophi sententiā reprehendit, qui senescere & mori animal inscitia, non autem necessitate existimans, librum cum quadragenarius esset conscripsit, quòd citra senium supere se liceat: postea vero octoagenarius factus, tanta erat consumptione, & senio confectus, vt omnibus risui esset: nec tunc amplius audebat ipse, quò pacto senium omnes vitent, alios docere: sed naturam idoneā requiri, & suae artis fundamenta, à primis alimentis iactāda esse praedicabat: pollicebaturq; si statim à natali die pueris assisteret, eorū corpora immortalia reddere: quoniam quos tunc susciperet natos, viros ante eius obitū visurus ipse nō erat. Secūdo, ob rationes suasorias, demonstratio enim euidentis, quae scientificam et firmam vllam ex principijs euidentibus se quellā habeat, aut senij: aut mortis animatibus necessario vetur: aut eius proloquij quòd in vniuersum genita omnia sint interitura: nulla praeter experimentum est, auctore Galeno, libro de marasmo. Est autē experimentū tātae fidei, vt nō modo in demonstrationis defectu, verū etiā si rationes deessent suasoriae, quāuis etiam valida ratio contrariū suaderet, ipsi soli esset fidendū. Ratio enim quae cōtrariū experimento concludit, fallax est cēsēda, quāuis fallacia ignoretur. Nā orta nō esse interitura, deceptoria procli ratio probat, in hūc modū. Deus qui cūcta creauit, aut bene, aut malè ea constituit: nō malè, quoniā creator esset non optimus, quòd per absurdum est: si autem rectè nunquam dissoluet, pulchrè enim constitutum dissoluere vele, maligni est artificis. Huic tamen rationi respondet Phyloponus, lib. 6. aduersus viginti

quas procli propositiones, de mundi eternitate, in hac verba. Si uniuersum mundum bene compositum dissoluere voluisset Deus, non propter hoc & bonū fieri malum necesse est. Qua enim bonitate ab initio mundum composuit, non alia quidē omnino ipsum dissolui velet. Quoniam & lyram comode beneq; compositam, postquā vsui in quam composita est fuit componenti, hanc rursus qui bene composuit dissoluet. Neq; vllus (modo mente præditus sit) diceret, vele dissoluere lyram bene compositam prauū esse, & musicus cum prius prauus factus sit, ita concentum bene compositum dissoluet. Sed omnino perspicuum esse puto, & prius bene composuisse, & compositum iterum bene dissoluisse. Multo igitur magis verè bonus, & à principio per bonitatem mundum constituit, & ipsum iterū si voluerit dissoluet. Causam itē dissolutionis habebit bonitatem, quauis ratio nobis sit dissolutionis occulta. Non enim quorum causas nescimus, plurimorum enim, fortè vero omnium rationes nos latent, hæc omnino, aut frustra, aut in prauo fieri putandum. Puerorum enim existimo esse, & eis quæ sensum mouent inbiantium, si inspectum dissoluatur pulchrū, iam propter hoc eum qui dissoluit prauū putare. Hoc enim vtiq; fortè dixerit, & ille qui amore pulchritudinis lunæ victus, & optimam stupidus admirans partium ipsius moderationem, nec non colorem bonum: nec vnā quæ in eius animo è disciplinis est philosophice contemplatus, nec quæ insunt in ea prouidentie rationes attingerit, qualia pati puto, & eos qui in solam apparentem uniuersi pulchritudinem animi dirigentes, in optimas prouidentie rationes prospicere nequeunt. Quas pro salute & perfectione substantiarum (quæ in uniuerso reperiuntur) ratione fungentiū Deus excogitauit. Hæc Phyloponus. Sed quæ sunt suasoria rationes, quæ corpora nostra perpetuo exsiccari docent? Dicendū, quòd Galenus. i. lib. de sanit. tuen. causas duas internas agnoscit, necessaria, animantium exsiccationis: quarum prima est ignis elementum, quod in prima seminum, & menstrui sanguinis comistione, abū dātius recepimus, vt huiusmodi exsiccationem, & coagulationem operaretur. Hoc semē exsiccatur, vt venæ, arteriæ, & reliquæ partes, ex ipso gigni possint: ipsasq; partes genitas, uniuersumq; corpus ex eis formatū, non desinit exsiccare, donec ad summum incrementum sit peruentum. Tum verò & incrementū omne sistitur, osibus nimirum ipsis per siccitatem nō vltra sequacibus: & sanguinis spiritusq; vasa, spiritus ipsius flatu in latum aguntur: cuncta deniq; mēbra non solum robusta fiunt, sed etiam vires suas summas obtinent. In eo verò, quod sequitur tēpore, omnibus iam partibus supra iustum siccescentibus, nō solum cuiusque officium minus probè administratur, sed etiam corpus ipsum macilētius, graciliusq; quam ante readditur. Ergo vltra siccatur, nō macilentius modo, verū etiam rugosum efficitur: artus quoq; ipsi inualidi, atq; ad motus suos incerti, incōstantesq; probātur. Affectio hæc in animalibus seniū appellatur, ei quæ in styrpibus ^{αὐτῶν} Græce dicitur, pro portione respōdēs: est enim & illa styrpis seniū, siccitatis excessu proueniens. Vna igitur hæc est omni genito corpori, corruptelæ interitusq; cōuata necessitas. Altera est quæ etiā in anima-

animalibus præcipuè cernitur totius substantiæ fluor, quem insitus calor excitat, in proprium humidum agēs, ipsum temporis tractu deuastans. Vt enim flamma ellychnij humidum absunit, & in fumam ac fauillam citissimè vertit, ni suppetat oleum irrigans, & conseruās ipsum: sic natiuum calidum intra triduum, aut citius, propriū humidum absunit, ni alimentitium humidum accedat: eo enim appetēte, exsiccatio fit tardior, totaq; vitæ periodo durare potest. Nam vt oleum non impedit, sed retardat ellychnij vstionem, sic nec succus alimentitius innatum humidum reficiens, ipsius innati humidi exsiccationem quæ per ætates fit, impedire est potis: sed tantum retardare, idque in centum annos, aut propè. Sic olla, aut sartago, liquore aliquo plena, plures annos durant incombusta, & in charta papyracea oleo plena, oua friguntur: Quæ tamen, si vacua igni apponantur, citissimè comburi videmus. Primo, quoniam externus liquor, internum humidum ab vstione defendit, ipsum humectando. Secundo, quoniam calor internus, ad externum humidum conuersus, minus agit in internū: præsertim in animantiū corpore, quorū humidū defenditur ab anima, eiusque potentijs, item & ab ipso calido, humidum innatum per nutritionem resarciēte. Sed dubium est, quomodo calor noster inuatus, contraria possit: formare nempe, nutrire, augere, & conseruare corpus nostrum: simulque corrumpere, exsiccare, & humidum nostrum perpetuo fluore consumere. Cui dicendum, quòd calor noster, & calor est, & natiuus calor: vt natiuus nos format, nutrit, & auget, non tamen calidi simpliciter naturam exiit: cuius ratione à paulatina exsiccatione, quæ per ætates fit, non potuit absolui. Quare libro de Marasmo Galenus, medicos, ac philosophos omnes redarguens, quoniam dixerunt corpora nostra senescere, eo quòd innatum calidum, perinde ac flamma ignis humidū nostrū absunit: hanc quàm diximus paulatinam exsiccationem non tollit, sed similitudinem improbat. Flammæ enim ignis generatio, ex subiectæ materiæ corruptione constat, contra ac generatio caloris natiui, quæ non fit humidi natiui corruptione, sed refectioe & restauratione, quàm idem calor natiuus operatur: quòd vel ipsius Galeni verba monstrant: ita enim è loci scriptum reliquit. Quòd enim innato calido corpora senescunt, & senio confecta, corrumpuntur verum est: at quo fieri exemplo monstrant, non est verum: non enim ac flammæ ligna, sic calor viuientium, corpora corrumpit. Horum nanque exemplum, magis proprium fortè his sit, qui consumuntur febribus, quam rem repetitis antea verbis Hippocrates insinuauit. Quòd autem naturæ progressu corpora siccentur, quòdque innatum id calidum efficiat, vt primo de tuenda valetudine demonstrauius, & necessariò nunc repetemus, est vndequaque verum. Quæ verba, si Valesius aduertisset, controuersia prima, sexti libri, non diceret calorem naturalem, nisi in non naturalem migret, non consumere, nec desiccare sibi subiectum corpus. Vnde calor innatus (inquit) per mediam consumit, quoniam igneus fit. In senio etiā, si corpus absunitur, nō est (inquit)

quoniam calor natiuus absumat ipsum, sed quoniam substantiam restituat semper minus humidam loco dissolutæ. Contra vero est, quod Galenus verbis citatis dixit, calido innato corpora senescere, & senio confecta corrumpi, esse quàm verissimum: sermone etiam febrium (in quibus calor innatus igneus redditur) repudiato. Septimo etiam libro Aphorismorum, com. 59. in vapores corpus exolui, duplici causa voluit Galenus: extrinsecus quidem ab aëre ambiente, intus verò à calore natiuo. Et. 1. Aphorism. com. 15. & 17. insensilis difflatio, & alimentorum exhibendorum quantitas, innati caloris multitudini, semper ex proportione respondent. Secundo, quoniam per inediam, ob id in igneam naturam mutatur calor, quoniam humidum radicale absumitur, & corpus desiccatur: prius ergo est absumi, & desiccari, quàm in igneam naturam verti: male ergo per inediam tradit desiccari corpus, quoniam igneus tunc fit calor: posterius enim non est prioris causa, sed quod prius est posterioris. Tertio, quod in senio, ob id restituitur siccior substantia, quoniam corpus nutriendum, cui alimentum assimilatur, est siccior: prius ergo est corpus à calore absumi, atque desiccari, quàm sicco alimento refici: & ex consequenti, male ob id tantum siccari corpus tradit, quoniam minus humida substantia restituitur loco dissolutæ.

Sed cur si natiuus calor, humidum radicale nutritione reparat, additione succi alimentitij, & conuersione eius in tale quale est ipsum: non aequè, aut plus proficit hac reparatione, quàm obsit & consumat exsiccatione? De melle enim, aut sacharo, aqua bullientibus, nihil consumitur, si aqua aut liquor permixtus non desit: multò ergo minus de radicali humido absumi debet, si alimentitius succus non desit: iuuantem, ac appetentem animam, & eius potentiam, humidi innati conseruationem. Nihil præterea vetat, humidum aequè perfectum, aut perfectius dissoluto, ex selectis alimentis reparari, quò casu corpus non exsiccabitur, nec consumetur lapsu ætatis. Humidum præterea radicale, simile corpus est: quomodo ergo ex vnius caloris efficientia, pars eius statim euanescet & consumetur, pars verò alia, ad senectutem usque durare potest? si enim simile est, aut totum simul absumetur, aut omnes eius partes, perinde ac vna ipsarum conseruari quibunt. Sicca in super temperatura, potest in humidam commutari, ergo multo facilius potest in humore conseruari, & siccitas impediri, per humefacientem victum. Medica præterea præsidia, possunt arcere, & infringere vim venenorum, ne innatum humidum absumant: multò ergo facilius impedire poterunt, ne à natiuo calore absumatur, & desiccetur. Multa præterea medicamenta memorant autores, vitam protrahentia, ergo ex repetito usu ipsorum, perenne corpus, & minimè siccatum, facere quibunt. Hæc sanè obiectiones, quauis comodam habeant solutionem, Galeni dictum libro de Marasmo confirmant, quod senij, & mortis naturalis, nulla est ratio euadens, præter solum experimentum: hoc enim solum est, quod refragari nequit. Quauis rationes suasoriae, & validæ, non desint: inter quas vna est, quàm modo de ignis elemento in semine, magis quàm elemèta reliqua abundante: & altera de humidi, à natiuo calido

calido exsiccatione tractamus. Falsum vero est vt obiectis respondeamus, quod de melle, oleo, aut sacharo, aqua mixtis, nihil ab igne absumatur: quauis minus multò, quàm de alijs liquoribus, de ipsis absumi sit verum: de humido autè radicali, multò adhuc minus, ob dictam reparationem ex nutritione, & alijs animæ functionibus prouenientem, exoluitur: siquidem in centum annos, eius ætatiua exsiccatio prorrogatur. Quauis etiam humidum copiosius, & perfectius dissoluto resumatur, corpus tamen semper exsiccatur à natiuo calido, ab ortu in iuuentutem, & à iuuentute in obitum. Ab ortu quidem in iuuentutem duplici ratione, à calido scilicet quatenus calidum est, & quatenus naturale est. Quia calidum quidem est, quoniam calidum à siccando, & vapore eliciendo, nulla ratione absolui potest: quatenus verò innatum, ab ortu in iuuentutem, siccatur, firmatur, atque perficitur, debile atque tenerum puerorum corpus. Perfectum enim apud Galenum, libro de Marasmo, id est, cui nulla propriarum actionum deest, ad quas tamen obeundas, firmioribus est instrumentis opus. Vnde reperiantur viuentibus duriores multæ partes, est opere precium, quas pueri habere nequeunt, quoniam ex semine molli, & fluido, recens fuerit formati, ac summè humidi editi, velut maris alga (autore Galeno, secundo libro de temperamentis, capite secundo) idque non vasis modo, & visceribus, ac carne, sed etiam ipsis ossibus, quæ scilicet siccissima sunt omnium quæ in nobis sunt partium. Verum tum hæc, tum reliqua tota vna cum his membra, quasi cerea sint, infantium nutrices fingunt, formantque, tanta est in toto puellorum corpore humiditas. Quin si recens editum porcellum vel esse, vel dissectum inspicere velis, carnem quidem eius mucosam, præhumidamque inuenies: osseum vero genus vniuersum, caseo quomodo sit coagulatus ad simile: adeo vt nuper nati animalis corpus, propter redundantem in eo humorem, libens non comedas: quod maximè, tum suilli, tum ouilli fetus corporibus accidit, propterea quod ea maximè sunt humida. Caprinum quod siccior sit, & melius esui vsui est, & iucundius. Contra verò quàm in nouellis porcellis, quæcumque iam senuerunt, hæc ossa quidem omnia, & ligamenta vniuersa præsicca, sine succo, & insipida possident: carnem vero nervosam & duram, arterias quoque, & venas, & nervos, ætatis culpa lori vice insuaues, & sine succo. Quæ medio statu horum, ac nuper natorum sunt, quæ vti que iam ætate procefferunt, quantum à senio absunt, tantum & ab extrema siccitate sunt remota. Hæc Galenus. Ex quibus liquido constat, puerorum corpora præhumida, imbecilla, & imperfecta esse. Si ea ergo ætatis lapsu non siccaret, firmaret, & solida redderet natura, imperfecta, & obeundis functionibus inepta relinqueret. Calidum ergo natiuum, quod in nostro corpore est, non solum quia calidum est, sed quia natiuum calidum, & natura est: primis ætatibus perficitur, & siccatur corpora nostra. Quod Auicenna, tertia primi, doctrina prima, capite vniico docuit, in hæc verba. Veruntamen perfectio, & integritas nostra, & potentia perficiendi operationem, non est nisi propter multam siccitatem, quæ nobis accidit:

deinde siccitas incessanter procedit, donec compleatur. Hæc igitur siccitas quæ no-
bis accidit, res est nobis necessaria: nos siquidem à principio rei, in vltima consisti-
mus humiditate: vnde procul dubio oportet, vt calor eam superet: quoniam si
non in ipsa suffocaretur. Procedit igitur procul dubio, in ipsam assidue agendo, &
ipsam semper exsiccando incedit. Post iuuentutem verò, corpora nostra ab eo-
dem natiuo calido siccantur, qua calidum est, non autem qua natiuum calidum:
vt enim siccitate, infantilia corpora perficiebantur, ita iuuenilia quoniam vlti-
rius siccantur, à perfectione vergunt, & subsistunt. Hæc ergo vltiorum æta-
tum siccitas, cum corpori sit incongrua, à natiuo calido, qua natiuum est, non præ-
tenditur: qua tale enim, dissolutioni proprij humidi maxime resistit. Ab eo ergo,
quatenus calidi naturam exuere nequiuit, etiam præter naturæ intentum, neces-
saria consequuntur gignitur: tantumque ætatis lapsu augetur, vt aridissimum,
summeque rugatum, in postrema senectâ corpus sit redditum, morsque tunc acce-
dat, naturalis appellata: non quoniam eiusmodi exsiccationem, aut mortem natu-
ra prætedat, sed quoniam necessaria consequuntur dicta, ad naturæ opera sequi-
tur, vt docet Galenus, libro de Marasmo. Sed quomodo innatum calidum, se ip-
sum consumit? Si enim quidpiam in se ipsum agere posset, idem esset, actu & poten-
tia, agit enim quatenus actu est, & patitur quatenus est potentia ad eundem ac-
tum: simul ergo esset, & non esset. Adhæc, si natiuum calidum in se ipsum ageret,
se ipso esset calidius, quod enim calefacit, calidius est calefacto: & quod calefit, si
maiorē, vel æqualem calorem nactum esset, non calefieret. Dicendum primo,
quod simplicia corpora, ob partium similitudinem intrinsecus alterari nequeunt:
secus verò mixta, in quibus elementa quæ inuicem contraria manent, per for-
mam mixti, non ita coercentur vt nihil agant, sed ita parum, vt se festinè non
interimant. Dicendum secundo, quod calor natiuus non calefacit se ipsum, sed
suum calorem seruando ob id exsiccat, quod humidam substantiam effluere, ac vapo-
rare facit: perinde ac feruens aqua, quæ ab igne separata, ex calore in se concepto,
tam diu euaporat, quam diu calorem seruat. Est autem hæc à natiuo calido exsicca-
tio tam necessaria, vt quauis perfectius, & copiosius humidum exoluto repararetur,
necessario corpus magis, ac magis siccesceret, ob terream partem alimenti, quæ ex
quauis nutritione in membris relinquitur: hæc enim sola exolui nequit. Quare
necessaria consequuntur fit, vt membra tandem reddantur terrea. Fieri etiam ne-
quit, vt humidum substantificum quod reparatur, perfectius sit, atque humidius
exoluto: Corpori enim nutriendo debet assimilari, quod cū indies sit siccius, siccius
quoque suffici debet, quam fuerit resolutum, in cuius locum succedit. Pars etiam
alimenti, indies à membris siccius trahitur in corpus ob similitudinē. Parcius etiā,
& minori semper quantitate, de huiusmodi humido alimentitio, in corpus trahi-
tur, & commutatur: tum ob innatum calidum nutritionis autorem, quod frigere,
& inclinare cæpit: tum etiam ob membrorum siccitatem minus penetrabilem ab ali-
mento,

mento, & magis ab ipso distantē: succus enim alimentitius, facilius in humida, quam
sicca mēbra commutatur ob symbolū. Nec obstat aliud, quod scilicet humidū radicale
similare sit: non enim quæ talia sunt, partes habent prorsus similes, magis enim simi-
laris est aqua, eius tamen partes simul ab igne non euaporantur, sed quædam citius,
tardissime vero aliæ. Humidum vero radicale, intra triduum exolueretur, nulla e-
ius parte fortè seruata, nisi succo reficeretur alimentitio, vt Auicenna docet. 3. 1.
doct. 1. cap. vnico, in hæc verba. Corpus autem non permanet tempore quo perdu-
rat: propterea quod ipsius innata humiditas prima, resolutioni resistit caloris mun-
dani, & caloris sui corporis in natura sui, & eius quod ex motibus accidit suis, hæc
tam longa resistentia, quoniā ipsa est resistens debilius, quā sit illa: immò ipsam stare
non facit nisi illud, quod restaurat illud, quod ex ea resoluitur: & est nutriens. Sicca
verò tēperatura (vt ad aliud de commutatione sicca in humidā temperaturā dubium
accedamus) quæ per totā (verbi gratia) adolescentiā, in humidā arte medici permuta-
tatur, vere non humectatur, quoniā indies fit siccius ex ætate labente, sed minus ac
tardius exsiccat, quā pro ratione sicca naturæ foret exsiccada: ita vt ad finē cō-
mutationis sit humidior, quā foret sine commutatione iuuentus, siccius tamen quā
fuerit tota vita antea. Quare sicca temperatura, potest in humidam commutari,
& quæ aut ab initio fuit humida, aut ex sicca in humidam commutata est, potest in
humore, suo temperamento & ætati respondente conseruari: ita vt illa omnes æta-
tes ab ortu, hæc vero à tempore quo commutationem subijt humiditas habeant. Nec ta-
men sanguineum arte factum, post commutationem æquè longæuū esse, cum sangui-
neo ab ortu arbitratur hali. 2. lib. Artis medicinalis, idq. recte: Primo, quoniā mor-
bis ex putredine magis exponitur. Secundo, quoniam in permutatione ad sangui-
neum, licet humidior substantia fuerit comparata, quo ad qualitatem: non tamen re-
paratur quantitas humidi substantifici maior præexistente. Maior autem caloris
atque humiditatis qualitas, in huiusmodi permutatione inducta, licet naturalē mor-
tem remoret, non tantum protrahere potest, ac substantia humidi radicalis auctior:
morbis vero ex putredine magis exponitur. Nec obstat thurisanus monachus, hali
reprehendens. 2. lib. Artis medicæ, com. 64. quoniam complexio (inquit) humida
omnis, quantūlibet sit naturalis, putredini obnoxia est. Nec enim id, aut negat, aut
ignorat hali, sed magis exponi putredini, minusq. superesse aduentitiā naturali,
vtiliter decernit. Alexipharmaca vero, ob id nos à veneno defendunt, quoniam su-
perant & corrumpunt vim veneni nos interimentis: ab innati vero caloris exsicca-
tione, non possunt ita nos defendere: quoniam si innatum calorem corrumpant & su-
perent, mortem pro exsiccationis carentia accersent. Nullā autem esse artem, quæ
naturalem vitæ terminum protrahat, scripsit Auicenna. 3. 1. cap. 1. Nam conserua-
toria medicinæ pars de duabus (inquit) rebus, securitatem præbet, putrefactionis
penitus prohibitione, & in defensione humiditatis ne cito resoluitur: & in ipsius
quidem fortitudine consistat, vt ipsum vsque ad debitum tempus, secundum suam

primam complexionem permanere faciat. Prima, quæ putrefactionem arcet, non fit per humectantia, sed ne humilitas calori dominetur prospicit, & recrementorum totius corporis vacationi præsidet. Secunda vero, victum reficientem, & restaurantem instituit: siue victu enim intra triduum ferè, radicale humidum depopulare tur: cum victu parco, ad annos fortè sexaginta durabit: cum mediocri, ad octoginta: cum refectorio, ultimam vitæ periodum anni centesimi, aut propè assequetur. Neutrius autem horū repetitio ultra id quod ex arte est, vitam protrahit: si enim ut putrefactionem arceas, aut plus sicces, aut recrementorum vacationi magis insistas, corpus citius exsiccabis, & vtilem substantiã colliques est necessum: si vero ut maiori refectioe utaris, plus alimenti tribuas, calor non vincet ipsum, sed superabitur & opprimetur multitudo oblati. Si in neutro autem sit erratum, nec quod exhaustum est restituendo, nec excrementis expellendis: & sanitate interim corpus fruatur, & vigoris tenorem quam longissimè animal seruabit, ut scribit Galenus. 1. lib. de sanit. tuen. Perpetuæ ergo exsiccationis à cõceptu in obitū, senij quoq; & mortis naturalis causa vna, ignis internus est: altera, natiuus calor vsq; ad iuuentutem exsiccans, ut calor, & ut naturalis, post iuuentutem verò ut calor est, à ratione enim exsiccandi absolui nequiuit. Tertia est, pars terrea membrorum & alimenti, quæ nunquam effluit, sed semper permanens, mēbra tandem reddit terrea. Quarta, parciore est post iuuentutem nutritio, tum ex parte caloris cõmutantis, qui declinare cõpit, simul cum humidi radicalis exsiccatione: tum ex parte corporis nutriendi, quod ob siccitatem difficilius admittit alimentum, ipsumq; ob familiaritatem, siccitius ad membra quam antea, è vētriculo semper allicit: tum ex parte conuersionis succi alimentitij in mēbra, quæ tanto difficilior est, quanto symbolus inter ipsa est minor. Accedūt & causæ externæ exsiccates, motus corporei, labores, & exercitamenta, iræ, & excandescentiæ, metus, tristitiæ, timores, & aliæ animæ perturbationes exsiccates, vigiliæ, vacationes, venerea præsertim, quæ in exsiccado, & humidū nostrū hauriendo, ingētes vires possident: alimēta insuper, & quæ interim ex ipsis aceruantur recrementa, quæ cum faciliè putredine corripiantur, febres accendunt nos exsiccantes. Hæc verò deuitare, aut fortè moderare arte tuendæ sanitatis instructus quispiã posset, ut nec saluti, nec vitæ protractioni obessent. Altera vero, quæ ab aëre nos ambiente alteratio pendet, deuitari nequit: aër enim (ut scribit Auerhous. 6. coll. cap. 4.) semper exsiccatur: & Auicēna. 2. 1. doct. 2. cap. 3. In omni dispositione nos resoluit, & exsiccatur, propter illud quod in eo existit de virtute solis & stellarū. Vnde (inquit) efficitur, ut humiditas in corporibus discoopertis aëri, aut in ipso aëre non permaneat, nisi propter emanationem successiuã. Humectū nanq; linteum aëri expositum, nisi continua humectatione madescat exsiccatur: itidem & lacus, ac alia humida, quæ aquam aliunde manantem non excipiunt. Huius etiam in nostro corpore ab aëre exsiccationis, causam aliam, tradunt alij, ex aëris natiua temperie desumptam, cum enim calidius natura sit, partes membrorum calidiores ma-

res ma-

res maximeq; aëreas calefacit, calfactas vero ad se trahit, ob symbolum enim facile euocatur, quo fit ut partes quæ relinquuntur, frigidiores restēt & sicciore. Sed quo modo semper nos exsiccatur aër, si interdum nos humefacit, & humiditate lædit? primo enim libro de sanitate tuenda, ita scribit Galenus. Ille nēpe qui circumfunditur aër, nos lædit, vel quod calidos immo dicē, vel quod frigidus, vel quod siccos, vel quod humidus efficit. Et primo libro Epidemiarum, parte prima, com. 8. ita habet. Quare si verum est, cum aëre simul alterari animalium corpora, per imbres fiet humidiora, per squalores sicciore. Eodem etiã libro, parte secunda, com. 7. ad hunc modum. Etenim frigide causæ cutem constipantes, humores prohibent digestionem: tum autem humiditas aëris, non modo remouet à corpore quicquam, sed adijcit. Tertio etiã libro Aphorismorum, com. 7. ita scribit. Nam aëris ambientis humiditas, pituitosos aceruat humores, & non paucas generat aquosas superfluitates. E quibus locis, aërem interdum humescere, pituitam & aquosa recrementa aceruare, & plenitudini adijcere constat. Non ergo in omni dispositione nos exsiccatur, ut Auerroes & Auicennæ fuit visum: nec ideo aër senij, & mortis naturalis, concausa esse potest, quia siccat, ut eidem placuit Auicennæ. 1. 1. doct. 4. cap. 3. Huic dubitationi dicendum est, quod aër in omni dispositione nos exsiccatur, vi solus & stellarum, ac sibi ingenti caloris: cum hoc tamē stat, humiditatem inductam ab aëre, cum pluuius est, esse maiore, siccitate inducta ab sole & stellis. Aër etenim pluuius humefacit nos, & humiditates adauget quadrifariã. Primo, condisponendo & attēperando sibi corpora nostra (intemperiem scilicet humidam quam habet creando) humidior enim est nobis, cum ergo nos extra ambiat, & intus per inspiratum & perspiratum peruadat, necessario humefaciet: & tanto magis quanto crassior, obstruentior, & magis quietus redditur, sic enim operatur vehementius. Secundo, humores fundendo, concretum enim minus, fusi autem atque fluentes, magis humefaciunt. Tertio, pituitam & aquosa recrementa gignendo, augetur enim per hyemem pituita, corpore ex aëris contactu refrigerato ac humectato, perinde ac æstate bilis, calfacto pariter & siccat, ut auctor est Gal. lib. 2. Crisiū, cap. 3. Quarto, ab dissolutione prohibēdo, quauis enim semper à corpore nostro emanet vapor aliquis, in siccis statibus plurimus est, in humidis vero parcissimus, ut scribit Galenus. 1. lib. Epidemiarum, parte prima, com. 8. Quare in humido statu, congeritur plus quam vacuetur, indigetq; corpus abundantiore exercitio, & purgatione, ut scribit Galenus. 3. lib. Aphorismorum, com. 15. & in sicco vacuatur, plus quam congeratur. Hæc autem omnes humefaciendi rationes, maiores inessent aëri, si calore & lumine solis, ac stellarum destitueretur: quoniam verò nunquam destituitur, semper nos desiccare voluit Auicenna: quia aut siccitatem inducit, aut humefaciendi vim imminuit, quam vdius aër, in nos exerceret validius. Perinde etiam aërem, in nos contraria interdum operari, ac compositum ex opio congelante, & castoreo discutiente: ex repellente item & resolvente: ex laxante & adstringente: absolum non est.

An

An vero si humidum radicale, nec ab internis, nec externis causis exsiccaretur, homo mortem effugere posset, est dubium. Galenus enim. i. lib. de sani. tuen. ita scribit. Nam si quale erat ipsum quod effluxit, tale prorsus adiungere agglutinareq; ei per totum liceret, optimū id saluberrimūq; plane esset. Et libro de marasmo, ad hunc modum. Si natura igitur, ubi ad summum vigorem animal plantam de proe- xit, totidem rursus æquis viribus elementa inserere pariter liceret, scitum modera- torem natura, opificium suum citra senium & incorruptibile fecisset. Hac fortuna felicissima in paradiso voluptatis frueremur, ubi lignū vitæ scitus ille moderator totius mundi dominus, esui nostro præparauerat: de quo manducantes præseruati fuissimus ab omni senio, infirmitate & corruptione mortis: hoc sanè, radicale humi- dum integrum seruaret, internum ignem præpediret, ne post iuuentutem corpus no- strum vel minimum siccaret, & ne membra terrea redderentur præcaueret, donec ad superna gaudia cæli, summæ iucunditatis, vigoris, & incorruptionis, vitam agen- tes, dominus in locum collapsorum demonum nos transfuisset. Sed heu sortem no- stram miserandam: nullum tunc peccati fomitem, nullamq; ad malum inclinationem habentes, peccauimus: præceptum nequitiam graue nobis futurum, ad nostram tan- tum probationem datum, transigentes. Eius enim præuaricatores effecti, reëctitudi- ne, & originali iustitia, priuati fuimus: & de nostra cœpimus erubescere nuditate, latibula, & arborum quibus operiremur folia quærētes. Sed ô rursus miserandam ac deſendam fortunam nostram: quod cum nos iam lapsos visitauerit, ac vocaue- rit dominus, vt interuentu pœnitentiæ ad gratiam restitueret, attamen prauiores ef- fecti, pro agnitione peccati, confessione, atq; pœnitentiæ: excusationem ipsi dedimus, culpam à nobis ipsis in coniugem, & à coniuge in serpentem quæ nos seduxit depel- lentes. Hinc doloris, ac mortis, iusta sententia in nos prolata est, vt aut morbis, aut senio confectus, reddeat homo in puluerem de quo formatus est, & quemadmodum sanctus scribit Apostolus, ad Hebræos. 9. Statutum est omnibus hominibus semel mori: post hoc autem iudicium. Vt nimirū, qui alias probati, præuaricauimus in lum- bis Adæ, nunc rursus à peccati labe, baptismo expiati, per nos metipsos probemur, & iuxta facta nostra iudicemur. Mortem ergo peccatum nobis inuexit, quod per vnum hominem in mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homi- nes mors pertransiit, vt scribit Apostolus ad Romanos. 5. Vt enim originale ius- titiam patri nostro Adæ, non pro se ipso tantum, sed pro vniuersa posteritate sua, dederat dominus: ita eam in ipso omnes amissimus, & originalem maculam, ac huma- næ nature corruptelam & mortem, velut hereditarium opprobriū, & latam igno- minie sententiā, ab ipso iuste traximus. Ab hac autem perpetienda, ceu à supremo & altissimo iudice prolata, nemo arte vlla effugere potest. Verbum nanq; Dei per- manet in æternum, Psalmo. 118. Ipse est qui naturam condidit, & talia generatio- nis nostræ iecit fundamenta, qualia pro sua sententia obseruanda conuenire fuit ra- tus. Hanc euertere medici, ac philosophi plurimi tentarunt, viam inquirentes, qua
senium,

senium & mortem euitarent: eā vero inuenire desperās Galenus, libro de marasmo, ita scribit. Qui enim quæ primordia generationis animalium necessario sequuntur, fieri vetet quis? aut facta infecta reddat? Quasi dicat nulla est ars, neque potentia, quæ hoc facere possit. Et Auicenna. i. i. doct. 3. cap. 3. postquā mortis naturalis & accidētariæ meminit, subdit. Totū tamen diuino prouenit præcepto. Quod vtinam Christiani intelligamus. Erant ante inobedientiam, ac peccatum, sensuales animæ facultates, rationi ac voluntati parētes, & subiectæ. Contrariā elemēta, quibus con- stamus, nihil magis quam nostri compositionem affectabant: priorum locorum, ac simplicis suæ nature veluti oblita, ab actione mutua contrariorū, amicitia quadam cessabant. Ignis innatus, innatum quoque calidum, nihil quod ex vsu non esset ani- manti siccabat: aer, cœlestesq; afflatus, erant saluberrimi, & nos seruātes. Alimenta supraquā par est conuenientia: lignum vitæ talem dotem habebat, vt mortalis caro, ex eius esu redderetur immortalis. Post peccatū vero ac inobedentiā Deo exhibi- bitā, omnia in nos rebellauerunt. Caro (vt scribit Apostolus ad Galatas. 5.) concupis- cit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: hæc enim duo sibi inuicem ad- uersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Elemēta quibus constamus, à for- ma misti vnita stare cœrentur potius, quam amicitia exacta detineantur: hunc enim elementorum appetitum redeundi ad propria loca, causam esse dissolutionis mistorum agnouit. Auerrhois. 2. lib. cœli, com. 37. Cum præterea in singulo quoq; composito, vnicum saltem elementum cætera vincat, paulatim à cobitationis ini- tio cætera vincet, si ipsorum inimicitia prorsus non est sedata. Innatus calor ex con- tinua repassione, quam ab alimentis non prorsus similibus accipit, imbecillior fit nu- triendo: & ipsa iterum alimentorum excrementa vires deiciunt. Aer quoq; quan- tumuis similis, & locati conseruatiuus sumatur, diuersum à nobis temperamentum sortitur: quare nos semper alterat & conficit. Tot ergo iam cōtrarijs agitatur, vt quauis nulla resolutio interueniret, mortem oppetere esset necessum: virtus enim finita, finito tantum tempore, cōtrarijs semper occurrentibus resistat est opus. Quod præterea potest imbecillius fieri, potest interire, eadem enim causa quæ virium par- tem adimit, si longè validior fiat, ex toto corrumpet: homo autem etsi nihil resoluatur, animi perturbationibus, & corporis motibus, gladio, estu, vel ciborum culpa, fe- liciter, aut aliter ægrotare potest: ergo iisdem causis, tam internis, quam externis in- teriret: suūq; opificium incorruptibile non fecisset natura, vt Galenus dicere vi- sus est: qui tamen verbo incorruptibilis, non prorsus incorruptibile, sed vix cor- ruptibile intellexit, velut aurum, aut adamas, quæ in annorum millia durant.

Ætates ergo (vt quo huc processimus redeamus) merito distinguit Galenus. 2. li- bro de temperamentis, humiditate ac siccitate: nam ab ortu in interitum semper ac inuitabiliter exsiccatur. In actiuis vero qualitatibus non adeo per omnes ætates immutatur: nam quantum sensus iudicare potest, idem caloris gradus seruatur ab ortu, per vniuersam pueritiam, adolescentiam, & iuuentutem, vt Galenus scribit.

2. lib. de temperamentis, cap. 6. & 7. Quod quo modo contingat, & speciatim quod sit cuiusque ætatis temperamentum, sequens caput decernet.

De singularum ætatum temperamentis.

CAPUT XVI.



PERITIAM calidam, atque humidam esse constat. Primo, quoniam ex semine & sanguine menstruo, calidis atque humidis, recens pueri fuerit formati. Secundo, quoniam nature operatione, nutritionis & augmentationis, quæ calido atque humido obeuntur, in pueris sunt perfectiora. Nam quæ augentur corpora (ut docet Hippocrates. 1. lib. Aphorismorum, sententia. 14.) plurimum habent calidi innati, id est natiui caloris extendentis, & humidæ materie, quæ extensionem tollerent. Ob id, eò augemur magis, quò ortui propiores sumus: quoniam hæc duo principia, tunc auctiora habemus. Tertio, ex experimēto tactus, quò pueros recens natos, multum, blandum tamen, ac placidum calorē habere iudicamus: multum quidem, quoniam verè copiosus est, blandum vero ac placidum, ob humiditatem coniunctam, quæ calorem sopit, sicut siccitas acuit & mordentiorē ipsum reddit. Quarto, ex experimēto gustus, nam recens nata animalia, esui sunt tenera, ob humiditatem: & ea nisi ex natura siccis sint animalibus orta, libetè præ mucore, ac humiditate, non comedas: ut Galenus scribit. 2. lib. de temperamentis, cap. 2. Hinc pueri somnolenti sunt, & parum intellectu valentes, ob humiditatis excessum: senes contra, vigiles, & intellectu præstantes, ob siccitatem. Qui vero ex pueris sunt præcoci ingenij, & siccissimi sua natura sunt cerebri: quare adultiores effecti, ob superfluam siccitatem, quæ actum propriæ virtutis deicit, non sunt admodum sapientes. Hinc etiam lac, fructus, & humida alimēta appetunt pueri, admodum bibuli sunt: ob similitudinem, quæ sui similis est appetitiua. Sed dubia sunt. Primum, quòd si pueritia est calida & humida, nullus puer erit temperatus, aut temperatum corpus, intemperatā habebit aliquam ætatem. Secundū, quòd. 3. lib. de Placitis, post medium, ita scribit Galenus. Hac oratione Hippocrates quauis de temporum diuersitate tantum egerit, facultate tamen de ætatibus etiam, & regionibus videtur docuisse. Nam semper ipse, in omnibus quæ qualibet in oratione præcipit, tēpus anni & regionem, & ætatem inspectandam monet: & quòdcunque de vno ex his a diueris, ad reliqua duo transferre te id vult per similitudinem: eandem siquidem rationem in ætatibus puer, quam in quatuor temporibus ver habet, eandem iuuenis quam æstas, eandem senex quam autūnus, eandem prostrimo decrepitis quæ hyems: pari modo & ex regionibus, temperata veri, calida æstati: quæ in caliditate & frigiditate inæqualis, frigiditate tamen & siccitate exuperat, autumno: frigida & humida, hyemi correspondet. Quibus verbis patet, pueros similiter ac ver temperatos statuiffe.

tuisse. Tertium, quòd pueri bene se habent vere, ut scribit Hippocrates. 3. lib. Aphorismorum, sententia. 18. ergo temperati sunt, iuxta doctrinam traditam eodem libro, com. 3. ubi ita scribit Galenus. Nam calidiores ad frigidiores, frigidiores vero ad calidiores, & sicciores quidem ad humidiores, humidiores vero ad sicciores bene se habent. Et ut simpliciter dixerim, contrarij quidem ad contraria bene, similes autem ad similia male, præterquam si ætas temperata & victui & regioni, & loco temperato cõparetur: hoc enim solo modo, similes à similibus bene afficientur. Quartū, si pueri sunt calidissimi ac humidissimi, quo modo facillimè corripuntur morbis frigidis, & conuulsione sicca? Quintū, si tanta abundat copia calidi innati, a quo omnes functiones eduntur, cur ad animales functiones parum, & ad vitales minus iuuenibus sunt apti? pulsus enim nec maximos, nec vehentissimos habent ut iuuenes, autore Galeno. 3. lib. de causis pulsuum, cap. 5. Sed primum nõ obstat, quoniam omnis complexio, tam temperata quam intemperata, ingentem habet latitudinem ætatibus respondentem: intra quam puer, calidissimus est ac humidissimus, senex vero, frigidissimus & siccissimus, ut scribit Hippocrates. 2. lib. de natura humana, a sententia. 12. in. 15. Quòd vero lib. 8. de placitis, pueros statuit temperatos Galenus, idem est ac si dixisset plurimum calidi innati habentes: calidum enim innatum temperatum esse existimat, eodem libro infra, in hæc verba. Nam si ab igne ciborum coctio, digestio, sanguificatio, & nutritio fieret, melius & citius etiam in febrientibus omnia hæc conspicerentur absolui: sed insitus calor temperatus cum sit, substantia quidem in sanguine & spiritu subsistit, qualitate est congruè ex caliditate & frigiditate temperatus. Sanguinem autem atque spiritum, bene temperata esse, & congruè ex caliditate, ac frigiditate temperari: in ordine ad operationes intelligere debemus. Primo, quoniam id sonant aduerbia illa bene, & congruè. Secundo, quoniam cutis comparatione valde calent, ut supra diximus: quare cum hanc temperiem veri cõparat, aliter puero ac veri, temperati nomen conuenire intelligamus. Nam ver (ut constat ex Galeno. 1. lib. de temperamentis, cap. 9.) simpliciter temperatum est, in ordine scilicet ad cutim, quia nec calefcit, nec frigescit cutis, ex aere vero suam naturam seruante, puer vero temperatus est, & similiter innatum calidum, non simpliciter, sed in ordine ad operationes naturales, quibus pueri & quæ augentur corpora præstant reliquis. Sanguis enim calidissimus est in ordine ad cutim, ut scribit Galenus. 1. lib. de temperamentis, cap. ultimo, & spiritus sunt calidiores sanguinis, qui tamen ad vnguem temperati statuuntur à Gal. 5. lib. simplicium, cap. 8. si ergo temperati sunt, non aliter quam in ordine ad operationes sunt temperati. Quòd ipsa Galeni verba significant. 5. lib. simplicium citato, in hunc modum. Verum expedit halituosum & calidum spiritum contineri quam plurimum, & ad vnguem caliditate symmetriū: quippe cum hic in pueris copiosissimus, omnes actiones naturales adaugeat. Quibus verbis patet, temperatum esse spiritum ob id censuisse, quoniam naturales adaugeat actiones. Primo etiam lib. Aphorism. postquam commentario. 14. bene

bene temperatam esse dixit caloris natiui substantiam: cōmentario sequenti, ita scribit Galenus. Pueri quia calidum plurimum habent, iccirco & pluribus indigent, & plurā concoquūt. Et paulo infra. Hic igitur cum sit omnium operum naturalium causa, quia plurimus est hyberno tempore, iccirco cibi appetentiam intēdit, coctiōnes auget, & plus sanguinis accumulāt, & crassius corpus efficit, & ut superfluitates excernantur prouidentiam habet. Quibus verbis patet, in ordine ad opera naturalia, maximam vim, & temperiem iustitiae, calidum innatum habere: quod cum in pueris sit copiosius, hac ratione temperatiores quam qui alias aetates agunt possunt appellari. Tūc vero dicimus pueros naturalibus operationibus reliquis praestare, quando coctio, nutritio, & auctio, in quas reliquae ministrantes ordinantur, melius fiunt: quauis ex ipsis ministrantibus aliqua sint inferiores, attractio nempe, & expulsio, quae in adolescentia & iuuentute ob instrumentorum firmitatem maiorem melius obeuntur: sicut enim omni motui à fine inditur nomen, ita in actionum congerie, ab actione in quam caeterae ordinantur, ipsarum praestantia & dignitas est aestimanda. Nec oportet, ut vitales ac animales functiones (quod obijciebatur) habeant pueri perfectiores, quantūuis calidum innatum sit instrumentum ipsarum: facultates enim vitalis & animalis, imbecilliores sunt, & pluri humido mersae, quam sua natura poscat. Ex qua etiā imbecillitate, & partium pueri mollitie, & teneritudine, pēdet quod frigidis morbis & conuulsione sicca corripantur facile: perinde ac conualescens qui licet calidae sit temperatura, prōptius offenditur à frigore, quam pituitosus, sanus & robustus: nam imbecillae facultates (inquit Galenus. 2. lib. de praesagatione expulsiōibus, cap. 4.) à paruis saepe occasionibus offenduntur: valida autem (ut scribitur 2. de causis symptomatū, cap. 5.) offendentia spernūt. Libro vero. 3. Aphorismorum, sententia. 18. ita scribit Hippocrates. Per tempora anni, vere quidem, & prima aestate, pueri, & qui hos sequuntur aetate, optimè degunt & sani sunt maximè. Qua sententia nō accommodat ambas aetates, binis temporibus, sed singulas singulis: adulescētes nempe veri, & pueros aestatis initio, in quo humiditas illorum immodica quadantenus cōpescatur. Ob idq̄ Galenus in cōmentario magis exquisitus (inquit) sermo fuisset si ita scripsisset, adulescentes vere, pueri aestatis principio optimè degunt.

Post pueritiam, adolescentia sequitur, quae veri optimè temperato comparatur: ob idq̄ omnium aetatum optima, statuitur à Galeno. 3. lib. Aphorismorum, com. 18. de qua etiam. 6. lib. de sanitate tuenda, cap. 2. ita scribit. Optimam temperiem in adolescentia corpus obtinet, reliquae omnes aetates, deteriores hac sunt. Nam cum pueri plus habeant humiditatis, quam salubris habitus postulat (ut scribit Galenus, libro de salubri dieta, com. 7.) ita in adolescentia natiui caloris actione, & exsiccatione profecit: ut nec humiditate, puerorum officiat actionibus, nec siccitate calorem acuat & mordentem reddat, ut iuuenibus. Ob id adolescentia aetas est omnium temperatissima ad iustitiam: quia quauis animalia opera, aliquanto deterius faciat quam iuuentus: & naturalia quam pueritia: utraq; tamē efficit sine culpa. Temperatum enim

enim corpus, singulis corporibus aliqua in re inferius est, ante omnia tamen potissimum deligendum, ut Galenus scribit, libro de optima nostri corporis constitutione. Sed dubium est, quoniam usque ad iuuentutem corpus perficitur & adulescit, ergo in iuuentute, quae finis est motus, & aetas adulta appellatur (quoniam omnem perfectionem quam adolendo corpus acquisiuit, factam habet, & in termino constitutam) perfectior est homo: quare perfectius temperamentum habet. Adhaec crementum quod per totam fit adolescentiam, in nullum aliud quam humidum temperamentum potest incidere, ut Galenus scribit libro de salubri dieta, com. 7. ergo adolescentia non est temperatissima, sed iuuentus, in qua iam corpus augeri desijt, & vires omnes robustas habet, quoniam tunc primum ad humidum labi desijt homo. Quod primo libro de sanitate tuenda adstruere videtur Galenus, in haec verba. Iam vero in lucem editum, & magnitudine proficit, & tum siccius, tum valentius semper efficitur: donec ad summum incrementum (καρμὴ Græci vocant) sit peruentum. Tum vero & incrementum omne sistitur, ossibus nimirum ipsis per siccitatem nō ultra sequacibus: & sanguinis spiritusq̄ vasa, spiritus ipsius flatu in latum aguntur: cuncta denique membra, non solum robusta fiunt, sed etiam vires suas summas obtinent. Et libro de marasmo, ita scribit. Si natura igitur ubi ad summum vigorem animal plantam ve prouexit, totidem rursus equis viribus elementa inferere pariter liceret, scitum moderatorem nata: opificium suum citra senium & incorruptibile fecisset. Quibus verbis patet, hanc aetatem eam esse, in qua humiditas anteriorum aetatum, ad temperamentum, ac robur, & summam perfectionem venit. Quod tamen apertius. 2. lib. de temperamentis, cap. 2. scripsit in haec verba. Florescens vero aetas, omnium animalium maximè in medio extremorum est, neq; sicut senium ad summam perducta siccitate, neq; velut infantium aetas in humore & multo vuido mersa. Quibus verbis Galenus, iuuentutem omnium aetatum temperatissimam esse adstruere videtur: ob idq̄ florens & vicens quoniam in vigore est, haec aetas appellatur: in qua etiam corpus diutissime seruare per tuenda sanitate artem studet Galenus. Libro enim primo de sanitate tuenda, ubi duos scopos praecipuos seruandae sanitate memorauit: effluentis scilicet è nobis substantiae (cibo, potu, respiratione, & arteriarum pulsu) restitutionem: & excrementorum quae inde gignuntur euacuationem: tertium scopum addit inquit. Tertius qui huc spectat, ne animal praepropere senescat, duos iam dictos necessario committatur. Si enim in neutro sit erratum, nec quod exhaustum est restituendo, nec excrementis expellendis: & sanitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem quam longissime seruabit. Si diu ergo aetatem vigoris, aut iuuentutis, potius quam aliam seruare studet, ea est utique temperatissima, & omnium optima. Huic dubitationi dicendum est, quod aetas temperatissima, plus humiditatis, quam siccitatis debet habere: caloris namque suauitas & placiditas, sine humiditate abundantiori seruari nequit, acris enim & mordax

mordax reddi ser, ubi siccitas aut excedit, aut humiditati aequatur. Quare in aetate adolescentis, non dum corpus medium punctuale, sicci atque humidi attingit, sed citra restitit: tum quia calorem habet non mordacem, tum quia crementum in nullo praeter humidum temperamentum potest incidere. Iuuentus vero, aut florens aetas, maxime in medio extremorum est, nec sicut senium ad summam perducta siccitatem, nec velut infantium aetas in humore & multo vuido mersa, ut secundo libro de temperamentis, cap. 2. scripsit Gal. Dixit autem iuuentutem esse in medio extremorum, pueritiae scilicet & senectutis, tum quoniam huic interiacet vergens aetas, illi vero pubertas: tum quoniam a ratione crescendi, iuuenes non ob aliud absoluuntur, quam quod humidum temperamentum anteriorum aetatum, siccitas ipsorum coequavit. Nec enim audiendus est Gaspar Lopijs in eius sententiae enarratione, qui utramque aetatem (adolescenciam nempe & iuuentutem) in medio extremorum sitas esse perhibet: quoniam inter quaecunque extrema (inquit) sunt plura media, exactum tamen & punctuale medium unum est: idque in adolescentia (ut putat) quae temperatissima est, non autem in iuuentute corpus assequitur. Contra tamen est, quod non modo dixit Galenus, florentem aetatem esse in medio, sed maxime in medio extremorum esse. Adolescentes praeterea non crescerent nisi essent humidi. Sed dubium est, nam si iuuentus maxime est in medio extremorum, quomodo poterit adolescentia dici aetas temperatissima? Dicendum, quod Galenus non dixit iuuentam esse in medio omnium extremorum, sed in medio sicci, atque humidi: actiuarum namque mediocritas, non seruatur cum ea mediocritate passiuarum, sed plus humiditatis, quam siccitatis exquirat: aliter enim calor mordentior, & bilis creator redditur. Ob idque plus intemperat iuuentutis siccitas calorem acuendo, quam temperet humiditatem adolescentiae sibi coequando. Adolescens enim modo non sit incontinens (ut scribit Galenus tertio libro Prognosticorum, comment. 30.) solo sanguine abundat, cum in pueritia crudus humor vigeat, in iuuenta autem bilis: cuius ratione iuuenes biliosis morbis sunt obnoxij, & pueri pituitosis: a quibus omnibus adolescentibus plus absunt, licet a sanguineis mitioribus non sint prorsus immunes. Quod tamen non obstat temperatissimae aetati, sicut enim honestum virum appellamus eum qui nulla ex parte valde est culpabilis, ita aetatem temperatissimam, quae nulla actione valde deficit, nullique morbo valde obnoxia est: adolescentia autem licet in animalibus actionibus excedatur a iuuenta, & in naturalibus a pueritia, utraque tamen sufficienter & sine culpa efficit: qua tamen non vacat pueritia in functionibus animalibus, nec iuuenta in naturalibus, siquidem haec plus bilis gignit, illa vero motuum firmitate & mentis exacta actione caret: ut auctor est Galenus, sexto libro de sanitate tuenda, capite secundo, in haec verba. Optimam namque temperiem in adolescentia corpus obtinet: reliquae omnes aetates deteriores haec sunt, ut prius est ostensum: atque hoc etiam meminisse conueniet, unum id quoque

ex ijs

ex ijs quae dicta sunt, cum enim duplices actiones in animalibus sint, certe corporales, pueri praecipuas obtinent: quae animi sunt, ea quae a pueris ad remissionem usque succedit aetas. Quibus verbis patet, temperatissimam aetatem ab aetatibus alijs excelsi, a pueritia in actionibus naturalibus, quas corporales appellat: & a iuuentute in animalibus & vitalibus. Ob quas duas, & ob corporis augmentum, ac robur anterioribus omnibus aetatibus inuectum, perfectior aetas est iuuentus, quam adolescentia: adolescentia vero est temperatior quam iuuenta: illud quidem, quoniam praeter animi opera quibus praestat, nutritione, & augmento corporali ex alijs aetatibus accepto, tantum profecit iuuenis, ut quauis naturales seu corporales suae aetatis actiones vitio non careant, perfectior tamen, vegetior, ac vigorosior, quam alia omni aetate sit: hoc vero, quia adolescens utraque actiones exercet sine culpa, qua non vacat iuuenis in naturalibus, dum bilem abundantiore creat, & biliosis morbis redditur obnoxius. Auicenna vero confundens aetatem perfectam, cum aetate temperata, dum prima primi, iuuentutem dixit habere complexionem magis aequalem, recipiendus non est. Ex quo errore pendet alter, dum tertia primi, doctrina prima, capite secundo, in deligenda aetate nutricis ita scribit. Dicemus itaque quod melius est quod sit aetatis, quae est inter viginti quinque, & triginta quinque annos, quoniam haec aetas, est iuuentutis & sanitatis, & complementi. Haec Auicenna. At quis non videt, lac biliosum, ex bilioso huius aetatis sanguine, minus probandum esse infantibus, quam temperatum quod in adolescentia prouenit? Nec vigoris praeterea aetatem (ut altere obiectioni occurramus) protrahere studet Galenus, quoniam sit temperatior: sed quoniam vigorosior, & quoniam statim ac ab hac decidit animans, vergit, & in senium obitum quam finitimum labitur. Nam & reliquas eius etiam aetates protrahere etiam studemus. Ob idque pueros (quauis ad humidum sua natura lapsos) exsiccare non permittit Galenus, libro de salubri dieta, com. 7. in haec verba. Veruntamen corpus puerorum, quauis habeat plus humiditatis, quam salubris habitus postulat, nihilo magis est siccandum: alioqui incremento prohibeas illos. Adolescentes etiam Galenus, quo diutius seruet, temperatis gubernandos esse, saepe saepius docet. Senes quoque victu reficit restaurante, quo incolumius degant, & diutius ipsorum vita protrahatur.

Iuuenum aetas in se calida est ac sicca. 2. lib. Aphorismorum, comment. 45. & 6. lib. de sanitate tuenda, & pluribus alijs locis apud Galenum, omnesque alios citra controuersiam auctores. Num autem pueritiae comparata, calidior sit, an minus calida, disquisitio est, quae tam antiquos quam iuniores exercuit: Hippocratem. 6. Epidemiarum, parte. 3. sententia. 15. ambiguum tenuit: & nostrorum etiam ingenia, plus forte quam par est torfit dialectica quaestio: sufficiet enim medico, aetatis temperiem seorsum consideratam, sine collatione ad aliam statuisse, ut ab ea conuenientes sumat indicationes. Iuuenum aetas (inquit Galenus libro de salubri dieta, com. 7.) plus iusto calida ac sicca est, ob quod contrariae dietae usus utilis ipsi habetur, hyemsque

Q 2

ob id

ob id iuuenibus maxime confert, hæc enim contraria est illi, quæ in his fit ex bilis multitudinem intemperaturæ, ut scribit Galenus. 3. lib. Aphorismorum, cōment. 18. in sanitatis scilicet tutela: nam in curatione morborum, à natura, & ætate, quantum uis intemperatis, sumitur indicatio ad similia, autore Galeno. 8. lib. methodi in fine. Ob hanc etiam ad calorem ac siccitatem cōmutationem, hæc ætas maximum affert auxilium, ijs qui morbo comitiali laborant, autore Galeno. 2. lib. Aphorismorum, cōment. 45. & 5. Aphorismorum, cōment. 7. Ob id etiam respirationes & pulsus maximos, habent iuuenes, ut scribit Galenus. 3. lib. de causis pulsuum. Ob id etiam plurimam bilem gignit hæc ætas, ut scribit Galenus. 3. lib. Prognosticorū, com. 30. ex qua rursus magis incallescit & exsiccatur: nam membra simulantur humoribus, tum quia nutriuntur illis, tum quia ex vicinia & contactu continuo, ipsis attemperantur. Ob id etiam iuuenes dura conficiunt alimenta, & tenuia adurunt, pili quoque nigri redduntur ex calore magis vrente, ut scribit Galenus. 2. lib. de temperamentis, cap. 11. & Paulus, lib. 1. cap. 60. Hinc Galenus. 1. lib. Aphorismorum, cōment. 14. similem proportionem calorem iuuenum, ad calorem puerorum dixit habere, ac calor febrientium ad calorem sanorum: febris autem calore sanorum est interior. Sexto insuper libro Epidemiarum, parte prima, cōment. 4. ita de comitiali tractans scribit. Finitur autem quo tempore pubescunt, si & in alijs ægrotus, ut decet se gesserit, quia totius corporis temperamentum ad siccius calidiusque conuertitur. Quo enim pacto iuuenis puero calidior sit, in libris de temperamentis didicisti, ubi etiam quomodo puer iuuenis sit calidior declarauimus: iuuenis quidem absolute calidior, puer vero non absolute, sed eo quod plus innati calidi possideat. Et eodem libro, parte tertia, cōment. 15. scribit ad hunc modum. Aut igitur adhuc dubitans hæc scripsit, temporis autem spatio, aliqua demonstratione comperta, de crescentium temperatura affirmavit: aut quod & melius est, & à nobis in commentarijs de temperamentis, & in Aphorismis disputatum, non absolute puer adulto calidior est, sed insito calore calidior. Calidum autem non ingenitum, eo absolute calidius monstratum est, quo adulti plus abundant. Libro etiam de salubri diæta, cōmentario. 7. ita scribit. Neque enim pueri simpliciter sunt, ut adulti calidi: sed natiuo calore qui temperatus est, qui in bono sanguine consistit. Tertio præterea libro de simplicium medicament. facult. cap. 2. ita scribit. Sed & eorum quæ actu dicuntur, aliud quidem absolute est calidum, frigidum, siccum, aut humidum, velut elementa: aliud excessu, ut homo, equus, bos, canis & vniuersa animalia: aliud ad symmetrum, seu generis sui, seu speciei, ut (verbi gratia) leo cum homine comparatus, homo autem ætate florens cum puero. Quibus verbis patet iuuenem absolute & simpliciter calidum esse, puerum vero non: quoniam nimirum omnia quæ recensuimus, fortiolem, vehementiorem, magis calfacientem, & vrentem esse iuuenem calorem conuincunt: quod scire valde, medico conducit & sufficit. An vero hæc maior vehementia, actiuitas & fortitudo, sit intensio maior,

an vero

an vero idem gradus caloris puerorum, fortior fiat ex siccitate adiuncta, quæstio est dialectica, quæ vtramque partem habet probabilem. In qua tamen iuxta Galeni doctrinam dicendum est, quod corpus temperatum, eodem gradu caloris (quantum sensus assequi valet) tenetur in pueritia & iuuentute: secus vero intemperatum. Næ frigidum & humidum, secundum calorem aperte augetur: quoniam huius calor exiguus, humiditate obruptus in pueritia, exurgit & vires assumit in iuuentute: humidum vero tantum, ut mediocre calorem obruit minus, ita in iuuentute, minus eius efflorescit calor, efflorescit tamen: sicut & in frigido tantum corpore, in quo mediocris humiditas, minus obruit calorem, obruit tamen, quoniam mediocri est minor. Quod voluit Galenus, primo libro de sanitate tuenda, in hæc verba. Quandoquidem omne animans ab ipso statim ortu siccius indies efficitur: minime tamen per omnes ætates aut calidius, aut frigidius euadit. Sed quorum optimè se habent corpora, ijs calor similis quodammodo, usque ad summum incrementum manet: quorum vero frigida humidaque supra optimæ conditionis corpus sunt, horum calor augetur. Hæc Galenus. Sicca vero corpora, in vigore perinde ac humida, calidiora fiunt: diuersa tamen ratione, quoniam sicca scilicet istorum corporum intemperantia, aucta per iuuentutem, calorem sibi acciscit, & sola esse nequit, ut scribit Galenus. 6. lib. de sanitate tuenda, in hæc verba. Nam & calidam dum humiditates semper consumit, parere siccitatem: & frigidam dum nihil absument, humoris incrementum quodammodo conferre: eodem modo & siccam per eas ætates quibus augetur animal, calidius ipsum semper efficere. Calida etiam, apud Galenum intemperamenta, ad iuuentutem calidiora redduntur: de calido enim tantum scribit. 6. lib. de tuenda valetudine, quod postea quam adolescentiæ annos compleuerit, exinde ad remissionem usque, manifestè calidior appareret, sic ut tum morbis, tum symptomatis, quæ à bile oriuntur, facile fit obnoxia. Calidum quoque & siccum, calidius reddetur: si enim vnumquodque intemperamentum simplex calidius sit, vtrumque copulatum, calidissimum ac biliosissimum euadet necessario. Temperatum vero corpus, quoniam humiditatem habet calori proportionem & æqualitatem respondentem, ætatis processu non redditur ad iuuentutem calidius: sed calor eius similis quodammodo, usque ad summum incrementum manet, ut è sexto de sanitate tuenda retulimus: quodammodo (inquam) id est, sine mutatione, quæ sensu tactus iudicari possit. Consimilem ac in corpore temperato rationem, in calido atque humido audire oportet: ut enim calor & humiditas temperata coæquantur, ita ubi ambo æqualiter à temperato recedunt, coæquantur par est. Ob id sane sanguineus ubi ad iuuentutem peruenit, salubrius degit alijs qui paræ ætate agunt, ut scribit Galenus. 6. lib. de sanit. tuen. quoniam nimirum humiditas, ætatis lapsu contemperatur, & calor quantum sensus iudicare potest, non redditur intemperatior: quare suam deinceps humiditatem melius regit, & sine putrefactione gubernat. Hinc millia quæ apud Galenum contradictionis phantasia loca exhibent, sunt concilianda. Quod enim 2. lib. Methodi in fine, pueritiam dixit nullam ætate esse frigidiorum: & quod primo

de temperamentis, cap. 7. dixit puerum multitudine eius, quod diffatur, & florentem acrimonia calidiorē videri, neutrum autem simpliciter esse calidiorē altero, non aduersatur, com. 7. lib. de salubri dieta, nec. 6. Epid. par. 1. com. 4. & par. 3. com. 15. nec. 3. de simpl. med. facul. cap. 2. quibus locis, iuuenem simpliciter, & absolute, puero calidiorē statuit: nō aduersatur (inquam.) Primo, quoniam locus secundi de temperamentis, intelligendus est in natura temperata, aut calida pariter atq; humida: alia vero loca in reliquis intemperamentis, & precipuē in frigido atq; humido. Secundo, quoniam aduerbium simpliciter, aut absolute, multiplex est, & aliter vsurpatur libro de temperamentis, ac locis alijs: secundo enim de temperamentis, neutrum esse calidius simpliciter, id est ex omni parte (quod veteres affirmabant) intellexit: alijs vero locis, iuuenem esse calidiorē absolute, id est sine addito pronunciat, quoniam verē in maiorem calorem assurgit in naturis intemperatis, vt diximus: satius enim est, sic Galenum ex Galeno interpretari, quam lubricum latibulum cum Valefio quærere, cum dixit, quod par portio calidi adscitij quo abundat iuuenis, absolute calidior dicitur, non propter intensiōem, quæ par est, sed propter caloris modum, quoniam scilicet est acrior. Mibi tamen quod absolute calidius dicitur, non propter aliud quam propter calorem additum, calidius dici debere videtur. Quod si propter aliud, iam non absolute, sed per extraneum quid, & quādam veluti abusionem tale dicitur: modus autem caloris à calore est diuersus, sicut & substantiæ modus à substantia. Quod ergo in gradu caloris augetur, absolute calidius appellatur, quod vero propter acrimoniam, non absolute calidius, si parem intensiōem seruet, dici meretur: quod etiam Galenus ipse notasse videtur, aduersus Lycum scribens, in hæc verba. Quam ob rem planum hoc in loco aperte factum esse arbitror, mordacem caliditatem, non quod magis excalfaciat, verum alia quadā re differre. Quod præterea secundo libro de temperamentis, cap. 7. Galenus non dubitat, tactui in varia materia valde exercitato, calorem puerorum, florentium calori, vel parem, vel ampliorē visum iri: interpretandum est, quod si initium pueritiæ comparatur initio iuuentutis, medium medio, & vltimum vltimo, calor est par in natura temperata: si vero initium pueritiæ, in quo innatum calidum multo est amplius, comparatur vltimæ iuuentutis parti, quæ in confinio est vergentium, puerorum calor non nihil videri potest amplior. Aut dicendū ex animi contentione, & impetu cōtradicens, immodicē prorripisse Galenū. Quāuis enim vtriq; opinioni antiquorū ibi cōtradicat, illi magis de calore iuuenū, quæ vulgatiōr erat, & in Hippocratē ferebatur cōtradicerē fuit animo. Qua certe ratione libro aduersus Lycū, ex tribus calidioris significatis quæ posuit Lycus, nullū inesse iuuenibus, sed omnia tria pueris inesse voluit Galenus: plus enim substantiæ calidæ, & qualitatis maioris, aut intensioris, & efficacitæ ad actiones, plus habere cōsuevit: eiusmodi nanq; erāt tria calidi significata quæ proposuerat Lycus. At Galenus, per maiorē qualitatem, nō intellexit gradū auctū vt Lycus, sed ipsius qualitatis formā, aut formæ multitudinē auctā, nā ad exuperatiā

pluris

pluris substantiæ, necessaria consequentiōe censet maiorē qualitatem, ac efficaciam maiorem sequi. Maior ergo caloris qualitas qua iuuenes à pueris excedi ibi voluit Galenus, non est intensio maior, sed forma caloris aucta, quæ maior est in multo fumo, quam in pauco: in dolio vini, quam in cratera eiusdem: & in tetrapharmaco quod duplam picem, aut in vsitatissimo altero medicamēto, quod triplicatā aristolochiam recipit: in quibus omnibus qualitatum formæ augentur, non autem intensiōis simplicium gradus, de quo in secundo calidioris significato egerat Lycus, vt manifestò constat è Lyci verbis, quæ Galenus refert ad hunc modum. Itaq; in comparatione alterius calidi cum altero, tria sunt quæ in disquisitionē veniant, plurimumq; inter se distātia: primū, quid sit plus aliud alio calidum esse: alterū quid aliud alio calidius: tertium quid aliud alio calidū validius. Si quis igitur à nobis quærat, cuiusmodi sit quod plus aliud alio calidum est, quod tale proportione sit respondere debemus: quomodo etiam interroganti, quale nam sit quod alterū altero plus humidum est, respondere debemus: nam quemadmodū hic interrogatio, primū in id quod dictum est tendit, par est vt nihil respondeamus aliud, quam hoc vnū, nempe id quod substantia superet, si quidem plus humoris amphorā dimidio continere dicimus: ad eundem etiam in calido modum, si quis hac eadem interrogatiōe perquirat, quale nā sit quod plus altero calidum est, nihil sane aliud respondere conueniet, quam quod substantia plus sit, nimirum eo quod plus in eo substantiæ sit, & maiorem capiat locum: ac nihil sane prohibet, vt in eodem & plus insit calidi, & minus tamē caloris, æquē ac humidū quod plus substantia est, minus tamen esse fustum potest: ergo ad interrogatiōem hanc recte hoc pacto respondebimus. Rursus cum hoc quæritur, cuiusmodi sit quod alterum altero calidius est, recte dicimus, quod intensiore caliditate est: etiā si in minore substantia reperiat. Quemadmodum enim cum quis interrogat, quale nam sit quod alterum altero candidius est, nō sane perperā respondemus, cum quod qualitate candida intensiore sit dicimus: quo sane modo niuem, etiam si exigua eius sit quantitas, quocunq; alio albo candidiorē esse affirmamus: sicuti quoq; ad interrogantem quale nam sit quod altero humidius est, recte respondemus, quod fustum magis sit, vt aqua melle & pice humidior, etiam si exigua admodum aquæ substantia sit, mel autem & pice longe vincant: sic etiam de calido interroganti, quale sit quod alterum altero calidius sit, recte respondemus quod caliditate intensiore sit, cuiusmodi ignis habetur, licet in exigua id substantia consideretur: alterum autem quod cum hoc comparatum tepidius calidum est, maiorem quam hoc sortitum substantiam sit, & hoc quidem pacto adhuc respondebimus. Et cætera quæ scribit Lycus referente Galeno. E quibus constat hoc significatum calidioris intensiue, præter Lyci mentem detorsisse Galenum (vt ipsum omnifariam errasse ostenderet) ad formæ caloris multitudinem. Nec obstat quod in simplicibus diuersa est multitudo substantiæ ab intensiōe, in compositis verò in quibus intensio pendet ex victoria vnius contrarij in alterū, maior aut minor intensio, ex multitudine quantitatiua vnius contrarij supra reliquum est per

L4

santia:

landa: quod enim plures partes calidas recipit quam frigiditas, calidius est, & contra contrariū: sic ex niue & aqua feruenti pari portione comistis, temperatum fit. i. lib. de tempera. autore Gal. addita vero aliquanta niue, facies frigidū primi, & ampliori frigidum secundi ordinis. In medicamēto etiam quod triplicatā recipit picem, aut aristolochiam, reliquis simplicibus inuariatis, intensior est picis, aut aristolochiæ qualitas, quā id in quo simplex portio recipitur: quoniam ab equalibus contrarijs minus retunditur, aut picis, aut aristolochiæ, aut cuiusuis alterius quantitas maior minori. Non obstat (inquā) nam & ex hoc noluit Galenus conuincere, puerū esse iuue ne calidiorē intensiue, nec enim id vnquam somniauit, nec præfatum argumētum vlla ratione conuincit: quoniā quantis plus de innata caloris substantia, sanguinis nempe ac seminis, in proportione ad membra post genita, puer habeat quā iuuenis: non tamen redditur ipso calidior, quoniā tam sanguis ac semen, quod in comparatione ad membra iuuenibus est minus, quā membra ipsa post genita, valde in iuue ne sunt calidiora: ita vt absolutē ex vtrorumq; coalternatione, naturæ temperatæ, sint in vtraq; ætate æquē calidæ, intemperatæ vero in iuuentute calidiores. Quod vero lib. 2. de tēpe. cap. 6. experimentū tactus sumendū esse in omnibus naturis decernit, comparando quadratos quadratis, crassos crassis, & graciles gracilibus, non eo facit vt experimentū equalitatis caloris, in omnibus naturis debeat respondere: sed ne in quibus contingit dignoscendis fallamur ob naturarū diuersitatē. Quod vero. i. lib. Aphorif. com. 14. hominis compositionem reducens ad elementa Galenus, in vtroq; (iuuene inquam & puero) parem ponit ignis quantitatem: reliquorum vero elementorum imparē, in puero scilicet plus aëris & aquæ, & in iuue ne plus terræ, non conuincit pueros esse calidiores, quāuis aër statuatur calidus: quoniam licet par ignis vtriq; insit, in sicco iuue ne fit fortior: nec facile comprehendere est ignis in vtroq; paritatem, si iuuenis est biliosior, bilis autem sit ignea nimis: terra in super qua abundat iuuenes frigida nō est: sed vsta & plurimum passa ab igne, fumeaq; reddita, quæ calorē adscititium humidum & febrili proportionalem plurimum seruat. Temperatum ergo corpus (vt iam receptui canamus) & ex intemperatis sanguineū, æqualem ad tactum calorem habet in iuuentute, & pueritia: intemperatum vero intensiorē habet in iuuetute: vtrumq; autē ipsorū, fortiorē vehementiorē, magis vrentē & bili creāde aptiorē in iuuetute habet: intemperatum quidē ob siccitatē adiunctā calori, & ob gradū auctum: temperatū vero ob solam siccitatem, quæ sine vltiori gradu augere potest robur actionis, perinde ac multitudo formæ, & quātitas aucta, & substantiæ densitas, quæ vim actionis cum gradu æquali, citra controuersiam adaugēt. Sed dubium est, in intemperatis naturis, in quibus calorem ad iuuentutē augeri diximus, à quo augeatur: à se ipso enim augeri nequit, neq; à siccitate, quæ sibi similis siccitatis tantum effectiua esse potest, caloris vero nequaquam, valde enim vtriusq; natura distat: sine effectrice autē causa quicquam fieri repugnat. Secundo, si calor augeatur à pueritiā calida, in iuuentutē: adolescentia quæ vtriq; ætati interiacet, non erit tempera-

temperatissima ætas. Ad primum dicendum est, quod calor idē qui in pueritiā erat remissior, processu ætatis fit intensior, tum à se ipso propter siccitatem quæ disponit subiectum ad vltiorem gradum, sibi naturalem in elemento ignis ex quo constamus (si enim aqua semoto impedimento, reducit se ad pristinam frigiditatem, multo melius ignis, sublata humiditate obruente, reducet se ad calorem) tum etiam à spiritibus, qui à corde in corpus feruntur, à quibus (etiam si in vtraq; ætate essent æquæ calidi) amplius debet incallescere vltior ætas, vsq; ad iuuentutem, propter siccitatem disponentem. Ad secundum vero dicendum, quod adolescentia est temperatissima ætas ad iustitiam, quoniam omnes operationes efficit sine culpa, & nec bilem gignit propter siccitatem & acrimoniam, nec pituitam ob humiditatem. Estq; omnium ætatum, quæ magis accedit medio ponderali, vtraq; oppositione inspecta: quāuis nonnihil calidior sit quā pueritiā. Paulo enim intensiorē temperato calorē sortitur pueritiā, & sola ferē humiditate est insensa. Nam parum nobis arriet Valesius, qui controuersia octaua primi libri, calorem à pueritiā initio, censet vsq; ad medium adolescentiæ remitti, quoniam plus calidi ingenti absuitur, quā adscititij succrescat, ob humiditatem quæ adscititium non sinit efflorescere: à medio vero adolescentiæ, vsque ad medium iuuentutis intendi, quoniam plus augetur adscititij, quā ingenti consumatur, ob siccitatem quæ adscititij præcipuē facit efflorescere. Contra tamen est, Primo, quod adolescentia calida ætas est, tum apud Gal. i. lib. Epidemiarum, parte. i. com. 11. tum quoniam humiditate puerorum absumpta, calor qui obruebatur, debet necessario efflorescere. Ob idq; adolescentia, non statuitur media caloris ac frigoris, sed inter multum calidum puerorum, & acrem calorem iuuenum: frustra ergo in calore & frigore temperatam facere conatur. Secundo, quoniam iuuentus maximē media est inter humiditatem puerorum, & siccitatem senum, autore Galeno secundo libro de temperamentis. Ergo adolescentia tota, humida ætas est: & ex consequenti, si siccitas est quæ adscititium calorē facit efflorescere, non succrescet à medio adolescentiæ vt dicit. Adolescentiā etiam humidam esse, augmentum quod per totam eam fit, facit manifestum: non enim in aliud quā humidum temperamentum incidere potest, vt scribit Gal. lib. de salubri diæta, com. 7. Tertio, nam mutationem caloris à pueritiā in iuuetutem, esse vniuniformem, & æqualem, docet Methodus à Galeno tradita. 2. lib. de temperam. cap. 6. vbi eundem puerum tangere, & nunc, & post biennium, aut triennium iubet, & ex mutatione in eo reperia, futuram in reliquos annos vsque ad iuuentutem dignoscere. Quæ ratio prorsus esset falsa, si mutationibus contrarijs corpus esset agitandum: quo modo enim ex tactu vnus ipsarum, mutationem contrariam futuram diuinaremus? Galeni verba ita habent. Erit autem optimum iudicium, in vno eodemq; vnus infantis corpore: potest enim, & qualis calor illi ante biennium fuerit, in memoria reponi, & qualis nunc sit, post duos ferē, vel tres interpositos annos. Si namque mutatio omnino vlla, ad calidum frigidum ve, infanti facta videbitur, nullum præterea ne-

gocium erit, qui vsq; ad florētem etatem, futurus excessus sit colligere. Quarto, nā apud Galenum idem caloris gradus ad tactum, non modo seruatur in pueris & iuuenibus, verum etiā in adolescentibus. Quod monstrant Galeni verba. 2. lib. de temperamentis, cap. 7. adhuc modum scripta. Complura enim deinceps corpora, non puerorum modo, verum etiam infantium, adolescentium, & etate florentium, curio se tangens, neutros vera loquutos inueni: nec eos qui absoluto sermone calidiorem, nec eos qui frigidiorē esse florētem etatem, quam puerilem dixerūt. Quibus verbis patet, non modo pueros & iuuenes, sed etiam adolescentes, ad aequalitatem caloris explorandam tetigisse. Et apertius primo libro de sanitate tuenda, vbi ita habet. Quorum optimē se habent corpora, ijs calor similis quodammodo, vsq; ad summum incrementum manet.

Per summum autem incrementum (quod *αυμν* appellat) iuuentutem intelligit, ad quam vsque corpus augetur: in ipsa vero propter siccitatem, quae vltiorem extensionem non tolerat, primum augeri desinit, & veluti in statu, ac vigore perseuerat, donec vergere, ac inclinare ob caloris languorem, ex auctiori siccitate prodeuntem, ad annum tricesimum, aut tricesimum quintū corpus incipiat: tūc enim (vt scribit Hippocrates, lib. 1. de diætā ad finem) corpus stetit, per totam scilicet iuuentutē ab alimento quiescens: & ad frigidiorē naturam cœpit commutari. Tres nanque etates (si eorum quae supra tradidimus, non sumus obliti) ad quas omnes aliae reducuntur: tribus calidi, atq; humidi, mutationibus respondentes, ex Aristotele, libro de morte & vita attulimus. Iuētā (inquā) quae est tēpus augmētī, in quo plus humidi substantifici reparatur: senectam, immutationis & decrementi, in qua minus reficitur quam dissoluitur: & statum, quae istis interiacet, in quo par est exolutioni refectioni. Si enim prius reparabat magis, postea vero minus, rationi videtur consonū, vt medius interiaceat status, in quo reparatur aequale. Quod etiam ex ratione motuum cōtrariorum, inter quos necessario interiacet media quies, apud Arist. 8. lib. physicorum, cap. 4. euenire condecuit. Non enim potest natura (vt Galenus scribit. 1. lib. de differ. pulsuum, cap. 3.) motum aliquem exordiri, nisi contrarium prius sedet: augmentatio autem atq; diminutio motus sunt contrarij, ergo etas media status, aut quietis, intercedat ipsis par est. Nolim tamen quispiam intelligat, in tota hac etate constante, atq; vigenti, aliter quam ad sensum, aequalem fore restorationem resolutioni: vt enim temperatum cum quadam latitudine vocamus, quod ad sensum nec calet nec friget: & neutrae dispositioni latitudinem exhibemus, verentes ne dogma sempiternae passionis, medicis inutile incidamus: ita in statu, aut etatum, aut morborum, sensum sequimur, latitudinem ipsis statuentes, cum tamen vera momentanei tantum sint status eiusmodi. Vbi enim materiam morbi prorsus natura coxit, ac superauit, morbus re vera inclinare incipit: & vbi summū robur animal est assequutum, ab illo incipit diuertere. Primo, ex parte humoris reparandi: quoniam scilicet humidum radicale semper magis, ac magis siccescit, ergo intra sta-

tus,

tus, aut consistentiae latitudinem. Varietas est, ita vt aliquando siccius, interdum vero humidius corpus habeatur. Humidius autem & siccius, non pari facilitate nutriuntur ac reparantur, sed quod humidius est facilius ob solum: difficilius vero quod est siccius, alimentum etenim humet: ergo reparatio per totam eam etatem, non potest exolutioni esse par, sed solum in puncto. Secundo, ex parte caloris reparantis, calor enim variatur ad humidi variationem. Tertio, ex parte proportionis calidi ad humidum, haec enim nec per temporis momentum potest in ordine ad humidum similis seruari, ob perpetuam, & nūquam interscissam humidi a calido exsiccationem. Haec vero tam exacta, & intellectualis tractatio, medico qui artifex est sensualis nihil conducit: indicationes enim, atq; remedia, ad partibile tempus sumit & adhibet, non ad indiuisibile, atq; instantiale punctū: quare sensibus innixus latitudinem his omnibus exhibet, vltimam & ferè insensilem augmenti, & primam decrementi partem, tam in etatibus, quam in morbis, statui annumerans. Quam doctrinam, conceptis verbis videtur Galenus docuisse, libro de totius morbi temporibus, vbi ita de morborum pariter, ac etatum vigore scribit. Quare si ex natura tēpore careant, ne vlla quidem vtilitate inde fruemur: nam cum primum sensui manifesta declinatio fiat, tunc conuenientibus ei praesidijs vtimur, quousq; ab aequalibus numeris febris magnitudo constiterit, eousq; vigoris magnitudini propria aegre conuenit. Simili modo in oculorum vitijs, pleuritide, omni inflammatione, & in alijs morbis singulis, generalia tempora sensu aestimata, diuersorum auxiliorum usum significant. Logica igitur sit contemplatio de vigoris latitudine, siue de particularibus accessionibus, siue de toto morbo consideres. At nunc huiusmodi distinguere propositū mihi nō est, vt ij qui omnia in omnibus adducūt factitare solēt: quorū vnus est, & archigenes: immiscet enim hic vir, cōmentarijs maximè medicis, interim de nominibus inquisitionē, interim de ipsis rebus, sed logicā. Nos sicut hoc caui mus perpetuo, ita nūc quoq; faciemus, relicta de vigore questione alijs, tēporis ne expers sit, an cū tēpore quodā, & usum quendā metiamur: naturā eius, & in etatibus eam quae viget, temporis latitudine manifesto dissolui conspicientes: itidem & in morbis, interdum longiore, frequenter minore tempore, omnino autem sensibili. Verum hanc ipsam temporis differentiam, clarius videre licet in animantium etate vigente: etenim canes venatorios, & equos pugnaces, proprium aliquod opus, augmenti tempore facientes iam videmus: post haec etiam adultos ipsos euasisse dicimus, & manifesto conspiciamus fortiores quam antea: quin & pari robore non antano vno, sed duobus quoq; interim tribus permanentes: sicut homines pugiles, non tribus annis modo, sed quatuor etiam & quinque frequenter aequali fortitudine, quantum sensu deprehendimus perdurare. Haec Galenus. Sed dubium est si scientia & ars sunt habitus veri, quomodo ex falso supposito elicit ars medica vtilis indicationes? Dicendum primo, quod ars medica non supponit falsum, dum corpus temperatum, aut neutrum, aut vigorem morborum, vel etatum, statuit cum latitudine:

quoniam

quoniam ea media non ponit inter extrema absoluta, sed inter extrema sensibilia: illa quidem latitudine carent, hæc vero amplam eam possident. Dicendum secundo, quod quāvis falsum, intellectui nō possit adequari, potest tamē adequari utilitati operis, & curationi: in qua indivisibilia considerari nequeunt, sed sensibilia sunt quæ considerantur, & in sensibili tempore adhibentur.

Quæ iuventutem insequitur ætas, ad duas sequentes hebdomadas protenditur: in qua ætate omnia vitæ munia perinde atq; illi, qui in viginti ætate sunt perficere adnituntur, non tamen pariter atq; illi ad labores sufficiunt, ut scribit Gal. 3. lib. Aphor. com. 30. Ob id vergentē, inclinantem, aut subsistentem eā appellamus, non ut interpretes fecerunt. 1. Aphor. sent. 13. ætatem consistentem. Licet enim utramq; interpretationem, recipere posset dictio Græca *κατακλινομένη*, iuvenes non sunt qui secundo loco post senes ferunt ieiunium, sed vergentes: de quibus. 3. lib. Aphor. sm. com. 30. ita scribit Galenus. Nam omnium ferè ætatum, quæ iam declinat, paucis indiget ad corporis resumptionem, siquidē & id quod ex ipsis resolvitur paucissimum est, neq; enim corpus similiter calidum est ut prius: neq; amplius in augmentū quicquam absumitur: sed neq; quod virtus contentiva, multū imbecillitas sit ut senibus, plus aliquid ex corpore defluit. Hæc Galenus. Nec nisi ineptire velis, vergentes constantes esse appellandos dices: siquidem virium robur in ipsis apertè in imbecillum inclinatur, ob frigidum ac siccum quo insigniuntur temperamentum, ut eodem tricesimo commentario, tertij libri Aphorismorum, scribit Galenus: constare autem, atq; aperte inclinare, cōtraria sunt: cōtrarijs igitur vocabulis sunt significanda. Nec enim similiter ac Valestius, ob id cōstare vergentes dicemus, quoniam tunc primum corpus quiescit ab augmento: id nanq; quam falsissimum est, per iuventutem enim non augetur corpus: & in vergente nō modo non augetur, verum iam decrescit. Sed dubium est, quomodo vergens ætas sit frigida, si iuventus ipsi proxima est impense calida. Pars præterea terrea alimenti & membrorum, per anteriores omnes ætates usq; & velut fumosa reddita, plurimum calorem adscititium, & mordacem recipit, cuius ratione iuvenes sunt impense calidi, calore scilicet adscititio in sicca substantia posito: per iuventutem ergo calidiorem ulterius calfacta, vergentes frigidi esse nequeunt. Accedit quod Hippocrates. 3. lib. Aphor. sent. 30. morbos familiares huic ætati biliosos memorat, morbos scilicet laterales, pulmonis inflammationes, phrenitides, choleras, ardores & difficultates intestinorum: non est ergo frigida hæc ætas. Quomodo præterea ætas vigens, in qua corpus non decrescit finiatur, & vergens in qua corpus incipit decrescere initium sumat, intelligere nequeunt quidā. Aut enim vigor (inquiūt) desinit per ultimum sui esse, aut per primum non esse: nō primum, nam cū in ultimo instanti non decrescat corpus, necessum est ut in eo ipso, resistat decremento aliqua proportione, & partibili excessu: hic autē excessus partibiliter debet deperdi, ergo desinito aliquo ad id opus est tempore, & ex consequenti, instans datum non est ultimum iuventutis. Nec secundū dicere possis, quod

quod scilicet iuventus desinat, per primum non esse, quod scilicet vergentis primum initium sit: toto enim tempore antecedente hoc instans, resistebat corpus imminutioni, ergo ex partibili aliquo facultatis excessu, hanc resistantiam provenire fateamur oportet: quo fit ut partibili quoq; debeat deperdi tempore. Non ergo hoc erit primum instans in quo iuventus non sit, sed ultra protrahi debet. In hoc præterea instanti, quod primum initium est vergentis, corpus decrescit ob frigus temperaturæ: subito autem ante non decrescerat: ergo in hoc instanti, latitudo aliqua frigoris decremento necessaria, conquisita est, quæ toto tempore ante hoc instans non præfuit. Et ex consequenti, in id absurdum incidimus, ut latitudinem aliquam in instanti comparari posse cogamur, quod impossibile est: cum non nisi per motum possit acquiri, motus autem omnis successivus est. Ad hæc dicendum, quod licet iuventus sit calida, non tamen suum temperamentum exactum servat, nisi in medio sui: extrema nanq; ætatibus sibi finitimis habet similia: ultimum enim iuventutis parum calidum est, perinde ac ultimum ætatis: ut enim hæc autumno, ita iuventus vergenti est finitima: à medio enim iuventutis, ob superfluum siccitatem, servando calori minus idoneam, corpus insensiliter cœpit refrigerari, & membra quæ supra modum incaluerant remitti, ita ut ad initium vergentis, iam corpus manifesto frigidius appareat. Non eatenus tamen, ut calorem aliquem non servet, anteriorum ætatum: & bilem, tum flavam, tum atram ab eis excipiat. Huius enim ratione, morbis ab utroq; humore natis corripitur hæc ætas: biliosis ab incipiente aduri, & melancholicis ab iam adusta. Licet autem magis familiares sint morbi atrabilia-rij ex adusta huic ætati, quam biliosi, ut scribit Gal. 3. lib. prognost. com. 28. biliosi tamen non sunt huic ætati quam iuventuti minus frequentes. Primo, quoniam quævis plus bilis iuventus habeat quam vergens: minus est in iuventute morbosa, quoniam ipsi est magis naturalis: vergens vero licet minus bilis habeat, habet tamen eius non parum, & minus iam resistit causæ morbosæ, quoniam iuventute est imbecillior. Secundo, quoniam ipsdem immoderantijs, se committūt, quibus iuvenes, adustioni scilicet, curis, ac vigilijs: quibus tamen tolerandis non sufficiunt ut illi. Ob idq; Gal. 3. lib. Aphor. com. 30. ita scribit. Et omnino eos quos prætermisit, in ætatibus vigore consistentium morbos nominare, eos nunc omnes enumerat. Nam & phrenitides, & ardores, & cholera, & difficultates intestinorum, nihilominus iuvenibus quam declinantibus accidunt, occasionem sui ortus, ex flava bile capientes. Ultimum verò, quod proponebatur, argutum est sophisma, quod vel mediocriter in physicis eruditus, soluet facile: vel medicus qui gravioribus studijs vacare, & à tricis, ac neujs, abstinere decrevit, spernet. Nam resistantiam datam partibili tempore amitti debere verum est: quod tamen amitti non possit ante primum instans, quo iuventus non est, à veritate abhorret: quia à quolibet tempore ante hoc instans, quantumcumq; ipsi proximo, necessario intercedit partibile tempus, usq; ad ipsum met instans: in hoc autem partibili tempore, partibilis potest amitti excessus caloris,

ris, aut facultatis quæ supererat iuuentutis, & conquiri exiguis alter frigoris excessus, vergenti necessarius vt decretio fiat in ipsa.

Seneſtus (vt autor est Gal. 5. lib. de sanitate tuenda) non aliud est quam siccum & frigidum corporis temperamentum, annorum multitudinis ratione proueniens. Inde igitur ordietur seneſtus, vnde huiusmodi temperamentum, corpus nanciſci solet. Solet autem ab etate vergente, id temperamentum nostrum corpus habere: hæc enim etas frigida est & sicca, vt scribitur lib. de salubri dieta, com. 7. De eius nanq; siccitate dubitandum non est, siquidẽ siccitati iuuenum, addita est vltior siccitas, per humidi radicalis vltiorem exsiccationẽ: quod cũ sit caloris subiectum, necessario sibi annectit frigidam intemperiem. Vnde 5. lib. de sanit. tuenda, in fine, ita scribit. Ac mediæ quidem naturæ, mediocri profecto dandum est vinum, sicuti ipsa quoq; mediocris est. Atq; hætenus sanè mediocri, quod ipsa mediocris est temperamenti: quando hæc quoque necesse est, non solum in seneſtute, sed etiam in remissionis tempore, media temperatura frigidiorẽ euadere. E quibus omnibus aperte constat vergentem frigidam esse, atq; siccam: & ex consequenti seneſtuti annumerandam, vt potè quæ prima seneſtus sit ὡς ἡ γῆ ἢ ὡς ἡ θάλασσα hoc est, eorum qui cruda adhuc, viridiquè seneſta sunt, vt eodem. 5. de sanit. tuenda, in fine, idem Gal. scribit. Et 3. lib. Aphor. com. vlt. primos senes medios statuit, inter iuuenes ac seniores, Gal. ergo primi senes, ipsi sunt vergentes, & seniores sunt qui mediam & vltimam seneſtutis partẽ agunt. Quoniam vero vergentes non admodum frigent, sed crudi atq; virides sunt, & ysdem se exponunt periculis ac iuuenes, ob id senum nomen duabus tantum vltimis partibus tradidit. 1. Aphor. comment. 13. cum dixit, vergentes in medios esse inter iuuenes ac senes: & cum senes (nomine senum, pro senioribus sumpto) rursus diuisit, in eos qui in principio sunt senilis etatis, & in eos qui ad extremam etatem peruenerunt: in principio enim senioris etatis, medij senes iacent, in extremo vero decrepiti. Seneſtus ergo vndecunq; eius initium sumas, frigidum ac siccũ est corporis temperamentũ, annorum multitudinis ratione proueniens: & tanto frigidius ac siccius redditur, quanto obitui naturali, in quem terminatur magis accedit. Nec obstat, quod Hip. lib. de salubri dieta, sentent. 7. seneſtutem frigidam & humidam statuit: ob idq; senes sicco victu plerunq; regendos esse perhibet. Et lib. 8. de placitis Hippocratis & Platonis, post medium, decrepitem frigidum atq; humidum, & temperamento hyemi respondentem esse asseuerat. Non obstat (inquam) quoniam satisfacit Galenus, in cõmentario ad Hippocratis sententiã, eo quod hic, natiuam temperiem senum, quæ in solidorum substantia spectatur, siccam esse dicimus: illic vero, de accidua ex pituita, & incoeliõne genita, quæ in vacuitatibus membrorum continetur, nos admonet Hippocrates: est enim senum tẽperatura, ex his duabus composita, frigida ac sicca naturali, & frigida atq; humida accidentaria. Pituita etenim redundat senes, & sputo, mucosq; os, ac nares habent oppletas: si autem humor omnis, vbi diu ad membrum defluxit, illud sibi

attem-

attemperat (vt scribit Gal. 7. lib. Methodi, cap. 6.) Cur non credemus senum membra sua natura sicca, ex cõtinuo pituitæ adhæsu, acciduam humiditatẽ habere? His duobus contrarijs in seneſtute intemperamentis, duplici ratione ars tuendæ sanitatis prospicere iubet: vititur enim victu calfaciente & humectante, per cibum & potum, & reliqua necessario nos alterantia, quo solidorum senum substantiam humectet, ac reparet: & pituitosorum recrementorum vacuationi studet, quo acciduam humiditatem detrahat: omnis etenim excrementi vacuatio, vt autor est Gal. 6. lib. de sanit. tuen. contrariam intemperiem corpori imprimit.

De temperamento assuetudinario, de quæ omni assuetudine. CAP. XVII.



CONSUETUDINIS cum natura tanta consensio est, vt in ipsam faciliẽ transeat, plus aut minus, pro diuturnioris, aut minus diuturnæ, ipsius consuetudinis ratione. Ob id naturam acquisititiam, adscititiam, aut vsu comparatam, consuetudinem esse definit Galenus. 2. lib. de motu musculorum & sæpe alibi. Frequens enim vsus in naturam transit, aut naturam facit perinde familiarem, ac si ingenta esset, & non ab externo pederet principio: aut quod vniuersalius est, naturam ipsam suapte sponte indeterminatam, limitat et determinat vsus ad certam operationem. Hæc in naturam commutatio, aut naturæ ipsius limitatio, facit vt in id cui assueuimus, faciliẽ atq; innoxie, etiam si prauum, venenosum, intemperatissimum, & laboriosum sit, feramur ac perferamus, perinde ac si natura congenitum, et conueniens nobis esset. Contra vero consuetudinis violatio nõ aliud est, quam naturæ illata violentia quædam, quæ nos valde ledit, interdumque interimit: quoniã naturã in quam consuetudo migrauerat corrumpit. Anum enim refert Galenus. 3. libro de simpli. med: fac. capit. 18. innoxie ob assuetudinem nutritam cicuta. Hominemque refert Arnaldus in suo speculo, capit. 82. ob stultitiam à pueritia venantem & edentem araneas: in quibus sola assuetudo, naturãq; per eam producta, necem, ac lesionem venenorum, impedire est potis. Indus quoq; in india viuit saluberrimè, & sclauus in sclauonia, qui vbi patriam vicissim commutant, itq; indus ad sclauum, aut sclauus ad indum, aut moriuntur, aut valida egritudine premuntur, vt scribit Auicenna. 1. 1. doct. 3. cap. 1. vnde redditum ad aërem patrium, in longis morbis sanandis cõmendant autores: quod forte potius quàm contrarium, voluit Hippocrates consulere. 6. lib. Epid. parte. 5. sent. 20. Regem etiam Mythridatem vsu antidoti Mythridatij, vim alexipharmacam, ita comparasse adstruit Galenus, initio primi libri de Antidotis, vt poculo venenato se interimere nequiverit: tanta est in assuetudine vis creandi, & permutandi nostram naturam. Sic ad consimilia medicamenta mutari, consulit Galenus. 5. lib. de sanit. tuenda, quia vni medicamento,

dicamento natura assuescit & consentit, sicq; eius vim, ac contrarietatem contemnit. Qui contrarijs etiam consuetudinibus assuevit, utriq; contrario reluctantem naturam asciuit. Ob idq; quo eiusmodi naturam homo comparat, lib. 1. cap. 1. ita scribit Celsus. Sanus homo qui & bene valet, & suae spontis est, nullis obligare se legibus debet, ac neq; medico, neq; iatralipta egere. Hunc oportet varium habere vitae genus, modo ruri esse, modo in vrbe, saepiusq; in agro, nauigare, venari, quiescere interdum, sed frequentius se exercere. Siquidem ignauia corpus habet, labor firmat: illa maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo vngi, modo id ipsum negligere. Nullum cibi genus fugere quo populus utatur. Interdum in conuiuio esse, interdum ab eo se retrahere, modo plus iusto, modo non amplius assumere. Bis die potius quam semel cibum capere, & semper quamplurimum, dum modo hunc concoquat. Id quod vnicuique verbo perstrinxerat compendiosissimus senes Hippocrates. 2. lib. Aphor. sent. 50. qui ubi dixerat, consueti & si deteriora sint, minus molestare insuetis subdit. Oportet igitur ad insueti permutari. Quauis enim quod optimum est ad sanitatem, vnicuique naturae vnum sit, temperato temperatum, & intemperato contrarium, 3. lib. artis medicinalis, & lib. 6. de sanit. tuenda, autore Galeno: quod tamen ad securitatem sanitatis optimum est, non est vnum, sed varium ob conditionis humanae incertas vicissitudines & casus, quibus omnes homines subijciuntur, ut adstruit Gal. 2. lib. Aphor. com. 50. Ideoq; praestat securam sanitatem, cum aliquali defectu per contraria tentamenta obtinere: quam parum tutam in optimo victu, ceu in puncto constitutam, frequentibus sortibus, aut euentibus subijcere. Tanta enim est consuetudinis vis, praesertim cum iam in naturam migravit, ut intemperatus homo, omnibus intemperamentis, & excessibus assuetus, possit interdum plus resistere, omnibus causis morbificis, quam temperatus qui molliter, & in puncto semper vixerit. Nec obstat Gal. lib. de optima corporis constitutione, contrarium adstruens: intelligendus etenim est, ubi tam consuetudo, quam omnia alia praeter temperamentum, in utroq; sunt aequalia. Hoc ceu euidentis de ingenti consuetudinis vi, & valde in arte medica necessarium proloquium, pluries diuinus Hippocrates euulgauit. Secundo namq; libro Aphorismorum, sent. 49. ita scribit. Qui soliti, solitos labores ferre, et si fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus facilius ferunt. Et sententia sequenti. Quae ex longo tempore consueti sunt, et si deteriora sint, insuetis minus molestare solent. Et. 2. libro de ratione victus in morbis acutis, sent. 21. consuetam (inquit) victus rationem, quae nunquam variat, & si vitiosa sit, longe tutius est obseruare, quam subito vel ad meliorem transire. Vnde cum praua permutanda consuetudo est, perinde ac intemperata natura, & maiori si fieri potest cautione est permutanda: paulatina nimirum transmutatione facta, iuxta sententiam quinquagesimam primam, secundi libri Aphorismorum, Plurimum atq; repete euaeuare, vel implere, vel calefacere, vel refrigerare, vel utcumque aliter corpus mouere

uere, periculosum: & omne nimium naturae inimicum, quod vero paulatim fit tutum est, praesertim si quis ex alio in aliud progrediatur. Tunc autem paulatim transmutare, & minorem ut decet violentiam inferre dicemur, dum a remissiori incipimus contrario, & praeterea interquiescimus: id est, interponimus tempus aliquod, quo ad pristinam consuetudinem redeuntes, natura reficiatur, ut sexto libro Epidemiarum, parte secunda, sentent. 26. scriptum reliquit Hippocrates. Ob id in morbis, nec in meliorem eam transferre licet, sed seruare, quantumuis praua sit: natura enim est quae morbum debet euincere, quem nunquam superabit, si contrarijs ad meliorem consuetudinem reducentibus sollicitetur. Quia & in ipsa curatione morborum, praestat certam victus rationem aliquanto deteriore seruare, quam ubi bene gubernari ceperis, ad ipsam deteriore victus rationem commutari. Quod Hip. 2. lib. de ratione victus in acutis, sent. 51. vlcis exemplo, his quae sequuntur verbis perstrinxit. Nam si quis vlcus non admodum insigne, neq; valde vile in tibia acceperit, fueritq; homo cui neq; admodum difficulter, neq; valde prompte vlcera sanentur, & prima protinus die ita iacens curetur, ut nequaquam crus tollat: hoc sane pacto sine inflammatione manebit, citiusq; sanitati restituetur, quam si delinquens curetur. Quod si vel quinto, vel sexto, vel superiore adhuc die surrexerit, atq; ambulare voluerit, magis laborabit quam si statim ab initio errans curatus fuisset. Porro si & multum & repente se fatigauerit, multo magis laborabit, quam si ita curatus, in diebus huiusmodi se se lassum, & defatigatum reddiderit. Haec Hippocrates. E quibus tam euidentis, utile, atq; necessarium, in arte medica, axioma colligitur, de consuetudinis tutela: & deuitatione violationis eiusdem, ut non modo medici, verum & omnes qui prudentia, & consilio aguntur homines, id norint. Sed & alios ferè omnes (ut scribit Gal. lib. de assuetudinibus, cap. 1.) qui saltem asinos suesq; non imitantur, sed ea a quibus leduntur, & a quibus inuaduntur animaduertunt, audies dicentes: se ideo cibum aliquem, aut potum omittere non posse, quod iam assueti illi sint: statim enim se ledi affirmant, si ad alium pertransierint. Id quod de alijs quoq; rebus confirmant: quo genere balnea, equitationes, venationes, cursus, lucta, vigiliae, aprico in loco versari, refrigeratio, cura, ac caetera huiusmodi continentur. Haec Galenus. Non ergo in dubium vertere oportet, vim assuetudinis magnam esse, tum ad salutem, tum ad morbos: sed hac vi agnita, & semper obseruata, in philosophiae campo, causam inquirendo, licebit spatari. Quae si minus cuiquam arriserit, aut meliorem quaerat, aut suam ferat ignorantiam, assuetudini nihil detrahendo. Ut enim ridiculum esset visum tollere, refutatis rationibus utrisq;, quibus nos res aspiciamus, siue admissione, siue emissione, ipsum fieri dicamus: sic si consuetudinem validam vim habere non credamus, quonia in eius causis vestigandis, minus quam oporteret sumus perspicaces, non minus erimus deridendi, ut ad initium libri de assuetudinibus, autor est Galenus.

Causas autem eo libro diuersarum assuetudinum, doctissima perquisitione in-

R quisuit

fuit Galenus, diuersas tamen pro diuersa materia, circa quam cōsuetudo versatur, non vnā & eandem in omni assuetudine, cuiusq; materiae sit. Materiam autem appellat, cibum & potum, quae intro in corpus sumuntur, calorem & frigus ambientis, insolationē, apricationem, cubile durum, & vitam mollem ac sedentariam, quae extra nos immutant: exercitamenta tū corporis, tum animi: & demum euacuationes, quibus certis temporibus vti solent. In cibo (inquit) & potu plurimū potest cōsuetudo, tanquam signum, & tanquam causa. Tanquam signū quidem, Primo, ob suauitatem, quae argumentum est familiaritatis: appetimus enim similia seruantia nos, & quae ori valde sunt ingrata fugimus, quoniam dissimilia sunt, & confici à nobis nequeunt. Secundo, quia illa consuetudo diuturna, significat hominem non fuisse laesum ab illis, multo tempore, quare conueniūt cum natura illius, planè enim si laesus fuisset destitisset ab illis vt scribit Galenus. 5. libro de sanitate tuenda, in haec verba. Qui cuiuslibet rei insuescunt, magna ex parte naturae suae conuenientem consuetudinem deligunt, propterea quòd ab his quae non conueniunt subinde laesi ipsa repudiant. Tanquam causa vero, quia non modo vnumquodq; eorum, quòd edimus, aut bibimus, à ventriculo, ceterisq; membris immutatur, verum etiam ipsum ventriculum, ac membra, quodammodo immutat & afficit. Ob idq; nonnullarum rerum vsus ingratus est, & noxam ad initium affert, ob magnam ac violentam inter dissimilia alterationem, qui tamen postea non nocet, quoniam ventriculus ex diutino vsu similior factus, parum ab illis rebus immutatur, vt libro de assuetudinibus scribit Galenus. Cuius tamen contrarium scripsisse videtur Auicenna. 3. 1. doct. 2. cap. 7. in haec verba. Ille verò in quo mala digeruntur nutrientia, ob hoc non decipiatur, quoniam post dies in ipso, mali generabuntur humores, egritudines facientes, & pernecantes. Et capite sequenti, de potu in quo aliquid niuis liquatur, ita scribit. Quod si non illico nocumentum alicui fecerit, secundum longitudinem dierum faciet: & cum in annis processerit. Apertius vero Galenus, secundo libro de alimentorum facultatibus, capite de cucumeribus, in haec verba. Ceterum illud perpetuo memoria teneto, quòd etiam si quis eorum quiduis, quae alijs concoctu sunt difficilia, coxerit: succus tamen qui ex eo in corpus distribuitur, eandem retinet naturam. Nam fieri non potest, vt succus qui ex pepone distribuitur, crassus ac terreus fiat, etiam si is coctus pulcherrimè fuerit: quemadmodum nec qui ex lente, aut bubula distribuitur, euadet vnquam aquosus, ac humidus: quem sanè & consistentia tenuem appellant. Id autem plurimum habet momenti, non modo ad sanitatis custodiam, sed etiam ad morbi declinationem, vt alibi demonstratum nobis est: & nunc rursum sumatim procedente sermone repetemus. Ergo qui cucumeres belle concoquant, cum eo ipso fisti, affatim ijs se impleuerint, ijs tandem longo temporis tractu accidit, vt succus frigidus, ac mediocriter crassus, in venis coaceruetur: qui in eacoectione quae fit in venis, haud facile mutationem in probum sanguinem recipiat. Ob eam igitur causam, omnibus prauis succi edulys censeo abstinendum, etiam si

ea quibusdam concoctu sunt facilia. Nobis enim non aduertentibus, prauus succus ex ipsis, post longum tempus in venis colligitur: qui postea exigua ad putredum occasionem nactus, febres malignas accendit. Et libro de cibis boni & mali succi in fine, ita scribit. Qui minimè exercentur, summa aestate cum vehemēti calore vrgentur, fontis aquam bibant, niuisque vsu vitent. Haec enim quantum protinus, nullam iuuenum corporibus sensibilem lesionem inferat, sensim tamen, occulteque crescente vitio, cum iam aetas progressu temporis inclinaret, articulos, nervosque & viscera ijs morbis vexat, qui vel difficulter admodum, vel omnino tolli non possunt. Quibus verbis, consuetos tum cibos, tum potus, magis in posterum ledere, quam ante assuetudinem Galenus atq; Auicenna affirmare videntur. Cui tamen difficultati dicendum est, quòd vna quaeuis cibatio prauis alimentis consueta, minus ledit, quam alia dissueta: lesio tamen ex dissuetis prauis, plurima est aceruata, quae tandem detegitur quibusdam ad senectutem, alijs vero ante id tempus. Quantitati etiam ciborum, ac potuum maiori, aut minori assuescimus, ita vt si ab ea excedamus, aut deficiamus, ledamur. Primo, quia quauis quantitas non sit actiua, nec ventriculum assimilat, est tamen ad actiones necessaria: scintilla enim ignis ob defectum quantitatis non vrit, vt scribit Galenus. 3. lib. de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 23. Maior ergo cibi, aut potus quantitas, magis alterat minori, & consuetudo vtrobiq; contracta si violetur, damnum parit: quia praeter solitum ventriculus alteratur. Secundo, quia facultates omnes, vsu, & exercitatione, intra certam mensuram fiunt validiores, otio verò imbecilliores. Ob idque ventriculus qui pluri refectio- ne vti consuevit, plus etiam conficere potest, quoniam validior est redditus. Terti- o, quoniam vis sentiens ventriculi, à maiori quam consuevit cibi quantitate de- grauatur, minorem propè non sentit, aequalem verò & consuetam voluptuose am- plectitur & conficit. Quauis vero cibi, atq; potus consueti mutatio sit noxia, quae in potu fit deterior habetur: dixit enim Celsus, cap. 3. primi libri, quòd si quae noxa subest, maior est in potu quam in esca. Cuius rationem Aristoteles, pro- blemate. 14. primae sectionis, in maiorem potus quantitatem reiecit, in haec ver- ba. Cur ciborum mutatio, minus quam aquae grauis occurrat? An quia pluri- mum aquae consumimus. Nam & in pane & obsonijs, & in potu, aquae vsus plurimus est. Sed ratio haec non semper in aqua locum habet, in vino vero nun- quam. Cuius tamen mutatio ex antiquo ad nouum, ex tenui ad crassum, & ex vino ad aquam, acrium excrementorum redundantiam vniuersalem, & in toto corpore lassitudinem vlcerosam gignit, autòre Galeno. 4. libro de sanitate tuenda: quia quauis fiat mutatio ad frigidiora, in prauos ac acres succos conuersio fit, ob corruptionem quam subeunt, tum ex permutatione consuetudinis, tum quia per- mutatio fit ad deteriora. Dicendum ergo praeter causam ab Aristotele traditam, deteriore esse consuetudinis in potu, quam in cibo permutationem, quia potus ob

tenuitatem citissimè, & antequàm alteretur ventriculi substantiam peruadit, ac penetrat, eiq; imprimat insolitam qualitatem. Cibus verò, ob crassitudinem non penetrat, antequàm in chylum conuertatur, quo tempore id tunicis suis apponit ventriculus: ob idq; minus obesse solet, aut si permutatio ingens non est, magis interdum prodest, ob tedium assueti, quàm obsit ob nouitatem.

Ea vero, quæ nos extra contingunt, vt immoderantiæ continentis, & durum cubile, ac percutientia: ob id reddunt homines tolerantiores earum occasionum, quoniam nostrum corpus indurant. Frigus enim ambientis corpori nudo occurrens, cutem, ac carnem substratam, frigefacit atque densat, duramque & refractariam reddit. Calor verò, & insolatio, quanuis ad initium frigori contrarium faciant, dum nos calefaciunt, humores fundunt, cutim leniunt, & carnem molliorem faciunt: postea tamen indurant siccando, vt in ijs qui sub sole æstiuo nudi multos dies degunt, videre est. Sic terra & durum cubile, humidum è cute premit & densat, tum duritie, tum frigore nos afficiens. Quare hic quoq; consuetudo naturam facit, aut qualitatem naturæ quàm maximè affinem, cutis nempe densitatem, cuius ratione externas iniurias facile tolerat: tum eas quæ ab utroque contrario, tum etiam magis, quæ à contrario assueti procedunt. Dum enim semel ex insolatione cutis obduruit, huiusmodi durities contracta, non modo insolationi perferenda est utilis, verum & frigori etiam perferendo, aliquanto minus fit idonea. Quantumuis autem cutis & carnis densitas, & durities contracta, vtriq; reluctetur contrario, temperiei tamen continentis mutatio nocua est, nō modo si ex salubri in insalubrem, verum etiam si ex insalubri, in salubrem commutatio fiat, vt scribit Celsus, cap. 3. primi libri: quoniam aër insalubris assuetus, familiaris & naturalis ob assuetudinem factus est nobis.

Consuetudo præterea ad exercitia id facit, vt quæ corporis partes exercentur, fortiores simul & solidiores fiant: & proprios motus ob id alijs melius ferre possint. Contra vero propter otium molliores sunt, & imbecilliores, vt libro de assuetudinibus scribit Galenus. Quod & Hippocrates aduertit sexto libro Epidemiarum, parte quinta, sententia decima; in hac verba. Labor articulis & carnibus, cibus somnus visceribus. Vt enim per vigiliam dum exercemur, natius calor augetur, & exercetur in articulis, & carnibus, eo vergens: ita facultates viscerum naturales, & imatus calor, per somnum, in ciborum coctionibus exercentur, nutriuntur, & augentur; vt scribit in commentario Galenus. Consuetudo ergo ad exercitia naturam facit, id est, robur & soliditatem membrorum, ex bona nutritione contractam: otium verò imbecillitatem, & partium mollitiem: manet enim calor per otium, in humido extremitatis mersus, quod per exercitia absumi, & purgari debebat. Sic partes paralyticae, & diutius etiam ligatae marcescunt, vt libris de fracturis, & de articulis saepe docet Hippocrates. Sic sinistrae partes imbecilliores sunt, & minus vegetæ. Sic etiam

feminae

feminae viris sunt minus musculosæ & imbecilliores, vt scribit Galenus septimo libro Aphorismorum, comment. 43. Sic etiam qui soliti sunt solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus facilius ferunt, vt. 2. lib. Aphorismorum, sentent. 49. scribit Hippocrates. In qua sententia si dictum esset consuetos facilius ferrè labores, se ipsis, aut alijs parem ætatem agentibus, nihil ambigui relinqueretur: quoniã quod partes exercitatae fiant robustiores, atq; iccirco labores consuetos facilius ferant, omnibus commune existere, scribit Galenus in commentario. Quod vero non tantum ad se ipsos, nec ad alios æque validos, & parem ætatem agentes: sed ad validos ac iuuenes, senes & imbecilles comparari, difficile est. Quomodo enim robur maius per consuetudinem comparatum, causa facilioris laborum tolerantia esse potest, dum imbecillis senex laboribus assuetus, comparatur iuueni valido, disueto ysdem? si huiusmodi senex imbecillis (qui verbi gratia messor est aut fossor) iuueni urbano validior reddi nequit? Dicendum, quod per consuetudinem non modo augetur robur, sed partis etiam soliditas, & neruorum ac musculorum eas actiones operantium, varia extensio, & flexibilitas, quæ corrigijs etiam externis, vsu, plicatione, extensione, & attritu comparatur: ea enim parte facile plicantur, aut extenduntur, quæ plicari, rugari, aut extendi consueuerunt. De qua consuetudinis ratione Gal. 2. lib. de motu musculorum, ita scripsit. Maiori autem ex parte, ne deducere omnino ad extremam flexionem eius possumus, nisi manibus cooperati fuerimus, sed veluti claudum præ insuetudine ad hanc operationem habemus, solisq; & saltatoribus, & luctatoribus facile flectitur, quibus vel solis perfecte flecti solitum est. Tantum igitur mediæ figuræ ad extensionem progressum est, quod perfecte caret dolore, quantum à diuturna consuetudine membrorum flexum est. Hæc igitur duo considerans in omnibus articulis, naturam videlicet, & consuetudinem, sic ad inueniens medium ac dolore carens. Quibus verbis aperte Galenus docet, ab extensione, ac contractione musculorum per consuetudinem facta, nasci facilem tolerantiam similibus flexionum, ac extensionem, ita vt sine dolore fiant. Accedit etiam industria, quæ doctrina quædam est arandi, fodiendi, citharam tangendi, aut compositè psaltandi, aut quiduis aliud agendi. Hæc autem simul iuncta, plus possunt in ijs actionibus expediendis, & tolerandis in assueti sene, quàm maius robur in disueto iuueni: fossor enim, aut arator iuuenis, nō tæget citharã, aut compositè psaltabit: nec psaltator, aut citharædus quantumuis validi sint, plurimum fodiendi, aut arandi laborem sustinebunt. Quoniam præter robur, & soliditatem, accedere debuit vtriusq; industria ad opus: & neruorum, ac musculorum extensio, & plicatio commoda, quas vterq; ad proprium opus, non autem alteruter ad alterum comparauit.

Eadem (inquit Galenus libro de assuetudinibus) est animi, id est, partis intellectiue, ac memoratiue exercitationum ratio: harum enim ea natura est, vt exercitatione perinde, ac corpus roborentur & augeantur, otio verò contabescant, vt

R 3 ex

ex Platonis allata longiuscula quadam sententia ibi confirmat. Quod tamen difficile est. Corpus enim ideo roboratur, quia uberiori alimento fruitur, & quia per exercitium magis defaecatur, & purgatur à recrementis: quorum neutrum animæ nec quò ad scientias, nec quò ad virtutes, conuenire potest. Dicendum tamen, quòd perinde ac corpus assueto exercitio roboratur, solidescit, neruorumque ac musculorum extensionem, plicationem, & industriam comparat: ita crebra meditatione intellectus, licet in sui substantia roborari nequeat, habitum scientiæ, aut doctrinæ comparat, qui ut ex actibus frequentibus fuit genitus, ita similium actionum fit productiuus. Hic intellectum perficit, roborat, ac doctum facit, & in scientiæ actus tam promptum, ut nullo negotio discurrat, conuenientiam & repugnantiam rerum interstinguat, & consequentia ex antecedentibus eruat.

Consuetudinem vero ad euacuationes, concedit Galenus tanquam signum, non tanquam causam euacuationum futurarum. Quoniam semper repletio antecedit vacuationes, tam artis, quam naturæ opere factas: semel, si semel obeuntur, & pluries, cum obeuntur pluries. Qui ergo pluries vacuari consuevit, inditium ex assuetudine præbet, frequentis repletionis, in quam solet incidere. Hæc vero vacuationem frequentem, non aliter post plures vacuationes poscit, quam post primam poscere cæpit. Repletio etenim est, quæ ad primas vacuationes ante consuetudinem, & ad postremas post consuetudinem inuitabat. Consuetudo verò vacuandi, non est causa vacuationum, nec ex se, & sui ratione ad eiusmodi euacuationes nos vocat, quoniam nunquam est causa repletionis. Ob id enim pluries vacuamur, quoniam pluries replemur, non autem replemur pluries, quoniam pluries fuimus vacuati: sed qua ratione & victu prius replebamur ante euacuationes, eadem & post plures vacuationes replemur. Vnde librum de assuetudinibus, sequentibus verbis claudit Galenus. Qui quidem si victus rationem commutarent, deque cibi copia aliquid detraberent, exercitationesque auerent, à morbo vacui seruari-
 tur. Præterea verò ex mutata consuetudine, non modo ut illi priores, non lede-
 rentur, sed etiam fructum aliquem ferrent. Causa est, quia euacuationes eis non
 proderant, quòd ita euacuari consueissent: sed quia ex vitiosa viuendi ratione ma-
 gnæ prauorum humorum vim, in corpore colligebant: hæc Galenus. At quo-
 niam libro nostro de vacuandi ratione, capite. 21. hanc Galeni sententiam reie-
 cimus, & non modo consuetudinem ad euacuationes signum, sed causam etiam esse
 euacuationum docuimus, ad eum locum lectorem remittere, quàm bis eadem docere
 malumus.

Vniuersale etenim, atque scientificum proloquium est, quod consuetudo in omni actione, aut passione, cuiusuis è nostri corporis, aut animæ facultatibus, promptitudinem ad operandum, tolerantiam eiusce operationis, & indigentiam eiusdem, ut consuetudo seruetur insert: nisi asinos aut sues, inaduertentia ad ea quibus ledimur, & iuuamur (ut Galenus dixit) imitemur. In animali parte, ut ab ea sigillatim om-

nes

nes percenseamus facultates ita contingit. Qua enim motoria est, assuescit certis motionibus, ut apparet in citharædis, & psaltatoribus, & omnibus mechanicis. Qua sensiuæ vero, tam secundum externos, quàm internos sensus, non minus assuescit. Odoratus consuetum odorem, non ita percipit, nec ita ex eo leditur: unde qui moschum, ambram, & alia odorabilia portant, minus ea sentiunt, quàm extranei. Gustus ex consuetu sapore prauo non afficitur molestia, nec auditus ex assueto sono, ut constat ex nili cataractæ ad stadisim contingente, ubi nilus præcipitans se, fragoris sui auditum, acolis ob assuetudinem aufert, referente Plinio, sexto libro naturalis historiæ, cap. 29. Frigus etiam atque calor regionis, acolarum tactum assuetum non ledit. Si ad hyemem præterea, ac æstatem, pedetentim gradimur, & velut assuescimus, æstum ac frigus leuiter toleramus: si vero repente ingruant, egrotamus, & unguium radices dolemus, eo se recipiente frigore. Luxæ etiam paulatim post tenebras accedens, facile fertur: repentina vero visum adimit, ut ex hystoria Dionysij Siciliæ tyranni, à Galeno recensita. 10. libro de Vsu partium constat. Hunc enim refert domum super carcerem construxisse, clarissimam ac longè splendidissimam, calce illitam: in quam victos qui diutissime in carcere fuerant conclusi, sursum educebat: qui statim ac ex profunda caligine lucem cupidi intuebantur, occæcabantur: lucis splendideæ repentinum occursum non ferentes: exiguus enim in ipsorum oculis, ob tenebras contentus spiritus, à lumine magno prorsus dissipabatur. Primum etiam sensorium, cuius sunt affectiones somnus atque vigilia, ita assuescit somno diurno, ut quanuis suapte sponte ledere deberet, ex diutino vsu non ledat. Id quòd scriptum reliquit Galenus, 2. libro prognosticorum, comment. 11. in hæc verba. At vero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine: nunc vero diuites è contrario agunt, tum in quibusdam alijs, tum etiam somno, interdium dormientes, noctu vigilantes. In his igitur, ut qui soliti sunt viuere præternaturam, doctrina ab Hippocrate ditata, nequaquam vera est: etenim hoc tempore magis rata consuetudo est quàm natura: non in mulieribus solum ditioribus, sed etiam in non paucis viris. Phantasia etiam per somnum, & per deliria, circa ea versatur spectra, quibus in vigilia plurimum assuevit. Memoriam quoque nullo alio quam frequenti apprehensione magis colimus. Pars etiam intellectiua facile disputat, atque discurrit, ex consuetudine disputandi atque discurrendi. In appetitu etiam sensitiuo, & parte animi quæ perturbationibus agitur, ex assuetudine fit homo, vel honestus, vel vitiosus. Nam quis nescit socratem natura flagitiosum, assuetudine, & doctrina, in optimum, laudatissimumque virum euasisse? Facultates etiam naturales, consuetudine duci est quàm apertissimum. Ter enim die cibari assuetus, ter appetit cibum, & leditur ni ter cibetur: insuetus verò non appetit, & si ita cibetur leditur. Cuius certè nulla ratio alia esse potest, nisi quòd tractrix membrorum, quæ per assuetudinem à ventriculo ter trahere alimentum didicit, ter attrahit: quæ semel vero
 semel.

semel. Sic qui sitim ferre didicerunt, parum sitiunt: & ferre quæ à Lybia adue-
hantur, æstate non bibunt, quoniam aquarum per id tempus defectu, tractrix ven-
triculi assuevit, rorem ex vicinis membris attrahere: ut constat ex Alexandro
Aphrodisiensi, tertio problemate libri tertij, ubi ita scribit. Cur Lybica ferre in
æstate non bibunt, ubi præcipue gignitur sitis, hyeme autem bibunt, cum minus si-
tire oportuerit? Nempe quoniam aquæ in Lybia per æstatem nullæ existunt, &
perinde eis non bibere in consuetudine est: in hyeme autem, quoniam scatent aquæ
bibunt. Quoddam igitur illic eis consuetum est, cum in alia loca transferuntur, id ex con-
suetudine obseruat. Coëtrix etiã quæ plurimum alimentum, aut bis cõficere cõsuevit
plurimum, aut bis cõficit sine noxa, & læditur si minus sumat: quæ semel tantum, gra-
uatur ex bina cibatione, quoniam non assuevit bis coquere, ut scribit Hippocra-
tes, 2. libro de ratione victus, sentent. 22. in hæc verba. Nempe tum in ijs qui
bis die comedunt, tum ijs qui semel, noxam imbecillitatemque pariunt repentina
mutationes: quiq; prandere non consueuerunt, & prandent, statim ægre habent, to-
to item corpore graues redduntur, & parum valentes & desides. Quod si superce-
nauerint, alios alui leuitas exercet: nempe ventriculus præter consuetudinem
grauatur, superficcescere consuetus, non bis tumescere, neq; bis cibos coquere. Qui-
bus verbis, non modo coëtricem, verum & contentricem lædi affirmat, tum ob gra-
uitatem sensatam, tum ob alui leuitatem, quæ insolitam cibationem sequuntur: gra-
uata enim velut à pondere contentricem, & alimentum diutius continere nequeunte,
alui leuitas sequitur. In expultrice quoque, manifestissimæ sunt consuetudinis
impressiones. Ob id Hippocrates, ad optimam deiectionem, requirit horam diu-
ciendi assuetam. 2. libro prognosticorum, sentent. 13. Sic somnus diurnus (licet vni-
uersaliter sit damnandus, innumerasque læsiones afferat, quarum meminit Aui-
cenna. 3. 1. tract. 2. cap. 9.) si assuetus sit non perinde lædit, ut scribit Galenus,
2. libro prognosticorum, comment. 11. lædit autem eius omisio, quia caput ea ho-
ra grauatur, quoniam expultrice membrorum ob consuetudinem expellit vaporosa
ad caput. Et non modo ad caput, verum ad certam capitis partem, ut constat ex
Galeno, 6. libro Epidemiarum, parte prima, comment. 2. ubi in vteri affectioni-
bus, synciput magis, quàm partem aliam capitis dolere, ob id scribit, quoniam assue-
uit natura capitis recrementa per synciput expurgare: quæ postea cõsuetudinem ob-
seruans, ad synciput magis quàm ad occiput, aut verticem, per huiusmodi affectio-
nes transmittit recrementa vaporosa. Tertio item libro Aphorismorum, commen-
tario. 15. ex crebra purgantis pharmaci administratione, in malam consuetudinem
corpus duci, scribit Galenus. Nec per malam consuetudinem, opus noxium corpori
intelligere eo loco possumus: vtrumq; enim timet, læsionem nimirum ex pharmaco,
& consuetudinis prauæ inductionem: ut ipsius Galeni verba monstrant, quæ ita
habent. Si vero quispiam voluerit bis in mense, aut semel saltem, purgantis pharma-
ci operatione vti, veritus ne superfluitatum multitudo aggregetur: præter id quod
nocebit

nocebit, corpora etiam in malam trabet consuetudinem. Fluxio etiam antiqua dif-
ficillime sanatur. Primo, quia membrum recipiens, intemperiem factam contra-
xit. Secundo, quia viæ ex diuturnitate fluxionis valde distentæ sunt. Tertio,
quia membrum mandans, assuevit secernere excrementa praua, & ea pellere. Ni-
si enim hæc causa, duabus prioribus accederet, quantumuis difficile sanaretur vl-
cus, aut hæmorrhoidis, ad quam natura fluxionem mandabat: non essent inde spe-
ctandi morbi vniuersales prauis, qui tamen negari nequeunt, ex experimento &
Hippocrate sexto libro Aphorismorum, sententia. 12. & sexto libro Epidemia-
rum, parte. 3. à sententia. 37. in quadragesimam. Sed cur prauiores morbi sequun-
tur ex hæmorrhoidibus antiquis curatis, & ex diutina fluxione ad vlcus cobibi-
ta: quàm ex assueta sanguinis detractione, aut purgatione omissa? Dicendum
quod ante sanguinis detractionem, aut purgationem, quæ ars molitur, non sepa-
rat natura prauum humorem, ut ante fluxionem, quam ipsa sibi parat. Si vtra-
que ergo cobibeatur, deteriora mala à secreto humore prauo detento, quàm à
non secreto prodibunt: quantumuis ab vtraque assuetudinis cobibitione, morbi pen-
deant vniuersales. Huc adde ea quæ de assuetis balneo, & clysterijs, ac alijs ex-
cretionibus, dicta à nobis sunt libro de vacuandi ratione: postulant enim ita in po-
sterum adhiberi. Huc pertinet quod assueti curari, si non curentur, ex leuiori
morbo periclitantur: insueti vero & rustici, pauca aut nulla adhibita diligentia
sanantur: quoniam natura in illis pigrescit, solita expectans auxilia: in his vero
impigra, crises molitur.

Sed dubium est, quomodo naturales facultates assuescere possint, si natura
non assuescit, ut scribit Aristoteles secundo libro Ethicorum, capite primo: nec la-
pis enim post millesimum iactum, nec post millesimam vstionem ignis, celerius
aut moueri, aut vrere discet. Dicendum, quod ut intellectiuum non datur in
homine, sine sensitiuo: nec sensitiuum sine intellectu: illud enim supra, hoc in-
fra hominem est: ita vegetatiuum in homine, sine sensitiuo esse nequit, & intel-
lectiuo: minimeque syncerum inuenitur. Quin & ipsum vegetatiuum in plan-
tis, in quibus cum sensu atque intellectu, nullum iniuit cõmertium, inter sensitiuum,
& anima carentia, medium gradum obtinuit: ita ut nec tantum in eo possit vsus,
ac in sensitiuo, & intellectu: nec tam parum, ut in vita carentibus. Quæ ergo
natura constant: ut inanimata, non aliter assuescunt: quia infimum nature
gradum consequuta, infimam etiam perfectionem omnis latitudinis exper-
tem nanciscuntur. Quæ vero vltiorem gradum nature consequuntur, la-
tiori perfectione constant: intra cuius latitudinem frequens determinat vsus:
ita ut in vegetatiuo, temperantem aut intemperantem, facere queat: in sensitiuo,
honestum & procacem: in intellectu, prudentem & imprudentem, memorio-
sum & labilem, doctum & ignorantem. An autem habitus ex actibus frequen-
tibus, & dispositiones minus obfirmatæ, ex minori frequentia necessario gignantur

in omnibus: an vero solus vsus has facultates indeterminatas, citra habitus aut alterius qualitatis generationem, ad certam partem suae latitudinis, firmare & limitare sufficiat, non anxie curo. Id vnum tanquam certum statuo, limitationem ac determinationem hanc facultatum ex frequenti vsu, causam esse vniuersalem, omni cuiusque facultatis assuetudini conuenientem. Effectus autem vniuersalis, causa vniuersalis debet signari. Præter hanc verò, in materijs particularibus, particulares alias causas signare, vt hucusque fecimus vtile est: siue ex habitu, aut dispositione producta ex actibus, siue ex robore aut imbecillitate, temperamento aut in temperamento contracto signentur. Cum omnibus enim particularibus causis, vniuersalẽ alterã (quæ verè sit consuetudinis causa, qua consuetudo est) statuendam esse censemus. Limitatio scilicet facultatum, quæ vltimum naturæ gradum non consequatæ, ita à natura destinantur ad certa opera, quod ex vsu limitari possint, intra terminos suæ potentie, ad quamlibet partem latitudinis, in quam ipsas inclinauerit vsus. Quare assuetudo qua assuetudo est, nihil est aliud quàm ipsa natura ex actibus ad sua opera inclinata, & limitata ex vsu: quæ contrarijs actibus dissuescere, & in aliã suæ latitudinis partem limitari potest. Huic si aliæ causæ accedant, aut ex parte temperamenti mutati, aut roboris acquisiti, aut habitus obfirmati, maiores sibi vires inerunt, pro vi, atq; potentia causæ quæ adiungitur. Sic vbi duos homines fingunt, ex contrarijs assuetudinibus in idem temperamentum venire, alterum nempe calidum vno gradu, cuius temperamentum assuetudine calidorum, ad secundum caloris gradum sit commutatus: & alterum calidum tertio, cuius temperamentum vsu frigidorum, ad secundum etiam caloris gradum peruenerit: si in frigidũ morbũ ambo incidant, calidiora debentur ei qui vsu calidorũ, quàm ei qui frigidorum vsu, in id temperamentum peruenerit. Primo, quoniam facultas in vno ad calida, in altero ad frigida, ob frequentem vsum est limitata: hanc autem limitationem transcendere, naturam ipsam transcendere est: quoniam natura ipsa intra suos limites, est huiusmodi limitationem perpeffa. Secundo, quoniam quauis in idem venerint temperamentum, qualitas tamen in vno per frequentem vsum denuo acquisita, calor est: frigus vero in altero: fiet ergo si idem contrarium applicetur vtrique, vt insignem ac repentinam in alterutrum horum alterationem inferat id contrarium, paulatinam verò in alterum. Vnde Galenus, in vlcere suapte sponte præhumido, & in humido propter medicamentorum humefacientium frequentem vsum, diuersa curatione vtitur libro quinto Methodi: illud enim exsiccat per æquatum contrarium, hoc vero paulatim exsiccare docet, ob assuetudinẽ in parte vlcerata contractam, ex curatione errata. Ita enim eo loci, scriptum reliquit Galenus. Ergo quantum (inquam) ad ipsarum partium habitum spectat, quæ ea quæ ad summum siccent desiderant, tamen si nunc curatione tua sint veluti effæminatæ, iam tali medicamento vterer: nunc quoniam plures iam dies male ipsas assuefecisti, transferre eas ad contrarium, vno impetu, & semel non licet.

licet. Ex qua Galeni oratione similiter inferre licet, quòd qui vsu calidorum ad secundum caloris gradum peruenit, minus frigidis curandus est, ob assuetudinem contractam, quàm qui aut suapte natura eum gradum habuit, aut qui vsu frigidorum, ex calidiori natura ad eum gradum fuit commutatus: in istis enim nulla fiet vt in illo, ex æquato contrario repentina mutatio. Ex quibus item infero, quod consuetudo verè ac propriè, non est temperamentum, nec habitus, nec dispositio, nec similitudo cum rebus consuetis: quauis temperamentum, habitum, dispositionem, & similitudinem ad cõsuetã interdum gignat, ac habeat annexa: quæ cum iunguntur, consuetudo ipsa potètiõ fit, atq; validior, ex causis adiũctis. Quid ergo est consuetudo? facultas, aut natura, nõ simpliciter sed ex actibus inclinata ad opus: si enim temperamentũ, aut dispositionẽ, aut similitudinẽ cum rebus consuetis, consuetudinẽ esse statuamus, nunquam fieri posset, vt contrarijs assuescere possimus, contra ac experimur, & Hippocrates præcipit, secundo libro Aphorismorum, sent. 50. Nam fac vt esu & occurso calidorum, ac frigidorum, quispiam assuescat vtrisque: tunc ex frequenti horum contrariorum vsu, facultas & natura intra suam latitudinem, ad calida pariter ac frigida inclinatur, ita vt vtraque amet, in ipsa feratur, minimeque ab vtrisque ledatur: si vero consuetudo esset temperamentum induclum, contrariæ consuetudines essent contraria temperamenta: si dispositio, contrariæ dispositiones: & si similitudo cum rebus consuetis, contrariæ similitudines ad res contrarias consuetas: quæ simul aut induci, aut stare nequeunt: quoniam qui contrarijs assueuit, non habet in vtraque qualitate repugnante progressum, cum tamen habere possit propensiones, & inclinationes naturæ ad contraria, quæ facillimè per frequentem contrariorum vsum comparantur. Nec enim valet responsio quorundam, quod qui calidis & frigidis assuescit, contrarijs pariter vtrinque trahentibus in medio temperamento constituitur: quo fit vt corpus ab vtrisque minus patiatur. Non valet (inquam) nam qui temperatis vtitur, nunquam ab ipsis deflectens, in medio temperamento multo certius constituitur: & tamen ab vtrisque contrarijs leditur: causa ergo princeps, quare qui vtrique contrario assueuit, à neutro ipsorum leditur, non est medium temperamentum, ad quod ex vsu contrariorum permutatur, sed facultatum & naturæ quam diximus limitatio ab operibus comparata. Nec ex alio magis, quàm ex hac limitatione pendet dispathia & contemptus contrariorum, ad quas Valesius refugit. Ob id enim qui vinum interdum, alias vero frigidam abundanter bibere est assuetus, ab ipsorum neutro facile leditur, ac vtriusque lesionem, ob id contemnit, quoniam facultates naturales, ex frequenti vsu inclinata, & propensæ sunt redditæ, ad frigus & calorem familiariter tractandos. Quod in consuetudine fortè ad euacuationes, dilucidius innotescet: ex crebris namq; vacuationibus, corpus in malam trahitur consuetudinẽ, tertio libro Aphorismorum cõment. 15. autore Galeno: ad crebram autem vacuationem, nulla inducitur similitudo, nec dispositio, nec temperamentum: ergo quod verè & propriè per assuetudinem

nem inducitur, nihil est aliud quam propensio, & inclinatio ad actiones, quam ex frequenti usu, natura, & facultates naturales sibi comparant. Haemorrhoides item recentes sine iactura sanare possumus, ex antiquis verò nisi una relinquatur, morbi sequuntur melancholici, ob consuetudinem eum humorem excernendi: id est ut nos censemus, ob inclinationem facultatis expultricis ad eum humorem expellendum, qui aliorsum verget, & morbum creabit melancholicum, si exitus per locum solitum negetur. Si autem aliud aliquid consuetudinem esse censeas, nunquam rectam eius euentus consuetudinarij causam reddes: ex diuturnitate enim haemorrhoidum, hominis temperamentum non fit magis melancholicum: nec dispositio, similitudo, aut qualitas aliqua melancholice affinis, progigni potest. Quin potius temperamentum, & habitus melancholicus, ex ea diuturna vacuatione sanatum iri est verisimile.

Sed age quomodo consuetudo, dispositio sit, ex *Valesio* controuersia quinta, libri octauo, audiamus. Duplex (inquit) temperamentum est, siue de accito, siue de nativo loquamur: alterum substantiale, in quo elementorum substantiae, alterum accidentale, in quo elementorum qualitates contemperantur. Illud fixum & difficulter mobile, natura est, & habitus, non nisi longo tempore creandus & amouendus, ut ex permutatione vnius naturae, in alteram constat, quae vix multo tempore contingit. Hoc vero fluxum est, & quod facile commutatur, dispositio nempe quae facile & ex paucioribus actibus creatur, & facile etiam ex contrarijs actibus remouetur: quare habitus, aut natura, aut substantiale temperamentum non est, sed via ac progressus in ipsum, eiusque ceu similitudo quaedam. Ante quam enim natura, in aliam naturam commutetur, in via est ac dispositione, per quam toto tempore commutationis, ei habitui aut naturae in quam commutatio fit similis redditur. Statim vero ac natura, aut habitus genitus est, non amplius est dispositio, & accidentarium temperamentum: sed habitus, natura, & temperamentum substantiale, in quod migravit. Ex his duobus, consuetudo vnum necessario est, non est autem primum, temperamentum scilicet substantiale, aut natura, aut habitus adscititius: quoniam consuetudo facile acquiritur, & promptè per contrarios actus dissuescit: natura verò difficulter mutatur, ut *Aristoteles* scribit. 7. lib. *Ethicorum*, cap. 10. Erit ergo secundum, nempe dispositio ad naturam, siue accidentarium temperamentum accitum, quod longo usu, & consuetudinis ipsius insigni duratione, in naturam & substantiale temperamentum transit, ut dispositio in habitum. Quo tempore (inquit) iam non est consuetudo sed natura, quoniam iam non est separatu facilior quam natura, cum sit ipsamet natura in quam transit. Substantiale insuper aut radicale temperamentum, difficile, & longa commutatione acquiritur, & amouetur: consuetudo autem & dispositio ad id temperamentum, citius & facilius acquiruntur, & dissuescunt: consequens ergo est, ut consuetudo & eiusmodi dispositio non sint diuersa.

Multiplicem tamen (me iudice) & calumniam, & reprehensionem haec doctrina

*Et*rina patitur. Primo, quoniam neutrum horum temperamentorum consuetudinem esse probabimus: consuetudo enim non modo contrahitur in qualitatibus primis, penes quas temperamentum attenditur: sed in omnibus cuiusque generis nostri corporis actionibus, & passionibus, à qualitatibus primis, & temperamenti ratione valde alienis. Secundo, quoniam haec dispositio quam consuetudinem appellat, nihil est aliud quam temperamentum qualitatum accitum, ipse verò consuetudinem ab accito temperamento diuersam esse, & profiteretur & probat. Tercio, nam qualitas non vertitur in substantiam, dispositio ergo ea, quam consuetudinem esse definit, nunquam vertetur in naturam (ut existimat) quae in ipsa substantiarum elementorum commistione consistit. Quarto, in prima temperati aut intemperati corporis creatione, duplex temperamentum consurgit, vtrumque nativum & fixum, vnum substantiarum elementorum, alterum vero qualitatum sibi respondentium: non autem vnum ex ambobus conflatum. Ergo cum naturae, ad temperatam, aut intemperatas permutantur, duplex etiam consurget temperamentum, alterum substantiale, & alterum accidentale, quorum neutrum in alterum vertetur, sed suum genus seruet vtrumque. Quinto, nam dum naturae permutantur, ab initio permutationis fit commutatio in substantiam, & in qualitates substantiae congruentes: natura enim non permutatur repente, sed ab initio usus permutantium, incipit permutari, & longo usu mediam commutationem accipit, tandemque integrè permutatur, fitque pituitosa verbi gratia: si enim ab initio non cepit fieri pituitosa, nunquam reddi poterit pituitosa, parem namque rationem habet secunda dies, ac prima. Ipsa ergo natura primum permutari incipit, deinceps aucta, & tandem perfecta est permutatio: nec enim aliud incipit, & in aliud facta est commutatio atque perfectio, sed primò fuit incipiens natura, aut consuetudo: haec creuit, & tandem perfecta est. Cum exigua erat non fuit fixa, sed veluti dispositio & cementum ad perfectiorem, siue in qualitate siue in substantia commutatio fiat, exigua enim commutatio substantiae, fundamentum est ad perfectiorem commutationem in substantia: & incipiens commutatio in qualitate, fundamentum est vltioris in suo genere commutationis. Cum ergo naturae permutantur, substantia & qualitates substantiae respondentes, mutationem simul accipiunt: fit enim pituitosa natura, cum versus pituitae substantiam, & qualitates membra mutantur. Sexto, nam corpora quae per contrarias alterationes, in calidum secundi gradus temperamentum venerunt, contrarias habent consuetudines, & temperamentum idem, eandemque dispositionem, calorem scilicet secundi gradus: nihil enim est aliud, eiusmodi dispositio, quam caloris ipsius qualitas: quae cum secundi gradus statuatur in vtroque, non est cur dispositiones contrarias statuamus in ipsis. Nam si citius (quod statuunt estque sui erroris veluti fundamentum) gignitur qualitas, quam substantia consequens est, quòd si per huiusmodi alterationes contrarias, in idem radicale temperamentum ambo venerunt, citius & facilius in idem qualitatum siue temperamen-

peramentum; siue dispositionem, siue similitudinem cum rebus consuetis appellare inuis, ipsa peruenisse sit necessarium. Qui enim ex calidiori temperamento, per in frigidantia ad calorem secundi gradus peruenit, non aliam habet cum assuetis quae ipsam perfrigerarunt similitudinem, quam frigiditatem ex ipsorum actione comparatam: sicut & qui ex temperamento frigidiori, per calfacientia ad idem secundi ordinis calidum temperamentum peruenit, non aliam habet similitudinem cum calfacientibus assuetis, quam calorem ex ipsorum actione comparatum. Calor autem atque frigiditas, quam uterque actione calfacientium, atque in frigidantium comparauit, aequalis est in utroque: siquidem in secundum caloris gradum incidit uterque: ergo nec contraria sunt in istis temperamenta, nec dispositiones, nec similitudines cum rebus consuetis. Et ex consequenti, cum contrarias habeat uterque consuetudines, sit necessario ut nec temperamentum, nec dispositio, nec similitudo aliqua cum rebus consuetis, sit consuetudo. Quæro insuper, an fieri aliqua via possit, ut illa duo corpora in idem temperamentum radicale, & qualitatum ueniant, ita ut neutrum in calorem, aut frigus, progrediatur magis? hoc enim dato, adhuc quod frigidis assueuit, poscit frigidiora, & quod calidis calidiora. Octauo, ubi quis permutetur in pituitosam naturam, per esum alimentorum frigidorum potestate, actu uero calidorum, aut tepidorum, iam cessabit ea qualitatum celerior permutatio quam imaginantur: aqua enim tepida, & lactuæ coctæ, & pisces actu calidi sumti, non prius refrigerabunt, quam in pituitosam substantiam commutentur: in eam enim vel à primo die commutari oportet. Nono, nam si consuetudo consistit in sola similitudine qualitatis, bene erit consultum consuetudini, si qualitatem similem adhibeamus, quantum substantia alimenti sit contraria: quod tamen aduersatur manifesto experimento, leditur enim qui uino est assuetus, si in aquam quantumuis calidam: & qui aquæ assueuit, si in uinum niue etiam perfrigeratum permutetur. Decimo, nam corpus quod contrarijs assueuit, non habet in utraque qualitate progressum: ergo consuetudo non est progressus ille in qualitate, per quem, cum utroque contrariorum similitudinem aliquam comparet homo. Cuius argumenti vim effugere studens, in distrahiam & contemptum, consuetudini annexa, aufugit Valensius: quæ tamen hac argumentatione ab illo non petuntur, sed quo modo progressum in utraque qualitate contraria facere possit? & contrarias dispositiones, aut similitudines ad contraria consueta, huiusmodi corpus quod contrarijs assueuit, comparare queat? Dicti præterea duo homines, qui per contrarias alterationes, in secundum calidi temperamenti gradum inciderunt, postquam dispositio quam ponit, transijt in habitum, & non est amplius dispositio: non habebunt consuetudines contrarias, siquidem postquam dispositio, aut consuetudo transijt in habitum, iam non est amplius consuetudo ut dicit: quod tam falsum est, nam eorum unus ledetur frigidis, & alter calidis ob assuetudinem. Vnde Gal. i. lib. de sani. tuæ. ita scribit. Pari modo consuetudini (utpote quæ adscititiâ acquisititiâque naturâ, in corporibus gignit) contraria dedisse in primis est noxiâ.

Quibus

Quibus uerbis patet, quod etiam post naturam genitam, consuetudo manet, & sui custodiam postulat. Quomodo præterea consuetudo longa quæ in habitum transijt, iam non est consuetudo, si eam habens est consuetus, & nullo alio quam consuetudine, consuetus esse potest? & quomodo cum iam transijt in naturam consuetudo, non est quam natura separatu facilius (ut dicit) si incontinens per assuetudinem, facilius curari potest quam incontinens ab ortu, & natura ingenita? ut ex Aristotele. 7. libro Ethicorum, cap. 10. refert.

De indicatione uero quam consuetudo exhibet, & quomodo etiam quæ praua est sit seruanda in morbo, & in negotio: & in quo negotio, & morbo: dictum à nobis est libro de morbis epidemialibus, iam iam si Deus fauerit ededo. Nunc autem ad pensum nostrum de temperamentis redeuntes, temporum anni temperamenta, tum ad eum librum, tum ad pleraque alia in arte medica scitu perquam necessaria, expendenda conuertamur.

De anno constanti, & maxime salubri, qui semper est optandus, & quantam habeat vim temporum constantia, & naturale temperamentum.

CAP. XVIII.



INE aere vitam nostram, ne per breuissimum spatium seruari posse, cuius est media plebe constat. Quod uero tres usus exhibeat nobis aer, scilicet attemperandi calorem, expurgandi fuligines, quæ sibi in corpore permiscuntur, & nutriendi spiritus, tum vitales, tum animales, dictum à nobis est libro pulsuum. Hinc quam expediens sit ut aer bene temperatus, ac purus respiretur, notant omnes qui artem medicam doctiuscule profitentur, siue enim immoderatus calefiat frigescat, humescat, vel siccescat aer, siue stagnorū, aut palustrium locorū euaporatione turbetur, siue cadauerum inhumatorū, aut barathri halitu, vel aura uenenata in terræ abditis cavitatibus putrescente conspurcetur, morbi & mortes contingunt. Hinc fit ut post terræ motus, per quos terra quatitur, huiusmodi aura spirante, pestiferi morbi uagetur. Hinc etiā dū horrea tritici diutius asseruati, aut putea quæ multo tempore fuerunt obstructa recluduntur, illuc intrantes mori sæpe contingit. Hinc paratiores censent quidam ad pestem esse urbes, quæ plures puteos habent, quoniam eiusmodi euaporatione à terræ latebris etiā sine terræ motu accipiunt. Aer ergo cum assidue intus & extra nostrum corpus peruadat, calorem attemperet, fuligines emudet, & spiritus enutriet: purus sit ab omni putredine, & uenenata euaporatione oportet: primarium etiā qualitatum si debitam temperationem non seruet, morbos creat. Est autem in aere temperies conueniens ea, quæ annis constans exhibet. Annū constantē (ex Hippocrate libro de aqua, aere, locis, & regionibus. Et. 3. Aphor. sententia. 9.) appello, cum omnia tempora ordinatim, ac sensim, suam recipiunt temperaturam: ita ut à nemine eiusmodi

eiusmodi mutatio sentiatur, ex Galeno. 1. Epidemiarum, com. 1. Hyems enim frigida atque humida, sensim trāsit in astatem calidam atque siccam, per medium veris, redditq; estas in hyemem sensim per autumnum, excedentibus semper qualitatibus paulatim se inuicem remittentibus. Quo autē magis paulatina fieret huiusmodi mutatio, unumquodq; tempus, tribus constat differentijs, vt notat Aëtius, sermone. 3. tertij tetrab. cap. 162. media, prima, & vltima, ē quibus media sincerissimum temporis temperamentū habet, prima vero, & vltima, à vicino tēpore imminuūt. Tempora ergo constantia suam seruant temperiem, & paulatim in se abeūt. Quare quae sit vniuscuiusque temporis natua temperies, & quot dies vnicuique tēpore tribuantur, medicus in promptu debet habere: aliter enim quod à natura desceat, dignoscere ipsi non datur. Astrologi sane, qui magis motū caeli, quā effectus cōsiderant, quatuor dicta tempora faciunt aequalia, eaq; diuidūt per quatuor puncta, in motu solis reperta: duo nempe solstitia, & totidē equinoctia. Medici vero cum considerent alterationem corporis ortā ex motu solis, & insignium astrorū, rectius constituunt inaequalia, vt sint duo minora temperata, ver & autumnus: maiora vero hyems, & aestas, intemperata: ita vt aestas sit totum tempus calidū, & hyems totum tempus insigniter frigidū, ex Auicenna. 2. 1. doct. 2. suma. 1. cap. 3. Veri ergo initium dat equinoctium vernale, incidēs nobis in diem Martij vndecimam, finem ipsi imponit pleyadum ortus, qui ad vicesimam quartam Aprilis diem fit: constatq; totum ver, diebus quadraginta quinque. Nam ante Martium plus iusto frigemus, sicut post Aprilem calemus, vere verò nihil horum sentimus: est enim hoc tempus exactē temperatum, & medium tenens inter calorem & frigus, humiditatemq; ac siccitatem. Primo, quoniam est medium per quod hyems frigida atque humida, transit in astatem calidam ac siccam: in quo necessario vtrāq; qualitates debent attemperari. Secundo, quoniam sol ex cuius recessu & obliquitate pēdet frigus hyemis, sicut ex accessu & directione calor aestatis, in medio est accessus & recessus. Tertio, ex aequalitate noctium atque dierum, aequalem ad calorem & frigus alterationem colligimus. Quarto, ex effectibus, est enim ver vt temperatissimum, ita saluberrimum anni tempus, vt docet Galenus. 1. lib. de temperamentis, cap. 7. & 8. essetque morbis ex putredine plus alijs obnoxium, si calidum atque humidū foret, vt voluerunt Galeno antiquiores. Quos tamen excusat & amicē interpretatur idem Galenus. 1. lib. de natura humana, com. 34. eos enim ver calidum & humidum statuisse (inquit) in comparatione ad reliqua anni tempora, perinde atque animalia collatione ad plātas: seorsum verò, & in sui natura, ver temperatissimum est: & animalia etiā quaedam temperata, & alia frigida reperiuntur. Nec aliud concludit Hippocratis argumentum, lib. 1. de natura humana, sententia. 34. citata, qua probat ver calidum esse & humidum, quoniam sanguis eo tempore magis augetur: nam sanguis tēperatus statuitur à Galeno, eodem libro de natura humana, com. 40. Quod ita esse monstrauimus libro nostro de humoribus, cap. 8. quo lectorem remittimus. Qui vero ver tempera-

tum

tum esse non. assequitur demonstratione philosophica, saltem id credere debet ex
 Auicennae consilio capite citato, vbi ita scribit. Et dicemus quod veris complexio
 est temperata, neque est sicut quidam existimant calida & humida: certificare verò
 illud multa inuestigatione, est in parte naturalis philosophiae. Credere autem debe-
 mus quod ver est temperatum. Constans ergo ver, & à sua natura non deuians, in
 vtrāq; oppositione est temperatum, & calidi ac frigidi, humidi, etiam ac sicci equi-
 libriū tenet: atq; nulla in illis, nec diu, nec noctu, fit magna mutatio, aut exuperan-
 tia, vt Galenus scribit. 1. lib. Epide. com. 1. Sunt autem ad hanc moderantiam in ve-
 re, aliquantae pluuiae necessariae. 3. Aphorismo. com. 8. & libro de aqua, aere, & lo-
 cis, apud Hippocratem, cuius etiam meminit inter Arabes Hali abbas. 5. lib. theo-
 ricæ, cap. 4. Ver (inquiens) suam naturam seruans, temperatus sit circa calorem &
 frigus, & in eo alternatim fiant pluuiae. Hic vero menti mandandū est, quod quan-
 uis ver excedat autumnū aequalitate, eius tamen initium quodāmodo inaequale est,
 ob temporum contrariorum permutationem, quae profus aequalis esse nequit, nam
 vt refert Alexander Aphrodisiensis. 2. lib. Meteororum, com. 24. ex Theophra-
 sto, tractatu de ventis, quae in permutatione temporum sunt, omnia nata sunt, vt
 indeterminationem semper accipiant. Et quanuis haec inaequalitas exigua sit, eam
 tamen Hippocrates non prateriuit: nam sexto libro Epide. parte. 6. sentētia. 15. re-
 ferente Hieronymo Gabucino, ita scribit. Autumnus tabidis malus, malum & ver,
 quando fici folia cornicis pedibus similia fuerint. Vbi non vniuersam veris constitu-
 tionem, tabidis malam esse scribit Hippocrates, sed eius tantum initium, quod fer-
 mē cum autumno conuenit, inaequaleq; existit ob dictam temporum indeterminatio-
 nem, ob quam modò calidius, modò frigidius persentitur. Hunc Hippocratis locum
 quanuis in nostris codicibus non legatur, legisse videtur Hali abbas. 5. lib. theori-
 cæ, cap. 4. vbi ita scribit. Ait autem sexto in Epidemiarum sermone, quoniam ve-
 ris principium pthificis malum, eo quod hoc tempore liquefiant humores & dissol-
 uantur, & in pulmonem pectusq; influant. Quibus verbis, non ob inaequalitatem
 veris, sed ob fusionem tabidos ledi affirmat, & sic Hippocratis locum interpreta-
 tur. At sola fusionis ratione inspecta, totum ver infestum esse statueret: principium
 ergo veris tantum damnans, ad inaequalitatem potius dictam, quanuis exiguam, re-
 spexisse est magis consonum.

Post ver aestas sequitur, calidum atq; siccum tempus. Primo ob accessum & di-
 rectionem solis ad nos. Secundo ob moram, quae diem longissimum, & breuissimam
 noctem reddit. Tertio ob sydera, quae soli tum temporis iunguntur, aërem non parum
 calfacientia. Cum enim incipit aestas pleyades oriuntur, nempe die Aprilis vicesima
 quinta. Sydus praeterea aliud $\pi\epsilon\alpha\kappa\omicron\upsilon\upsilon$ id est ante canis, aut canis minor, oritur octa-
 ua die Iulij: in hoc vero sydere, potissima quaedam stella habetur, appellata algomea,
 quae oritur decima quinta Iulij. Oritur praeterea decima octaua Iulij, canis maior in
 cuius facie aut mandibula sedet illustrissima stella $\sigma\iota\gamma\iota\omicron\upsilon$ id est canicula appellata,

S que

que oritur die vicesima prima Iulij, à cuius ortu dies caniculares appellati sunt computandi, qui sunt totius æstatis grauißimi, & æstuosißimi: ad quos gradatim peruenitur, paulatim aucto calore per ortu pleyadum, & canis minoris. Si enim hæc duo fydera, pedetentim calorem non inuexissent, subita & molesta in dies caniculares fieret transmigratio. Priores sanè cause que æstatè calidam ac siccam reddunt, ex solis accessu, directione, & mora desumptæ, perpetuæ sunt: hæc vero que ex astris pendet, non perpetua. A Ptholomæi enim tempore constat, octauã sedem stellarum fixarum non esse immobilem: & ortum caniculæ, delapsu temporis in hyemem posse incidere, quo tempore temperatiora cum hyems, tum etiam æstas reddentur. Exigui namq; momenti est ratio musæ. 4. Aphorismorum, in com. ad quintam sententiam contendentis probare, quod canicula cõgrediens cum sole, vi propria nõ auget æstum: nam oporteret (inquit) eo tempore, vigere æstum australibus regionibus, quo tempore apud illos hyems est. Audiat vero quod sicut nos vicinos nunc magis calefacit, sic illos remotissimos minus infrigidat: que fortuna temporis lapsu, vt diximus est cõmatanda. Durat æstas vsq; in ortum arcturi fulgentissimæ stellæ, post caudam minoris vrse sitæ, que nobis oritur decima septima die Septembris: tribus nempe diebus post æquinoctium autumnale: quo fit vt contineat æstas nostra menses quatuor, dies viginti tres. Constans ergo æstas, calida atq; sicca debet esse, augeturq; per eam æstus pedetentim, ita vt transmigratio in caniculam non sit admodum sensibilis. Ante caniculam autem dies octo, prodromi, idest præcurrètes, aut præcursores ventu flabunt. Ab ortu vero caniculæ, ethesiæ (idest annales, aut anniuersarij venti sic dicti, quia perpetuò obseruât hanc legem, tunc flandi) interdum spirabunt, vt autor est Galenus. 3. lib. Epidemiarum, parte. 3. cõment. 6. Sunt autem ethesiæ (apud Aristotelem. 2. lib. Meteororum, cap. 5.) venti ab Aquilone flantes post solstitium, & canis ortum: quoniam sol ad polum proximè accedens, niuem & aquas frigore concretas liquefacit, è quibus ventum frigidum eruit. Id autem facere nequiuit sol in ipso solstitio existens, vndecima die Iunij, duplici causa. Prima, quoniam niues, & aque glaciata, nisi prius præcalfactæ, & quodammodo ad solutionem præparatæ, in ventum transire nequeunt: quare tunc præparantur liquefactioni, vt postea cum canis oritur, licet sol iam cæperit recedere liquefcât: qua certe ratione, sol vehementius tunc operatur, perinde ac hora secunda pomeridiana magis calefacit, quam meridie. Secunda ratio est, quoniam in solstitio, dum proximè ad polum accedit sol, si quidpiam liquatur, & in ventum vertitur, exiguum id est, facileq; absumitur, tum ob sui paucitatem, tum ob solis propinquitatem. Non perflant autem noctu, sed interdum tantum ethesiæ, quoniam que gelata sunt, deficiente sole neq; liquantur neq; euaporant, quin noctis frigiditate rursus gelantur: qua certe ratione noctes caniculares molestiores sunt quam dies, vt problemate. 15. libri. 25. tradit Aristoteles. Prodromi autem venti, qui octo ferme diebus ethesias anticipant, quosq; dirimit canis ortus, ex Galeno. 3. Epidemiarum citato, aquilones etiam sunt, vt cen-

set

set Collumela libro. 11. ob id enim anticipant, vt notat sanctus Thomas. 2. lib. Meteororum, capite. 5. quoniam aliqua materia velocius præparatur, vt perfleret. Thomas vero Rodericus à Veiga Lusitanus, doctus admodum, & quondam magister noster, prodromos ventos, australes esse censebat: nam si ab Aquilone perflant, non erūt ab ethesijs diuersi: nec enim sola magnitudine distare (ita vt prodromi exigui sint & incipiètes: sequatur vero ethesiæ validiores, ampliore iam niue liquata) veram videtur. Primo, quoniã ethesias paruas, spirasse refert Hippocrates, in statu què pinxit. 3. lib. Epid. par. 3. Secundo, quoniã hos duos vêtos ab inuicè canis ortum dirimere, voluit Galenus in cõmentario: qui si ydè essent, nõ dirèptos, sed auctos statuisset. Magis tamen placet diui Thomæ sententiã, quoniã causa que aucta ethesias gignit, incipiès minores prodromos genuisse est verisimile. Neq; oportet vt semper ethesiæ sint magnæ, nisi annus sit constans: in inconstanti enim (de quo agitur. 3. lib. Epide.) & parue, & nullæ contingunt, quas tamen semper dirimit canis ortus à prodromis: præcursores enim non sunt, nisi qui diebus octo canem antecedunt: siue parui, vt in anno constanti, siue magni vt in non admodum legitimo contingant: sicut neq; ethesiæ dicuntur, nisi que canis ortui succedunt. Que omnia apertius Plinius tradidisse videtur. 2. lib. naturalis historiæ, cap. 48. in hæc verba. Caniculæ exortum diebus octo ferme aquilones antecedunt, quos prodromos appellant: post eorum autem exitum, ydem aquilones constantius perflant diebus quadraginta, quos ethesias vocant. Ante ethesias vero, & prodromos, in prima æstatis parte, vt illic spirat Fauonius, apud Celsum libro. 2. cap. 1. qui quidem ab occasu æquinoctiali perflans, temperatè frigidus atq; humidus est: per ipsum vero ad prodromos frigidiores: & post hos, ad ethesias magis frigidos in secunda æstatis parte spirantes graditur. Nam vis per æstatem exoluta nõ tolerat repentinã mutationem ad Aquilonem: quare Fauonio, & prodromis præcurrentibus, opus habent ethesiæ: Ethesijs autem, valde indignit æstuosissima æstatis pars. Auicenna æstatem non absq; pluuia desiderat. Et Hali. 5. theoricæ, cap. 4. æstatem constantem pluuias paucas posse re, non vt ver multas scribit. Ex Hippocrate autem libro de aere & aqua, & Galeno. 3. Aphorismorum, com. 11. sumenda est interpretatio. Quod nimirum in prima parte æstatis, vsq; ad canis ortu, non pluat: in secunda vero post canem, utilis est aqua & hiberna tempestas. Et 1. lib. Epidemiarum, com. 1. in ipso canis ortu, ante ethesias, austros aliquantisper regnantes, & tantas pluuias succedentes (requirit Galenus, 1. lib. Epidemiarum, com. 1.) quantæ spirant ethesiæ ad ortum vsq; arcturi. Et Plinius libro. 2. naturalis historiæ, cap. 48. post ethesias, vsq; ad arcturi exortum, qui autumnum inchoat, frequentes austri spirant.

Æstatem & arcturi ortum, sequitur autumnus, à die Septembris. 18. in occasum pleyadum, qui nobis septima die Nouembris contingit: quo fit, vt contineat autumnus noster, dies quinquaginta. Quod sane tempus temperatum esset vt ver, tñ ob noctiu atq; dierum æqualitatè: tum etiã ob solis situm mediũ, in quo nec accedit, nec re-

S 2

cedit

cedit ad nos: nisi obstaret aëris dispositio relicta ab æstate, cuius ratione in transitu ad hyemem, non redditur temperatus in autumnno: sed frigidus, & siccus, ac inæqualis. Hanc autem dispositionem in aëre relictam, duplicem recenset Auicenna, una est maxima raritas, atq; tenuitas, quæ aërem exponit veloci calfactioni, & infrigidationi: omnis enim tenuis substantia, facilius alteratur quàm crassa: & aqua pariter ac aër, quo sunt tenuiora & rariora, eo promptius incallescunt, ac infrigidantur. Hinc ergo fit, ut aër per noctes autumnni, mane quoq; & vesperi cum nõ viget sol, plurimū infrigidetur: meridie vero cū noctis frigus sol abstulit, ingētem aëstū accipiat. Et ex consequenti, quantum attinet ad differētiā caloris & frigiditatis, inæquale tēpus est autūnus, & vincit in eo frigus. Quòd verò in altera differētia humiditatis & siccitatis, intēperatus sit, ex altera dispositione, ab æstate aëri impressa pēdet: ex summa nempe siccitate, & omnis succulenti vaporis absorptione, quæ augetur autumnno ob æstum meridianum, & non minuitur ob frigus noctium. Illud enim frigus, humidos vapores à terræ superficie nõ elicit, quæ deberet esse ratio humectādi. In permutatione verò hyemis ad æstatē, secus cōtingit: nam aër crassus, & vaporibus plenus, paulatim & equaliter calefit, & ab aqueis vaporibus exsiccat, in mediumq; veris tēpore temperamentū meat. Adde causam aliam inæqualitatis autumnni (ex Alexandro Aphrodisiensi proble. 67. libri. 5.) esse, aut ventorū varietatem, aut quòd terra autumnno reducit ad nativam frigiditatem, & communicat aëri adhuc calenti auram frigidam: nec opus est recurrere ad vim solis occultam, quam etiam admittit. Causam aliā inæqualitatis autumnni agnovit Aristoteles. 2. lib. Meteor. ortum nempe & occasum orionis. Oritur enim hoc astrū initio autumnni, & occidit ad autūni finem: constatq; ex plurimis stellis, & magnā occupat cœli partem: quapropter non totus simul oritur, vel occumbit: sed in pluribus quidē diebus: ita ut totus autūnus, sit turbatione plenus. Præterea causam aliā inæqualitatis autumnni, veri etiam cōmunem, conflictū scilicet & concursum contrariorum temporū: æstas enim & hyems, dum in se transeunt, in autumnno & vere concurrunt, in quo conflictu indeterminationem ipsorum necessariā fore voluit Theophrastus. Causam autem nunc querimus, quare totus autumnus sit inæqualis: non autē quare eius initio aliqualis cōtingat inæqualitas. Constās ergo, atq; legitimus autumnus, frigidus, siccus, & inæqualis in una oppositione est: ita tamen ut eius initio pluat, & vēti frigidi spirēt, eoq; discurrete paulatina ad frigus cōmutatio fiat: ut autor est Gal. 1. lib. Epid. com. 1. ubi ita scribit. Igitur oriente arcturo pluit ferè simulq; spirant venti frigidi: quod tum autumnni est principium, tum finis æstatis: deinde tempore sequente, paulatim (ita ut nõ percipiatur) fit mutatio in frigidum: quam vicissitudinem, facit pleyadum occasus sensibilē. Hippocrates præterea libro de aëre, aquis, & locis, autumnnum probat, in quo aquæ descendunt. Et Auicenna loco citato, capite. 4. autumnnum pluuiosum, salubrius esse existimat.

Autumnnum hyems sequitur, frigida & humida: incipitq; ab octava die Novembris.

bris, occasus enim pleyadum tum contingens, frigiditatem facit sensibilem, ut ex Galeno nuper retulimus. Protenditur autem vsq; in æquinoctium vernum vndecima die Martij contingens: quare continet hyems nostra, menses quatuor, & dies quatuor. Hyberna autem frigiditatis causa, solis est distātia, radiorum obliquitas, & pauca mora, qua nobiscum conuersatur: breuissimos enim dies, & longissimas noctes facit. Hyemis vero humiditas, ex solis imbecillitate pendet: qui vapores potest elicere, non autē dissipare. Calor quoq; qui ad terræ viscera, antiparistasi fuit actus, vapores aqueos ex intimis terræ humiditatibus transmittit: qui aërem nostrū vnum reddunt. Costans ergo & legitima hyems, frigida atq; humida est: quæ tamen in his qualitatibus modum seruet, neq; sit valde serena, neq; frigore excedens, & procelosa, ex. 3. Aphor. com. 8. immoderantia enim ventorū hyemis suspecta est: ob idq; Celsus lib. 2. cap. 1. ex diebus hyemalibus, præfert eos, in quibus venti omnino silent: quod tamen recipiendum non est. Nam hyems magnum aquilonem, & longo tempore habeat oportet, ut constat ex Galeno. 1. Epid. par. 1. com. 3. ubi ita scribit. Paruos (inquit) ventos fuisse hyeme, quòd si in natura sua hyems constitisset, omnino fuissent magni. Atq; ijs hoc duplici nomine accidat, uti & nunc parui videantur fuisse: cum sua ipsorum magnitudine, tum temporis prolixitate. Spirarunt enim diebus paucis aquilonij, atq; hi non vehementes: cum habere hyems magnum aquilonē, & longo soleat tempore. Hæc Galenus. Quibus constat, hyemi constanti, naturales fore aquilones qui diu durent. Nam quauis loca circa septentrionem sita, per hyemem sint tranquilla, nec vllum flatum sentiant, eo quod propter excellens frigus, talis ibi exhalatio prohibeatur, ut constat ex Aristotele, & Alexandro Aphrodisiensi. 2. lib. Meteor. com. 21. nobis qui quartū clima incolimus secus contingit: nam (ut ibidem subdit Aristoteles) quod paulatim circa septentrionem expirat, nullum ibi sensibilem ventum cōmouens, propter sui paruitatem: procedēs ad nos, iam spiritus fiet illustris: nam semper dum à suo principio progrediuntur venti, multas continuè secum colligunt exhalationes: sicq; hyeme magnus nobis, diuq; durās, aquilo redditur, ut ex Galeno retulimus. Ante ver, cum hyemis iam rigor cœpit euanescere, leucnothus ventus, ab altero polo, intercissus tamen, & non continuus perflat: et huius enim alterius poli, ob niues quæ tunc liquefiunt, respondet hic ventus: qui solet aues adferre, ob idq; eundem ventum, ornithiam ab auium: aduentu appellat Aristoteles, 2. lib. Meteororum. Apparēt enim, & volant hirundines (apud Aëtium sermone tertio, primi tetrab. cap. 164.) die Ianuarij vicesima sexta: nobis autem magna ex parte visuntur, eiusdem mensis die decima septima, quando festum sancti Antonij celebrat ecclesia: interdumq; eas vidimus, postremis diebus decembris.

Huiusmodi sane legitimi anni constitutio, omnium est saluberrima. Nec enim annus salubrior erit, si autumnus omnem inæqualitatem amittat, reddaturq; aut frigidus aut calidus equaliter: nec si fiat temperatus: nec mihi placet Hieremias, qui omnia tempora, temperata, & vniuersi modi optat: ea enim partium anni diuersitas, &

Paulatina naturalisq; vicissitudo, animantibus, & vniuerso, est magis cōueniens: per eam enim omnes corporis qualitates exercentur, sollicitantur, & suorum veluti operum potius admonentur, quā vim aliquā perpetiantur: magni namq; momenti semper est natura e nomen. Vnde Auicenna, hyemem frigiditate carentem, apertè reprobabat. Quare legitimi anni qualis descripta est constitutio, plus alijs probatur: vt quæ cuncta suo tēpore reddat, fruges, & animantia, salubris insuper est, & paucos morbos, eosq; legitimos, & constantes parit, boniq; iudicij. Ij sanè sunt, qui sui tēporis naturam seruant, & dispersi sunt: vt autor est Hippocrates. 3. lib. Aphorif. sententia. 8. Experimentis enim, & ratione didicit Galenus. 1. Epid. com. 1. quòd vbi in dictum modū tempora procedunt, & in se mutuo conuertuntur, neq; existit pestis vlla, neq; quisquā alius morbus vulgaris: sed solum morbi dispersi, qui dictus comites sunt. Dispersorum autē formæ, immutantur pro anni tēpore, ætate, & natura. 3. Aphorif. sentent. 19. Vnde aphorismo. 20. 21. 22. & 23. morbos diuersos memorat familiares, alios quidem veri, alios æstati, alios autumno, & alios hyemi: qui omnes sunt dispersi, ex praua viuendi ratione orti, & ab aëris diuersa tēperie in varias formas pro temporis ratione immutati, vt eodē cōmentario primi libri Epidemiarū notat Galenus. Quin ex sola aëris immoderātia, in anno constāti, & moderato, morbus dispersus multis exoritur: ijs nimirū, qui excessibus quos constans annus admittit, æstius nempe solibus, ventis, & hyemali pruina, se intēperanter cōmiserint. Ex quo patet intellectus, difficilis loci Hippocratis, libro de flatibus, vbi postquā duo febriū genera posuit: vnum cōmune, & alterū dispersum ex prauo victu cōtingens, subdit hæc verba. Vtrinq; autem generis, autor & causa aër existit. Quibus verbis Hippocrates, morbos dispersos pro aëris, & tēporis ratione, diuersam formā suscipere, vt monuimus voluit. Nec est cur locus hic Hippocratis, tantum angat Valeriolam, & Donatum Antonium, si ad hunc modum intelligatur. Annus ergo constans salubris dicitur, quoniam morbis caret vulgaribus: non quoniā morbi prorsus in eo non fiant, sed quoniā qui fiunt dispersi sunt, & ex diuerso cuiusq; victu, ætate, temperatura, anni tempore, & regione pendent. Salubres quoq; & boni iudicij, hic annus morbos afferre dicitur: non quoniā non intereant in ipso, sed quoniā pauciores quā alijs temporibus intereant. De autumno etiā constanti verū est, quòd morbi autumnales sunt exitiosi, vt scribit Hippocrates. 3. Aphorif. sent. 9. & quòd sunt boni iudicij, vt nuper diximus: nulla enim in his dictis pugnātia clauditur, quoniam inter anni tempora, exitiosiores morbos profert autumnus: qui tamen vbi constans est, adeo bene decernit, vt multo plures in eo ipso sanentur, quā intereant. Tantam enim vim in temporū anni constātia agnouit Hippocrates, quòd etiā morbi contracti ex veris humiditate, dum sequentis æstatis calore putrere cōperūt, iuuantur pluuiæ post canē: quia est secundū naturā temporis, vt constat ex Hippocrate, libro de aëre, & aqua, cuius verba citat Gal. 3. lib. Aphorif. com. 11. Fiunt etiā in vnoquoq; mense, cōstantes quædā alterationes: luna enim secundū mensem quatuor dif-

ferentias

ferētias in aëre operatur, ex Aëtio, serm. 3. 1. tetrab. cap. 162. Primus enim septenarius, à nouilunio vsq; ad septimā diem, similis est veri. Secundus vsq; ad pleniluniū, similis æstati. Tertius decrecente luna, autumno. Quartus & vltimus, hyemi. Sed & singulis diebus differentie aëris fiunt. Matutinum enim tempus, veri respondet: quapropter etiam corpora, tum sanorum, tum ægrorum, remittuntur: vt etiam febrietibus, hoc tempus facillimè toleretur. At meridies, æstati assimilatur: vespere, autumno: nox, hyemi. Salubre autem est, quòd septimanæ dies, & diei partes, in sua constant temperie: non æque bonum, si ab ea diuertant.

Quod anni constantia dicta, sit audienda in regione temperata, & in maritima. Quidq; regionibus intemperatis, addendum aut detrahendum sit, de temporis inconstantia. Quod clima sit temperatissimū. Et de temperamento regionum sub æquatore, & tropicis iacentium.

CAP. XIX.



“
“

I anni tempora, legitima & constantia nō fuerint, insalubre corpus reddetur, magis, aut minus, pro ratione lapsus temporis. Permutatio enim portionis temporis, si ad suam naturam citò redeat parum officit. Quod enim. 3. Aphorif. sentent. 4. inquit Hippocrates. In temporibus quādo eadem die, modò calor, modò frigus fit, autumnales morbos spectare oportet: de pluribus diebus inæqualibus, non autem de vna audire oportet. Si vero vnum tempus totum, non valde permutetur: morbos aliquos parit, nō tamē magnos. Ex vnius autē temporis magna alteratione, magni morbi sequuntur: sicut & maximi, ac pestilentes, cum omnia aut plura anni tempora, valde à suis temperamentis deflectunt, vt. 3. lib. Aphorif. com. 1. & in Epidemys sepe autor est Galenus. Quæ sane in locis temperatis, & in regione temperata, audienda sunt, ex Galeno. 3. Aphorif. com. 14. nam in intemperatis, aliquādo grauiore, aliquādo leuiore, interim nullos morbos inducūt in constantia tempora: sed potius regionis intemperiem corrigunt: calida namq; & sicca regio, sepe frigida & humida æstate tēperatur. Vt ergo sententiā prorsus verā sit, in omni loco atq; regione, tantum de inconstantia temporis adijcere, aut detrabere conuenit: quantum ipsa regionis proportio, ad temperatam comparata requirit. Nisi fortè eiusmodi intemperatæ regiones sint maritimæ, in quibus ratione maris regionem ipsam contemperantis, nihil est quod detrabas, aut adicias. Scribitur enim Aphorismo. 14. nuper citato, loca maritima si meridionalia, & calida sunt, minus calere: si septentrionalia, minus frigere. Cuius rationem tradit Auicenna. 2. 1. doct. 2. cap. 10. quoniam aër ex vaporibus maris nonnihil incrassatus, tardius calfit in æstate, & in frigidatur in hyeme: crassa enim substantia, difficilius alteratur quā tenuis.

S 4

Vide.

Videtur autem obstare, quod aer crassus postquam calfit, aut in frigidatur, vehementius vrit, aut in frigidatur. Unde 25. problemate libri primi, apud Aristotelem in pontho-byemis est frigida, & aestas calidissima, ob aeris crassitatem. Cui tamen dubitationi dicendum est, quod ubi magna est crassities aeris, ut in pontho, ita contingit: quoniam nox emendare non potest calorem diei aestiui, nec sol calefacere frigiditatem noctis hyemalis. Loca vero maritima magna ex parte aerem adeo crassum non habent, nec si haberent par esset utrobique ratio: quoniam in maritimis idem aer non perseverat, sed novus semper accedit, ob ventos frequentes, quibus verberantur: quare nec multum calefcit, aut frigescit. Quo ad passivas tamen qualitates, humidus semper est aer maritimus, ex Avicenna loco citato: nam quannus aerem sua salsedine quadantenus mare exsiccat, solo contactu superficie-rum id valet efficere: non enim vapor qui elevatur e mari, salsus est, sed dulcis, & humidus. Quod experimēto deprehendet, qui aquam marinam cucurbita destillato-ria destillauerit, dulcissimam enim aquam, & copiosam eliciet: quam utilissimè, bi- bere possent navigantes: quoniam sol ut notat Hippocrates libro de aere & aqua, non effert ex mari nisi dulcissimū, & leuissimum. Quae sententia verior est, quam Ari- stotelis. 2. Meteororum, cap. 4. salsum vaporem cum aqueo permixtum, in nubem concrefcere: & aquam item pluuiam quannus potabilis sit, salsedinem aliquam habe- bere, existimantis. Dulcissima etenim est, & nihil in ea subsidet: quantūvis terreū & salsum in ea subsidere scribat. Reliquas etiam aquas potabiles corrigit, quas vitaret si esset salsa. Ad haec ventrem adstringit, & roborat: solueret autem, atque irritaret salsedine. Maritima ergo loca temperatiora sunt maris ratione ut dixi- mus: cum latitudine tamen quadam pro ratione situs terrae, & pro ratione situs maris. Nam maritima loca Traciae & Ponthi, quoniam humilia sunt calidiores ha- bent temperaturas, ut refert Galenus tertio libro Aphorismorum, comment. 14. quae vero editiora sunt, frigidiora etiam habeantur par est. Maris etiā situs plurimum facit, loca enim maritima, si mare habent a Septentrione, frigidiora sunt: si ab Au- stro, calidiora: ut notat Hali abbas, quinto libro theoricæ, cap. 9. Ventum namque ex mari frequentissimum, accipiunt maritima: Aquilonem si mare habeant a Septen- trione, & Austrum si ad meridiem. Hocq; Galenus fortè sensit, cum Aphorismo citato, maritima scripsit in calidis regionibus sita, quales Aegyptus & Lybia sunt, minus calida esse, quoniam aestate refrigerantur ventis a Septentrione flantibus: ob mare videlicet ea parte situm, quo huiusmodi regiones alluuntur. Quo ad passi- uas vero qualitates sunt humida, cuius ratione cutes lenes, & facies decoras, in ma- ritimis inuenies: ob idq; non nimis aridet nobis Galeni consilium, quinto libro Me- thodi, ubi aerem siccum tabulis parare docens: locum non longe a mari situm requi- rit. Non tamen adeo humida sunt, ut ob id morbosiora mediterraneis reddantur: nam ex maris salsugine siccitatem etiam aliquam aer contrahit: vapores etiam dul- ces qui e mari euehuntur, minus humidi sunt, quam qui attolluntur ab aqua dulci,

quadante-

quadantenus nimirum assiccati, ob contactum salis. Hinc est quod aqua pluuiam mi- nus putrescat, ex Gal. 7. lib. de compositione medicamentorum secundum locos, cap. 10. Hinc etiam ea utimur ad aluum cobibendam. Hinc etiam aloë, & medicamenta alia ventri roborando idonea, aqua pluuiam lauamus: ob siccitatem enim est adstringentior. Hinc etiam salubriora censemus esse maritima mediterraneis, cum Auerrhoo. 2. lib. Meteor. cap. 2. nam in calore & frigore, temperantur aestas, & hyems, ut diximus: humiditas vero emendatur siccitate, & salsedine maris. Tantū vero abest ut humi- ditas ita castigata, putredini sit opportuna: quod ad longevitatem prodest plurimū. Ac- cedit quod a mari spirant veteri, aere a quibusvis morbidis excretionibus purgantes. Cum ergo medicus tempora inconstantia perspexerit, quantum a naturalibus deslectat librabit, quod in regione temperata facile consequetur: in intemperatis autē, addet aut mi- nuet de inconstantia temporis, pro ratione intemperie regionis corrigende, ut diximus. Quae autē sint temperata, aut intemperata regiones dubitarunt auctores: diuiduntq; uni- uersam terram habitabilem, quae versus nostrum polum est: in eam quae sub aequatore iacet, & in septem praeterea climata. Quorum unum ab altero semihora distat: ita ut sub aequa- tore noctes diebus perpetuo sint aequales: initio vero primi climatis (quod dicitur per id est per meroem transit) longissima dies, contineat duodecim horas cum dimidia. (Est autē meroe insula Africae Nilo circumfusa) in fine vero qui idē est, cum initio. secundi cli- matis (quod per sienem Aegypti urbem fertur) tredecim horas habeat. Tertium per Alexandriam urbem in ora Africae sita, tredecim horas habet cum dimidia. Quar- tum per Rhodum transit, & Cos insulam, quae Hippocratis est patria, habet qua- tuordecim. Quintum, quod per Romam, vel Helespontum fertur, quatuordecim ha- bet cum dimidia. Sextum per Pothum, habet quindecim. Septimo vero, quod per Boristhe- nis ostia ducitur, semihora addere oportet. Hic vero fuit finis climatum antiquo- ribus, quippe quibus regiones ulterius ignotae erant. Addunt nostri octauum, per Ri- pheos, vel meotidis paludes. Nonum per Daniam & cetera. Totidemq; ab aequa- tore, versus alterum polum: quannus innominati sunt, numerare contingit. De quo- rum tamen temperamento, magna inter auctores discordiae ortae sunt: in qua conten- tione, non parum obfuit vestiganda veritati, dulcis amor patriae, & nativum solum, quod cuius magis placet, quam extraneum. Hippocrates, praefert patriam suam, id est quartum clima, per Rhodum transiens, & Coam, libro de aere & aqua: quem se- quitur Galenus, nam pergamus nativum ipsius solum, eodem iacet climate, ubi mul- ta corpora temperata reperiri tradit. 2. lib. de sanit. tuen. cap. 13. Et lib. 3. Aphor. comment. 14. Zona (inquit) exquisitam habens temperiem, ac media orbis terra- rum, est quae per gnidum & com, & quaecunq; loca non multum ab his recesserunt, vel ad aquilonem, vel ad austrum. Oportet autē ut temperatam zonam nominatam, ab his qui talium habent peritiam perfecte intelligas, excogitare quandam lineam rectam ab oriente ad occidentem extensam per ea quae dixi loca. Huc vsq; Galenus Neq; obstat, quod libro de aere & aqua scripserit Hippocrates, Asia (scilicet minorem) esse ma-

fuetiorem & temperatiorem, nā in eodem climate iacent: in quo maior aut minor tēperies, ex situ pendet regionis. Auerrhous vero. 2. colliget, cap. vlt. præfert patriā suam (ideſt quintū clima) quoniā ver habet longū, & autumnum breuē. Non tñ ea ratione tēperata regio metiēda est: ſed quoniā nō magnopere in ea excedit calor, aut frigus. Tantū autē patriæ amor deluſit autores, vt Manardus vir doctiſſimus, ſextum clima ſibi natāle, prætulit reliquis, epiſtola prima libri ſeptimi. Addita ratione, quōd æquidiſtat à polo, & æquinoctiali: cū enim vniuerſa hæc latitudo ſit nona ginta graduum: ſextum clima incipit à quadrageſimo tertio, cum dimidio, & deſinit in quadrageſimum ſeptimum. Sed longè deceptus eſt. Primo, quoniam ab omnibus diſſentit. Secundo, quoniam Galenus, experientię fide, quartū clima tēperatiſſimum ſtatuit: & multa corpora temperata ibi reperit, quod tamen nō æque diſtat. Tertio, quoniam plurima loca ſexti climatis, immodice frigida ſunt. Quarto, quoniam non pendet regionis tēperies, ex æquidiſtantia ab æquatore, & polo: ſiquidem vt ipſe probat, ſub æquatore temperata regio reperitur. Quauis enim Ariſtoteles, & antiquiſſimi autores, æſtu inhabitabilē eſſe, quoniā inter duos tropicos eſt interclauſa cenſuerint: noſtra tñ ætate, tum rationibus, tum etiam experientię fide, non ſolum eſſe habitabilem, ſed omnium regionū temperatiſſimam ſcimus. In ea enim, (vt ex noſtrorum Hiſpanorum nauigationibus conſtat) ingentes vrbes, inſulæ maximæ, atq; diſtiſſimæ habentur: quæ magna ſalubritate celi, & aëris dulci tēperie fruuntur, vt taprobane (quæ hodiē referēte Valeriola ſamotrā vocāt) in qua hominū vita cētum annis eſt modica, vt Plin. refert lib. 6. nat. hiſt. cap. 22. Seyla itē, ſiue vt nunc dicunt Zaylon, ſub æquatore ſita eſt, apud Ludouicum Romanū, lib. 6. nauigat. cap. 4. in qua incolæ, nec frigus nec æſtum vnquā ſentiunt, & cuncta ibi perpetuo vernare videntur. Aurea præterea Chersonesus (quam hodiē Malacam vocant celebre Indiæ emporium) quatuor tantum gradibus ab æquatore verſus alterum poli diſtat, & tēperatiſſima eſt. De Reame quoq; felicis Arabiæ vrbe ad orientem paulo ſupra æquatorē ſita, idē Ludouicus Romanus, lib. 2. nauigat. cap. 9. ſcribit, eſſe tēperatiſſimi celi, & aëris, vberriſſimæ glebbæ, & in qua homines ſupra centum & quadrageſima annos vitam feliciter ducant. Nam ſub æquatore, hyems nō eſt admodum frigida, quoniam ſol parum recedit: nec æſtas admodum calida, quoniā parum moratur citò declinās. Nec duplex æſtas calidam admodum regionem reddit: quoniam ſex menſium interſtitio vna ab altera diſtat: ſicut nec duplex hyems, eam valde facit frigere: quin ob temporum viciffitudinem, & mutuū contemperamentum, omnia ferè ſemper vernare videntur. Diei quoque & noctis, accedit æqualitas: quæ mutuo ſe contemperant, & aërem in neutram immoderantiam alterant. Nec quibuſcunq; autorū rationibus eſt fidendum, quauis eas demonſtrationis vim habere, credat Auerrhous, ſecundo libro Meteororum, capite quinto. Nam non modo ſub æquatore habitatio ſit, eaq; temperata, & ſalubris: verum quōd magis eſt mirum, ſub ipſis tropicis, vbi feruentior æſtus, vel ipſis

ſis autoribus eſſe deberet) temperata regiones reperiuntur. Cætiētes enim aurifera regio, ab Alſonſo Petro inuenta, & terra dicta parias auri feraciſſima, ſub capricorni circulo iacent: ſuntq; temperatiſſimæ, fidōſq; homines, ſynceros, manuſuetos, & ſpectatæ probitatis gignunt: quiq; annos centū ſupra quinquageſima feliciter viuūt, vt affirmant Americus veſputius, lib. 1. nauigationum, & Chriſtophorus Columbus, cap. 110. De madera quoq; inſula, propè cancri circulum ſita, temperatiſſimam eſſe cōſtat: vt hinc etiam pateat, quā parū rationi Manardi, de æquidiſtantia ſexti climatis à polo & æquatore, & rationibus antiquorū de exuſtione ſub tropicis, & æquatore ſit tribuendū: ipſis enim experientię fides reluētatur. Nā temperiem regionis multa alia efficiunt, vt potè ſydera, & benigniores celi aſſatus, ſoli bonitas, ſitus, & venti quibus perflantur: quæ vbi antiqui Philoſophi noluerunt, voluit totius orbis dñs impartiri. Hæc verò præterquā quōd tractatui de tēperamentis, ſunt conuenientiſſima, eò hic protulimus, vt anni conſtantis, & valde ſalubris conditio, non nos effugiat: variationem enim ſuſcipit pro regionum lapſu à temperata. Quin nec in ipſamet regione temperata, anni legitimi ſalubritate fruatur, qui eius intēperanter ſe cōmiſerit iniurijs: æſtiuis ſolibus, ventis, & hyemalibus pruinis, aut more etiam puellarum, apricum ſemper oderit campum, & continue in vmbra degat, vt ſcribit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 50.

De ventorum in vniuerſum natura, & numero: deq; ſingulorum temperie, ac ſalubritate.

C A P. XX.



X duplici materia, terra nempe, & aqua, neceſſariū eſſe, colligit Ariſtoteles, vt ſolis actione duo efferantur in ſublime tenuia corpora, alterum è ſicco exhalatio dictum, alterum ab humido, quod appellamus vaporē. Hic ſurſū ſublatus, inſpiſſatur in nubem, & demum in aquam coit. Qui ſanè ſermo (inquit Gal. 1. lib. Epidem. par. 1. com. 8.) videbitur forſitā ſibi minus conſtare, eleuari in altū dicēs hūnorē, & cōſpiſſari. Suſtollī enim caloris opus eſt, frigoris cōſpiſſari: nō poteſt porrò idem ſimul eſſe & calidū & frigidū. Sed ſi ipſum animaduertas, qui ſupera petit, vaporē eſſe calidū, atq; eius gratia in ſublime ſubuehi: frigidū autē eſſe aërē qui vaporē excipit, deſines dubitare qui fiat vt ſimul & ſurſum feratur & cōſpiſſetur: nā vt ſuſtolatur ſua ſpōte habet, vt cogatur, ac cōſtringatur per excipientē aërē, qui quōd erit frigidior, hōc aſcēdentē nebulā cōſpiſſabit magis. Illud vero, qđ exhalationē appellamus, ad locū aliquē ſublimē ſe recipit, ac colligitur: & cū locus ille amplius capere nō poteſt, exprimitur præ multitudinem, & à frigore etiā mediæ regionis reprimitur, eoq; fertur, quōd liberior exitus, et amplior locus inuitat: ſicq; circa terrā diſcurrit, & antequā huc perueniat, ſue motionis in ſublimi ſigna dedit.

dedit. Nec enim in aëre, ut vêtus fiat, naturalē aliquā vim aëri insitā, mouēdi et agi tādi se se, se dēfādi, aut expādendi, agnosimus (ut fingit Valeriola lib. 2. loc. cōmu. cap. 4.) animatus nāq; ea ratione esset aër, nec enim aliud quidpiā, insitū in se mouēdi principiū habet, nisi quod anima participat. Adhęc si aëri eiusmodi principiū se ipsum mouendi inesset, semper totus aër moueretur, & eius insuper partes in perpetuo essent motu, nunquāq; esset trāquillus: nesciunt enim naturales facultates otia-
 ri. Nec obstat, quod Gal. 3. Epid. par. 1. com. 1. Non alius (inquit) status, videtur esse se aëris, ac maris. Nam ut illic semper est fluctus in alto, vel maior, vel minor, qui interim ob paruitatem non animaduertitur, nisi strictum eum excipiat locus, quod in Chalcide Euboea, & Mesina Siciliae cernas: sic aër quoq; immotus, & quietus, haud videtur unquā esse: tñ interdum nos, quia motus est paruus fugit. Non obstat (inquā) nam de aëre aprico, & sub diuo iacēte, in quo nubes cōcernuntur, loquitur: in quo semper citra innatū motus principiū, motus aliquis reperitur, tñ ob ventos, tum ob calorū circūuolutiones: non autē de aëre subiectis coërcito, qui planē trāquillus est, innato enim motionis caret principio: quod si haberet moueretur necessario. Sed cur si cuiusq; vėti materia, est exhalatio sicca, à sole calfacta, & tenuata: nō omnis vêtus calfacit, atq; siccat? Dicendū, quod eiusmodi exhalatio, quae terrea est, partim reducitur ad pristinā frigiditatē, partim eā acquirat à frigore mediæ regionis. Vterius etiā in frigidatē vêtus, quia tollit vaporē calidū proximū corpori: ob id enim magis siccat quā sol, ut autor est Arist. prob. 28. lib. 26. Locorū etiā p̄ quatrās ita poribus, & qualitatibus immutatur: qua certē ratione, aquilones frigidi sūt ac sicci, austri vero calidi atq; humidus, ac proinde varias in corporibus alterationes, caloris, frigoris, humiditatis, ac siccitatis inducit: annū à sua natura labentē interdū corrigi, aliās vero infirmat, & morborū populariū fit causa. Hinc ventorū cognitio-
 nē, medico necessariā esse testatur Hipp. lib. de aëre & aqua. De quorū demceps numero lis est. Aristoteles enim decē, alij duodecim, alij vero sedecim, insignes ventos esse statuūt, quorū sētētiae ego magis inhaereo, nā nautae duplos ad hos agnoscut. Quatuor in primis cardinales, à quatuor mūdi plagis sumuntur: ortu, occasu, septentrione, et meridie. E quibus ortus, & occasus, nūquā eodē modo se habēt, ob obliquū solis in signifero motū: reddūturq; vētōrū potissimā differētia tres: prima ab ortu equinoctiali, secūda ab ortu aestiuo, & tertia ab ortu hyemali: totidēq; ab occasu, ita ut orientales, & occidui vēti, sint sex: duo præcipui ab equinoctijs, & quatuor reliqui, à punctis equinoctialibus vtrinūq; sitis. Quāuis autē meridiēs, & septētrio, immobiles sēper persēt: collateralibus tñ nō vacant (etiā si reuētur Aëtius) præsertim septentrio: nā austrū collateralibus carere, voluit Aristoteles, quoniā dissipantur à torrida zona: quibus tamen non caret ex experimento, quare alij sex consurgunt, tres septentrionales, & tres meridionales, ut sint relati omnes duodecim. Alij vero quatuor inter relatos medij sunt: qui à quatuor cardinalibus equidistantes cū sint, ab angulis mūdi excitātur, apud Aëtium, serm. 3. 1. tetrab. cap. 163. qui nautarū experimento

experimento validissimi sunt. Venti ergo insignes sunt sedecim. Quatuor cardinales. Octo collaterales: binis enim collateralibus, singuli interiacent cardinales. Et quatuor præterea angulares. In quorum nominibus percensendis, autores non vsq; quaq; conueniunt. Nos tamen sic distinguimus.

Ab ortu equinoctiali flat, qui subsolanus latinis, apeliotes Græcis, nobis Leuante, Ab ortu aestiuo, coccias, nobis Nordeste. (aut Leste.)

Ab ortu hyemali, vulturnus latinis, eurus Græcis, nobis Lees Sueste.

Ab occasu equinoctiali, Fauonius latinis, Zephyrus Græcis, nobis Poniente, aut Ab occasu aestiuo, Chorus, nobis, Oēs norueste. (Oēste.)

Ab occasu hyemali, Libs Græcis, Aphricus latinis, nobis Oēs sudueste.

A septētrione, Boreas Græcis, Aquilo latinis, frustra enim separat hæc nomina Pli Collateralis versus Oriens, messes, nobis Nor nordeste. (nius, nobis Norte.) Collateralis versus occasū, Trachias, aut Circius, nobis Cierço, aut Nor norueste.

A meridie, Auster, aut Nothus, nobis Vendaua, aut Sul.

Collateralis ad oriens, phœnitias, Euroauster, Euronotus, nobis Sul sueste.

Collateralis ad occasum, Lybanotus, aut Austroaphricus, nobis Sul sudueste.

Ab angulo quod est in medio quartæ oriētis ad septētrionē, Aquilo, nobis Nordeste.

Ab angulo quod est in medio quartæ oriētis ad meridiē, Euroauster, nobis Sueste.

Ab angulo quod est in medio quartæ occasus ad meridiē, Aphricoauster, nobis Subdueste.

Ab angulo quod est in medio quartæ ab occasu in septētrionē, Argestes, siue circius, nobis Norueste.

Horū quatuor angulariū nomina, magna ex parte cōfunduntur cū collateralibus adiacētib;: habent verò naturam prorsus mediā inter cardinales quibus interiacent. Collaterales verò, à natura cardinalium tanto minus recedūt: quāto ipsis cardinalibus sunt magis proximi. Tota ergo vētōrū ratio, ex quatuor pēdet vētis cardinalibus, austro, aquilone, subsolano, & fauonio: quorum tēperiem & alterationes, quibus aērē, nostrumq; corpus immutant, diligēter attendere oportet: atq; memoria semper seruare, à quibus vētis annus alteretur, ut aut ipsius anni salutē, aut populares egritudines præuidere, ac præcauere antequā fiāt possimus. Nō enim parū momēti ad annū constantē, aut inconstantē reddendū, venti præstāt, ut diximus.

Inter ventos sanè omnes, aquilo, & auster, frequentius spirare solēt, ut autor est Arist. 2. lib. Meteor. cap. 4. ijdemq; sunt omnium ventorum fortissimi, ut scribit Hippocrates, libro de sacro morbo. Auster autem (ut ab eo incipiamus) à meridie, id est, à parte subiecta tropico cancri, non autē ab austro, altero nēpe polo procedit.

Fallitur

Fallitur enim Valeriola contrarium docens, enarratione prima primi libri, ut ex Aristotelis verbis manifesto constat, qui 2. lib. Meteor. cap. 5. ita scribit. Auster autem ab aestivo solstitio, & non ab altera vrsa spirat. Et infra rationem inuit, quod propter magnam distantiam, ventus qui ab altero polo est, necessario euanescent, & ad nos peruenire nequit: nam & aquilo qui nobis proximus est, progredi longè non potest, vix enim ad mare australe, quod ultra Aphricam iacet, peruenit. Minus ergo qui ab altero polo spirat, ad nos perueniet: sicq; hanc opinionem (quæ antiquorum quorundam fuit) conuellit Aristoteles. Si ergo à meridie & tropico cancri, semper venit auster, calidus semper erit: ob loci enim in quo generatur naturam ætuosissimus est, & ex calidissima & valde sicca exhalatione provenit, ut Aristoteles memorat. Quauis etiam ab altero polo spiraret, ut quibusdam ante Aristotelem, & post Valeriolæ est visum, frigidus esse nequiret, ob transitum eius per loca calidissima. Sed cur nobis non est siccus, perinde ac calidus? Respondet Auicenna. 2. 1. doct. 2. cap. 8. causam esse mare plurimum meridionale, quod interioret, cuius vapores secum permistos defert ad nos. Addit Phylotens, 3. Aphor. com. 5. austrum calidum esse, quia torridam transit zonam: humidum verò, quia calore suo plurimum in itinere humorem sugit, attrahit, atque combibit. Nec ob id oportet omnem ventum calidum, humidum etiam esse: ut male infert Cardanus lib. 2. contradictionum, tract. 1. cap. 16. nam siue loca humida non pertranseat, siue minori calore participet quàm auster, humorem non combibet ventus. Vnde auster quauis semper sit calidus, non tamen semper est humidus, sed aliquando siccus ex Gal. 3. lib. Epidem. parte. 3. com. 3. quando nimirum aut calor non est tantus ut humorem sugat, aut aer multis caret vaporibus, quos vehat secum. Siccum autem austrum appellasse constat, non absolute: sed in comparatione ad se ipsum cum pluuias afferre solet. Nam tunc cum siccus est, & pluuias non adfert, calore atq; humiditate est infensus, ut scribit Aristoteles, prima sectione problematum, problemate. 23. Vbi ita scriptum reliquit. Cur austri sicci, nihil humentes febres creare soleant? An quia calorem humoremq; excitant alienum: sunt enim suapte natura humidi, calidiq;: qua quidem re febris committitur: quippe quæ non nisi per excessum ambarum qualitatum illarum oriri solet. Cum igitur imbre austri vacant, corpora nostra ita afficiantur necesse est: at cum flatibus imber adest, nos aqua refrigerat: austros tamen quos mare misit, prodesse styripibus certum est. Refrigerati nanque beneficio maris deueniunt contra æruginem: quæ humore caloreque alieno consistit. Hinc Auicenna, 1. 4. tract. 4. cap. 3. ex austrino statu non pluuius, temperaturæ hyemis corruptionem, & ex ea febres pestilentes prædicat: quæ humiditatis potius offensione, quàm siccitatis excessu proueniunt. Austro prorsus contrarius est aquilo, tum statione, tum viribus: ut scribit Hippocrates libro de sacro morbo. Frigidus enim est, quia à polo ducitur, & siccus quia sui vehementia, & impetu, nubes ad meridiem propellit: ubi iam aquosus redditur, sicut & auster siccus in meridie

ridie existens nobis est pluuus, quia nubes quas in sui ortu propellit, defert ad nos: ut 2. lib. Meteororum, scribit Aristoteles.

Orientales venti, calidi sunt & sicci, ex Aristotele, sicut & occidentales frigidi & humidi. Id quod primo lib. canticorum, sent. 13. voluit Auicenna inquiens, quod calor & subtilitas insunt orientali, frigiditas vero & grossities occidentali. Subtilitatem autem & grossitiam, interpretatus est Auerrobus, siccitatem & humiditatem: quàm interpretationem condemnans Cardanus, loco citato, aperte fallitur: nam secunda primi, hæc eadem temperamenta tribuit Auicenna orientalibus, & occidentalibus ventis. Nec oportet (ut nuper diximus) si orientalis ventus est calidus, humorem trahat atque combibat: nec enim valde calidus est ut auster, nec plurimum mare pertransit. Causa autem quare orientales venti sint calidiores occidentalibus, cum tamen utriusque illustrentur à sole: traditur ab Aristotele, secundo libro Meteororum, capite quinto, in hæc verba. Ab ortu autem flantes calidiores sunt, ab occasu flantibus: quia sol diutius supra illos fertur, hos verò citius deserit, tardiusque eum ad locum accedit. Alexander verò Aphrodisiensis hunc locum enarrans, aliam de suo causam profert, in hæc verba. At qui & illud etiam erit in causa, quoniam orientales quidem spiritus, statim à principio sol ipse, cum iuxta illos existit, intensius calefacit, non sic autem occidentales: quauis enim ipsos illustret cum longè existat, non similiter calefacit. Præcalefacti igitur orientales spiritus, propter solis præsentiam calorem ipsum conseruant, cū ad hoc sibi opẽ præstet sol, qui progrediens quasi tutelam eorum gerit, donec occubat: quapropter cum à principio caliditatem consequuti fuerint, eam quodammodo vsq; ad occasum conseruant. Nam quod propter paruitatem, & sufficiens quidem est ad hoc quod calefaciat, sufficit tamen ad caliditatem à principio acquisitam conseruandam. Occidentales autem spiritus, nec à principio taliter calefiunt: cum & postmodum iuxta illos existens sol, maxime ipsos calefecerit: huiusmodi tamen caliditatem non conseruabunt, quoniam confestim à sole derelinquantur, ut ne quidem ab ipso aspiciantur. Et hoc quidem acciderit, etiam si per æquale tempus supponatur, & orientales spiritus, & occidentales apricari: semper enim calidiores erunt orientales, propterea quia à principio confestim calefacti, per totum vsq; diem caliditatem hanc conseruabunt. Huc vsque Alexander. Ex quo etiam patet, quare venti ab occasu flantes frigidi sunt. Nam de humiditate ipsorum minus dubitare oportet, ob mare occiduam, quod magnam vaporum redundantiam, in nos disseminat. Quauis autem orientales, seorsum & in sua natura considerati, sint calidi atque sicci: & occidentales frigidi atque humidi: colati tamen ad australes, & aquilonios, temperati sunt: ut perhibet Auicenna, 2. 1. cap. citato. Nam facta ventorum per solis ambitum distributione, ventos calidos, cū Hippocrate libro de aère, aquis, & locis, dicimus, omnes qui inter hyemalẽ solis exortum, itidemq; occasum hyemalẽ perflant. Frigidos verò qui inter occasum solis æstiuum,

æstiuum, & orientem æstiuum iacent. Ex quo inferre commode possumus, quòd qui ab ortu & occasu verno perflant, omnium sunt temperatissimi, in mediòque veluti extremorum siti: ea scilicet latitudine temperamenti, vt occidui declinent ad frigus, & orientales ad calorem, ob causas quas ex Aristotele & Alexandro supra retulimus.

Quis verò horum quatuor ventorum sit salubrior, dubium est. De qua re Aëtius, ventos frigido temperamento insignitos, salubriores esse censet loco citato, vbi ita scriptum reliquit. Boreales frigido sunt temperamento, & ideo omnium ventorum saluberrimi, & præsertim in calidioribus, ac carnosis corporibus. Et Galenus 3. lib. Aphor. com. 17. Aquilone (inquit) flante omnia meliora fiunt, & secundum naturæ, & animæ operationes. Vnde Arist. 7. lib. politicorum, ciuitates ad boream positas, salubriores hyemes habere dixit; ob saluberrimum aquilonem quo perflantur. Quo Aristotelis loco, si hyemum vice, æstates scriberentur, mendum abesset, & minus laboris in eius interpretatione subiret Valeriola. 2. libro locorum communium, cap. 5. tum quoniam æstates redderentur temperatissimæ, tum quoniam cum non minor morborum pars, à putredine ortum ducat, & aquilo præter alia quæ habet commoda, prorsus putredini obsistat: sit merito vt salubriorem æstatem reddat. Quomodo verò ciuitates ad aquilonem sitæ, cum aquilone perflante reddantur intemperatissimæ, hyemes salubriores possint habere dubium est: multiplici salubris significato soluendū. Nam si salubris nomē cōtraopponatur pestilenti (vt apud Ciceronē, qui lib. 1. de fato, ita scribit. Inter locorū naturas quantum inter sit, videamus alios esse salubres, alios pestilētes) salubrior tã hyems, quàm reliqua anni tēpora, ex aquilone reddetur: quoniã ad pestē quouis anni tempore arcendam, ac præcauendã, hic vëtus est appositissimus. Si vero salubre contraopponatur morbofo, æstas quàm aquilones, ac ethesiæ perflât salubrior est: in vniuersum autē, omniq; anni tēpore salubriorem esse aquilonem pernego: quæ enim ad temperantiam accedunt, ea absoluta salubriora sunt: nam temperatas naturas seruant, & intemperatas corrigunt, atque reducunt. Orientales ergo atq; occidentales venti, hac sunt ratione borealibus salubriores absolutè: quanius boreas putredinem magis arceat ipsis. Hinc Rasius. 3. lib. ad Almansorem, cap. 26. laudat ciuitates magis expositas orienti, potius quàm boreæ, quoniã boreas nimis acer est. Et Gal. 5. lib. Methodi, aërem tabidis parare docens, cauet ne locus ad septentrionem sit versus: ita enim (inquit) esset auersus à sole. Nam sole ad salubritatem maximè indiget aër, cuius vi quòd vitiosum in ipso est, promptè dissipatur ac euanescit. Et Aristoteles. 7. libro politicorum citato, ita scribit. Quæ in auroram inclinant vrbes, & ad eos ventos qui ab oriente spectant, salubriores sunt. Proximæ vero ab his salubriores habendæ, quæ in aquilonem vergunt: hæ nanq; ad hyemem salubriter degendam meliores. Qui fortè omnes ab Hippocrate hauserunt, qui libro de aëre, & aqua, ac locis, ita scribit. Quæ ad orientem solem ciuitates sitæ sunt, eas esse salubriores, his quæ ad septentrionem

con.

cōuerse sunt, & his quæ ad calidos vëtos, hoc est ad meridiē posite sunt. Quod eâ calore nimio morbosa, & æstiosa, illæ frigore immodico intemperatæ incolētibus, & sint & habeantur. Quare Aëtius de orientalibus ventis, nimis sinistra sententiæ, non prorsus probamus: ita enim loco citato scribit. At venti orientales, vehemētissimi sunt, & morbos à siccitate contingentes efficiunt. Hoc enim in vniuersum falsum esse constat, licet in aliquo cæli tractu, ita contingere posse non negemus. Occidētales vero vëti, oriētalibus præstat (quanius Auic. 2. 1. doc. 2. cap. 10. cōceptis verbis cōtrariã affirmet) quoniã sunt tēperatiores ipsis, vt constat ex Arist. prob. 33. lib. 26. vbi ita scribit. Fauonius neq; calidus est, vt qui è meridiē, ortuq; spirant: neq; frigidus, vt qui de septentrionibus eueniunt: sed medium frigidorū & calidorū flatuum tenet: ideoq; serenus & iucundissimus ventorū omniū est. Magis præterea inclinant orientales ad calidum, quàm occidentales ad frigidum. Ob id enim Arist. 2. lib. Meteor. citato, non dixit occidentales ventos frigere: sed minus calere orientales. Neq; de passiuis qualitatibus loquutus Auic. 2. 1. cap. 8. absolutè humidos facit, sed parum plus humidos orientalibus: quoniã super maria trãseunt, & quoniã sol non tantum calfacit, & resoluit eos. Quare omnium temperatissimi sunt occidētales, tam in actiuis, quàm in passiuis. Adde, quòd salubrior est, ventorum exigua inclinatio ad frigidum, quàm ad calidū: ob refrigerationē, & flauellationem innati calidi, quæ frigido aëre per fici debet. Vnde Aëtius loco citato, de occidentalibus vëtis, ita scribit. Occidētales autem humidi sunt, ac lenes, & corporibus nostris magis familiares. Et Celsus lib. 1. cap. 1. Aestatem eam præfert, in qua fauonij perflant, post quam laudat eam, in qua septentrionales venti sunt. Damnat vero eas æstates, in quibus subsolani, aut austri spirant. Accedit etiam quòd annus constans, ventos debet habere agriculturæ valde idoneos, si tempestiuè cūcta, fruges (inquam) & animalia, debet exhibere: cuiusmodi fauonius est, ab occasu spiras. Præ alijs enim vëtis hunc agriculturæ cōmodum esse, tradit Florentinus. 1. collect. rei rusticæ: & maritat, atq; fœcundat aues fœminas, vt Plutarchus scribit. 8. symposij. Quod in perdicibus Aristotelē tradidisse constat. 5. lib. de gen. anim. si enim aduersæ maribus steterint, fauoniusq; inde afflet vbi mares stant, ipsas concipere & maritari credit: vt omittamus quod à Plinio scriptum est, equas in Lusitania, fauonio concipere. Quæ quanius ex parte sint falsa, plurimū est quod vero relinquitur: quòd scilicet hic vëtus, sata, & animantia fœcundat, atq; hybernum mollit cælū ex Plinio, & feruorem æstatis contemperat ex Celso: quare salubris est, & ad annum constantem reddendū sæpe necessarius. Sed si fauonius est subsolano salubrior, cur Aristoteles, Hippocrates, Razes, & alij, ad ortū ciuitates ædificant, & non ad occasum? Dicendum id fieri, non solius venti habita ratione, sed simul etiã & solis. Domus enim & vrbes quæ ad ortum æquinocetialem ædificantur, æstate vmbra, & hyeme solē habent, qui aërem illustrat & corrigit. Si quid enim in aëre vitiosum inest, solis vi promptè dissipatur, & euanescit: vt Varro est autor. 1. lib. de re rustica. cap. 15. Hic autē

notatē

notare oportet, quod ea quae dicta sunt, de orientali, & occiduo vento, tam quo ad temperiam, quam quo ad salubritatem, intelligenda sunt de ventis suam naturam seruantibus, & in medio climatis. Orientales namque venti sunt salubriores in principio diei, & occidentales in fine diei: sic enim ab aëre proueniunt, qui iam à sole elaboratus est. Contra vero orientales qui spirant ad finem diei, aut occidentales qui principio diei mouentur, ab aëre veniunt in quo sol non fuit operatus, ut autor est Auic. 2. 1. citato. Quod vero horum ventorum temperies, statuatur collatione ad medium climatis habita, autor est Auerrh. 1. cant. tract. 1. com. 108. Vbi addit in alijs terrae tractibus variari: ponitque exemplum in Hispaniae parte Betica, quam Andalusiam appellat: in cuius medietate orientali, pluit ex vento orientali, & seruat ex occidentali: in alia vero medietate quae magis occidua est, contra contingit: pluit enim ex vento qui ab occafu perflat, & serenus redditur aër ex subsolano.

Quanta sit sanitatis latitudo, iuxta diuersitatem corporum variè temperaturum. Et à quibus fontibus temperamentorum indicia sumantur. Et de indicio à causis, ab essentia, & à casibus seu effectibus necessario consequentibus. CAP. XXI.



Arum referret, temperamentorum essentiam, ac numerum nouisse, etatum quoque vicissitudinem, consuetudinis vim, temporum quoque, regionum, & ventorum, natiuam temperiem descripsisse: ni temperati corporis, & intemperatorum quae ab eo deflectunt dignotionem, per indicia quaedam comparare possemus. Quomodo enim sine temperamenti dignotione, aut simile, aut contrarium homini aptare quiremus? Ingens siquidem est humani temperamenti varietas ac latitudo, ita ut quod uni est naturale, & valde simile, alterum ingenti contrarietate perimat: quodam in supremo salubritatis gradu iacet, aliud vero adeo est sua natura insalubre, & praeter intemperamenti exorbitantiam inualidum, ut propè ad actu aegrotantem accedat. Quae proximiora sunt optimae constitutioni salubria, quae vero ab hac longius distant, atque ad ea quae iam aegrotant magis accedunt insalubria: quae autem intermedia, atque equaliter ab utrisque distare videntur, neutra sunt, & intra sanitatis, ac humani temperamenti latitudinem utraque comprehenduntur, ut autor est Gal. lib. artis medicinalis, cap. 8. Haec porrò latitudo, quoniam in infinitum secari potest, innumeras corporum stationes comprehendit: medicus vero non innumeras, sed certum ipsarum numerum ideo praefinit quoniam ea tantum memorat, quae sensibilibus notis, & inter se se, & ab extremis distinguntur. Temperatissimum namque corpus, optimo habitu, & integra absolutissimaque sanitate praeditum, perquam rarissimum est, longissimoque temporis intervallo gigni solet, ut scribit Gal. lib. de optima corporis confi-

constitutione: neque hoc tamen sine latitudine potest intelligi: exacta etenim, optima, absoluta, & summa sanitas, quae insectilis est, cogitatione potius in animantium corpore usurpatur, quam solidè subsistat. Temperatissimum ergo corpus, quod salubre simpliciter semper, Galenus appellat: latitudinem habet insignem, & summam quam sensus assequi potest perfectionem. Paulo ab hoc distat, corpus quod salubre simpliciter ut multum appellat, ut scribit Gal. lib. artis medicinae, cap. 4. in haec verba. Ipsius vero salubris simpliciter corporis, tale quidem est semper, id quod est optima temperatura praeditum, ac maximè est comensuratum. Ut multum autem, quod à constitutione optima non valde admodum deficit. Quibus verbis, duo nobis temperata corpora innotescunt, unum temperatissimum, & alterum temperatum: quorum neutrum culpatum est, licet primum sit secundo perfectius, & absolutius. Verbum enim simpliciter quo insigniuit utrumque optimum & inculpatum, in quouis genere importat, ut scribit Gal. lib. 2. de sanit. tuen. cap. 1. in haec verba. Quod simplex inculpatumque est, caeteris omnibus praepone postulat, simplex autem inculpataque sanitas, est in corporibus optimi habitus. Quo loco non seiunxit, sicut nec in thrasibulo Galenus, optimum habitum à bono habitu: quoniam quauis salubria ut multum, quae ab optima corporis constitutione breue aliquid deficiunt, in aliquo sunt offensa, non tamen id sensu comprehenditur, ut scribit Gal. lib. artis medicinae, cap. 8. quare nomine etiam optimi habitus venire possunt. Nam apud Hippocratem, habitus athletarum, qui re vera boni non sunt, sed apparenter summè boni appellatur. 3. Aphor. sent. 3. quoniam sensuum iudicio sunt optimi, & verè essent tales, si abesset periculum: quanto ergo magis salubre ut multum, quod verè bonum habitum possidet, in optimis est censendum? nisi cum res ad exactum ducitur examen, & scientificam partitionem, ut in arte medicinali ob artem definiendi, quae definitionis capita diuidit. Capite enim quarto eius libri, salubre ut multum definit: quod à constitutione optima non valde admodum deficit: mensuram autem excessus interpretatur capite octauo eiusdem libri, insensibile esse, id est quae vix sensu iudicari possit: quod autem vix sensibile est, merito praetermitti potest, & sub optimo habitu intelligi. Sic lib. de differ. morb. cap. 2. omnes recessus ab optimo, tam naturales, quam praeternaturam memorans Galenus, ita scribit. Corpora itaque animalium, quod dici solet, magis ac minus admittunt, tantaque in ipsis varietas est, ut alia quidem optimi sint habitus: alia simpliciter boni, non tamen optimi: alia quae si sana dicantur, non tamè boni sint habitus: quaedam vero minus valeant: quaedam autem iam aegrotent. Quibus verbis, per ea quae optimi habitus sunt, salubria simpliciter, tam ut semper, quam ut multum, intellexit: per ea vero quae boni, sed non optimi, salubria ut nunc: quae ita definiuerat capite quarto artis medicinalis Gal. Salubre verò nunc, est corpus quod in praesenti est sanum: est verò & hoc, eo tempore quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & comensurationem, non tamè optimam, at sibi propriam. Ex quo loco, & alijs, doctè deducit donatus Antonius, libello de latitudine sanitatis, salubre ut nunc, ab ortu salubre esse: aut salubre

ipsi non repugnare, esse ab utero & ortu naturae salubre. Distat enim à simpliciter salubri, per manifestum lapsum, & imperfectionem sanitatis: ita tamen ut sanitatem habeat in bono habitu, quamvis non in optimo. Ex quo etiam patet, quod neutri, aut insalubria ab ortu corpora, nunquam possunt esse salubria ut nunc; quoniam licet sanitatem actualem, interdum habere possint, boni tamen habitus non sunt, sed aut neutri, aut insalubris: quae tanto inferiora sunt, quanto ad actu aegrotantem magis accedunt: meritoque in thrasibulo Galenus, huiusmodi corpora, comparat infirmis aedibus, ac propediem ruituris: quae ut bene compositae esse nequeunt, ita neutra, aut insalubria corpora, bonum habitum nequeunt habere, sed aut neutrum, aut insalubre, ac sui natura ruinosum. Quare loco citato de differentiis morborum, per ea quae sana dicuntur, non tamen boni sunt habitus, neutra ab ortu corpora intelligo: sicut per ea quae minus valet, insalubria: quae intemperatiora, & ruinosiora sunt, ac iis quae iam aegrotant quam finitima. Extremae autem intemperatiae naturales, quae in hoc insalubrii genere continentur, ut doctè advertit Gētilis. l. i. cap. i. de complexionibus, non minus quam medium, ac summum temperamentum sunt miranda: ut enim hoc saluberrimum, ita illud admodum est insalubre: mente aptissimos, & propè angelicos, hoc temperamentum reddit: illud verò cum ad frigus vergit, brutos, asinorum, aut bouum more: cum verò ad calorem, furiosos facit, osores, ac serpentinos. Tota ergo sanitatis, quae eadem est ac humani temperamentum latitudo (ut Galenus scribit libro artis medicae, capite octavo) in tres partes (quarum singulae latitudinem habent non parvam) diuiditur. Erit autem prima quidem, salubrium corporum: Secunda neutrorum: Tertia insalubrium. Post quae deinceps sequuntur, quae iam aegrotant corpora: quae sensibilibus operationum lesionibus distinguuntur. Eritque tota sanitatis latitudo, his tribus partibus, in ultimas species, per corpora quibus inest sectis, huiusmodi.

Salubre simpliciter semper	Quae optimum habitum, mediumque temperamentum possident.
Salubre simpliciter ut multum	
Salubre ut nunc.	Quod bonum habitum habet, intemperamentum scilicet, non valde lapsum à medio.

Neutrum ut multum iuxta tria significata

Quamvis aliqua differentia tribus neutri significatis intercedere possit, quoniam magis stabile, ac firmam sanitatem habet, neutra ea quae ad salubria magis accedunt, tam semper, quam ut multum: quam illa neutra, quae simpliciter & exquisite sunt media salubris & insalubris.

Neutrum ut semper iuxta tria significata

Insalubre

Insalubre ut multum.

Insalubre ut semper.

Usque ad manifestam lesionem excelsiue, nam aegrum ut nunc, quod manifestam lesionem includit, extra latitudinem sanitatis habetur.

Neutrum autem ut nunc iuxta tria neutri significata, etiam si in latitudine sanitatis sit, non tamen habet sanitatem in habitu, & temperamento ab ortu acquirito: sed in affectione ex tempore proveniente, ut constat ex Galeno libro ad Thrasibulum, ubi tam neutro decidentiae, quam conualescentiae, eiusmodi sanitatem in affectione impertit, ipsosque ad partem artis de tuenda sanitate pertinere scribit. Praesertim neutros conualescentiae; qui magis sunt ab aegritudine remoti, quam neutri decidentiae. Tum quoniam illi ab aegritudine eiusque causa sunt liberati: hi verò morbi causam, morbumque in generatione habent, quamvis non dum is morbus sit genitus. Tum quoniam si neutri conualescentiae in morbum incidunt, prius fiunt neutri decidentiae: ergo sanitati sunt viciniore, quam decedentes. Conualescentes ergo neutri sunt, iuxta primum significatum: quoniam dispositionem prorsus mediam habent, inter salubria corpora ut nunc, & inter actu agra. Decedentes vero neutri sunt secundi significati, quoniam aegritudini potius quam sanitati attinent. Senes autem ad conualescentes, & athletas ad decedentes, merito retulit in thrasibulo Galenus: de quibus tamè in hac latitudine sanitatis, quae secundum habitum, & nativum temperamentum est, agere non convenit. Indicia vero temperati corporis, & intemperatorum, quae à temperato deflectunt, simul & gradus intemperamenti tradere, utilissimum nunc est, & opportunissimum.

Temperatum sanè corpus, quod salubre simpliciter semper, & ut multum appellari diximus: indicia habet desumpta à causis temperamenti, ab essentia temperamenti, ab effectibus, casibus, seu accidentibus quae necessario temperamentum consequuntur, & ab ipsius etiam attemperati corporis operationibus. Quibus anneximus repugnantiam ad causas morificas, & longevitatem. A causis quidem temperamenti, nam parentes temperati, qui victu utuntur temperato, & regionem degunt temperatam, temperatos procreant filios: intemperati verò intemperatos, & insalubres. Sic in Asia plura corpora temperata reperiri affirmat Gal. 2. de sanit. tuen. cap. 13. Et lascivum puerum interdum conspicatus Diogenes, num ex ebrio profeminatus fuerit patre interrogavit. Hoc signum, ceu evidentissimum praetermisit Gal. lib. artis medicinalis, cap. 8. brevitatem affectans. A temperamento verò essentia temperamentum dignoscitur, praesertim ex tactu qui iudex est calidi, & frigidi, humidum atque sicci. Sic temperatum esse censemus eum, quem non immutat in aetiuis, mistura nivis & ferventis aquae, nec in passivis mistura aquae, & cineris equo pondere convenientium. Hic verò tactus qui in homine temperato inveniatur, regula est dignoscendi tam temperata, quam intemperata corpora: ab illis enim non alteratur, ab his verò alteratur magis, aut minus, pro ratione gradus intemperamenti, maioris, aut mi-

moris, secus vero contingeret in intemperato tactu, calido (verbi gratia) in secundo: is enim tactus, iudicaret obiectum quod temperatum est, secundo gradu calidum: & quod calidum est in primo, eodem gradu frigidum esse decerneret, ut constat ex Galeno, tertio libro de simplicium medicament. facult. cap. 8. Quod monstrat exemplo Urinae, quae in balneo mixta, frigida deprehenditur: & aquae tepidae in pelui ad balneum allatae, in quam si is qui balneo abunde incaluit, manum aut pedem immitat, non tepidam, sed admodum frigidam iudicat: & aquarum putealium, quae hyeme plus calere, ob tactum refrigeratum videntur. In quibus si obliuiscamur qualitatum quibus afficiebamur, dum Urinam, aut aquam peluis, aut aquam putealem in hyeme contingebamus: ac solius eius qui in nobis factus est sensus meminerimus: periculum est (inquit Galenus) ne forte aquam aliquando absolute dicamus calidam, Urinam vero absolute frigidam. At qui neutra absolute, aut calida, aut frigida est, sed ut ad nos: nec ut ad nos rursus absolute, verum hoc videlicet pacto affectos. Absolute autem utraque, qualis ad nos est dici potest, ad mediam eandemque optimam nostri temperiem collata: ut si ad hominem absolute expendatur, omnino sane ad temperatum, & eucratum expendere oporteat. Nec obstat, quod sexto libro de simplicium medicamentorum facultatibus in prooemio, ita scriptum reliquerit Galenus: Sed tamen & in memoriam reduxisse forsitan praestiterit, primum quidem quod in natura temperatissima faciendum est medicaminum facultatis periculum, deinde in intemperata, postea deinceps in morbis simplicibus. Et libro primo simplicium medicamentorum, capite quarto, ita scripserat. Esto sane prima nobis in contemplationem proposita aqua, quod nimirum ea, & communissima hominibus omnibus sit, tum sanis, tum aegrotis: & ad vitam maxime necessaria. Primumque eucrato, sine temperato eorum pori applicator, ipsa neque frigida insigniter, neque calida: deinde ijs qui natura sunt intemperati: tertio qui affectu aliquo tenentur: Nam hoc pacto, exacte in omnibus propriam eius facultatem perpenderit: Quibus verbis, non solum in tactu temperato, sed in intemperato, & in aegrotante, experimentum esse sumendum docet. Non obstat autem, nam aliud est loqui de dignotione qualitatis excedentis, aliud de quantitate excessus in eadem qualitate: excedens siquidem qualitas, saepe ab omnibus hominibus, tam temperatis, quam intemperatis, sanis, & aegrotis, iudicatur: estque id experimentum eo certius, quod est multiplicius. Quantitas tamen excessus, ipsiusque qualitatis gradus, ab alio quam temperato tactu exacte dignosci nequit ut diximus. Verbum autem exacte eo additum est, quoniam si ultimam exactiorem non queramus omnium hominum sanorum tactus, ferè est temperatus, si accidentali careat affectione: quoniam membrorum omnium intemperamenta, ad cutem coequantur, ita ut quavis cutis, ad hoc aut illud intemperamentum labatur, exiguus tamen sit eius lapsus, & omnium partium temperatissima habeatur, praesertim quae in pulpis digitorum consistit.

omnium

omnium ferè hominum manus, quando suam naturam seruant, & calidam, & frigidam aquam, & multum tepidam, aut parum tepidam equaliter ferè iudicant. Et omnis medicus, tam temperatus, quam intemperatus, cuiusque hominis sani cutem, à cute febricitantium diuersam iudicat. Alioqui omnes aut plures homines sani, & nulla affectione externa alterati, circa sensum proprii sensibilis errare, cogermur confiteri. Ultimam autem exactiorem, tam in qualitate, quam in gradu, solus temperatus tactus potest dignoscere: aut intemperatus, qui suum prius (per diutinum tactum temperatorum, & intemperatorum corporum) nouit intemperamentum. Tunc enim per rationis examen, & experientiam sensus, intemperatus hic homo addit, aut detrahit qualitati sensatae, pro ratione proprii intemperamenti. Tactus namque temperato frigidior, qui suum intemperamentum, per diutinum tactum temperatorum & intemperatorum corporum, prius nouit: & memoria reposuit quantum incalcescat ab aequali mistura niuis & feruentis aquae: & quam parum refrigeretur ab obiectis frigidis: rectus iam temperamentorum iudex erit: quonia se ipsum corrigere ratione didicit. Sed quomodo temperatum corpus dignoscendum exhibemus, per tactum temperatum aequè ignotum? Dicendum, quod tactus temperatus, prius est explorandus per defectum ac priuationem alterationis à dictis misturis, & per alia etiam indicia: qui sic iam exploratus, ipsis indicijs rursus addit firmitatem, & fit unum ex illis. Sed si aequè calida, aut frigida non sentimus, ut scribit Aristoteles libro secundo de Anima, temperatum corpus à temperato tactu dignosci nequit: nec ab intemperato, quoniam quod frigidum est, incalcescit à temperato, & quod calidum est, refrigeratur: quare quod temperatum est, à nemine sentiri nequit. Dicendum, quod temperatum sentitur ab utroque, ab intemperato nempe per notitiam sui intemperamenti, & crebram exercitationem in tactu temperatorum & intemperatorum corporum: à temperato verò tactu per alterationis manifestae ad utrumlibet contrariorum carentiam, & per conuenientiam obiecti cum suo sensorio. Aqua etenim tepida, iuxta quacumque teporis mensuram quantumvis tactui simillima concipiatur, semper sentitur dum manui admoetur: non propter solam priuationem alterationis, sed quonia positum nos semper afficit, ut experimentum ostendit, pariter & rationem causa agens dicitur, tam producaens, quam conseruans, apud Arist. 2. Physicæ auscult. cap. 3. temperatum ergo corpus, in tactum temperatum semper agit, saltem conseruando temperamentum. Hoc autem sufficit ad sensum, alium enim tactum reddit aqua tepida, quam corpus caeleste redderet, aut mathematicum, omnis qualitatis tangibilis expers. Nec aliud voluit Aristoteles cum dixit, aequè calida aut frigida esse intangibilia: vix enim tangibilia, non autem penitus insensibilia esse intellexit. Quomodo ite salubritatis gradus per agnitionem temperamenti innotescere possint, nisi idem per idem dignoscatur, atque se ipso notius esse possit, dubium est quod angit plurimos. Nihil enim aliud est sanitas, quam temperies naturalis, autore Galeno lib. 4. Aphorism. comment. 39. & lib. 1. Epidem. par. 2. comment. 46. Libro etiam Artis

dicinalis salubre simpliciter definiuit, corpus eucratum & coequale, ergo eucrasia & coequalitas, ipsamet sanitas est. Ex quo conuincitur error Ioannis sermonetae, qui huic dubitationi volens respondere, primarum qualitatuum temperiem, negat sanitatem esse in complexione constituta: est enim inquit causa sanitatis, non autem sanitas cuius est causa. Deuiat tamen à Galeno (ut diximus) & futili utitur ratione. Temperies enim & coequalitas si sanitatis est causa, non materialis, efficiēs, aut finalis est, sed formalis: perinde ac animal rationale hominis causa est, quod ab homine non differt. Thurisanus vero (à quo mutuasse videtur Valesius in Commentario ad artem medicinalem Galeni) respondet, temperiem non esse signum sanitatis, sed corporis sani: corpus enim sanum, à temperie diuersum est. Contra vero est, quod non modo dubitare contingit, an homo oblati sit sanus ut semper: verum etiam an sanitas hominis oblatis, sit sanitas ut semper: quo autem signo à substantia sumpto, sanitas ut semper cognoscatur, nisi temperie, fingi non potest. Magis friuola est altera thurisani solutio, qua inquit, quod temperies non est signum sanitatis, sed impressio quae à temperie tactui infertur. Contra tamen est, quod Galenus ibi tradit signa sumpta ab essentia & substantia rei: signum autem à substantia sumptum, est ipsa rei substantia, sicut ab actione ipsamet actio, & ab aetate ipsamet aetas: ergo signum à temperie desumptum, debet esse ipsamet temperies. Accedit, quod quando tangens, & tangibile, idem prorsus habent temperamentum, nulla vnus in alterum fit impressio: indicat tamen tactus temperamentum simile, aut ob solam negationem, aut ob conuenientiam sensus cum sensorio: ergo temperies, non autem impressio, est signum de quo agimus. Dicendum ergo, quod eadem res est sanitas, atq; temperies, alterutrius tamen ratio est diuersa: iuxta quam diuersitatem temperies est notior, & tactu deprehenditur: sanitas vero ignotior, quia non tactu, sed ratione, & discursu, sumpto initio ex praecedente tactu dignoscitur. Nam quoniam caliditas ignea sensibus percepta notior est, quam febris: ita temperies tactui nota, notior est quam sanitas: prius enim tactus deprehendit caliditatem igneam in febriente, & in sano temperiem: post vero phantasia simul & ratio, considerat an habuerint ortum ex causa exteriori: & rursus utrum talia semper maneant semotis causis praecipientibus, ut pote exercitamento, ira, vigilia, insolatione, balneo, ac alijs, sicq; non aliter, temperie esse sanitatem: & igneum calorem, febre decernit. Quare nihil obstat, vnam & eandem rem, propter diuersas quas induit rationes, quarum vna sit notior altera, indicare se ipsam. An vero exiguam vim habeat iudicium hoc, ex cutis quae tangitur temperie sumptum, ut visum fuit Forliuensi, dubium est. Nam vbi cor labitur ad calidum, & iecur ad frigidum, media temperies resultat in cute, ex contraperantia, & coalternatione membrorum: cum tamen eiusmodi corpus, nec temperatum, nec salubre habeatur, sed plurimis morbis expositum. Corpus praeterea pituitosum neutram dispositionem habens, ante quam labatur in febrem, mediam recipit temperiem: ita ut nec frigeat pro sui temperamentum ratione, nec caleat ut cum iam febr.

febricitat: male ergo ex temperie in cute reperta, colligit corpus esse temperatum Galenus. Adhaec corpus temperatum, in omni aetate est temperatum, & salubre simpliciter: in omni autem aetate non habet mediam temperiem: ergo signum & significatum non conueniunt. Fallitur tamen, quoniam corpus temperatum, & media temperies, intelligenda sunt cum latitudine aetatibus respondente: & quoniam signum hoc, tunc solum habet locum, cum corpus est immune ab omni externa alteratione, & interna aegritudine, aut neutralitate. Si vero cor calidum fit, iecur vero frigidum: non reddetur vniuersa cutis temperata, sed thorax magis calebit, venter vero frigebit.

Ab effectibus vero, qui temperamentum necessario consequuntur, indicia temperamenti plurima sumuntur. Sunt autem huiusmodi effectus, qualitates secundae, quae pendent ex commistione primarum qualitatuum, & corporum elementorum: referunturque ad vnum ex quinque sensibus: ad tactum quidem; molle & durum: ad visum, album & nigrum; nitidum & obscurum: ad tactum simul & visum, glabrum & hispidum; crassum & tenuē, asperum & lenē, rarum & densum: ad odoratum, graue olens & odoratum: ad gustum, dulce & amarum. Quae sanè cum extrema sunt, extremas, & valde lapsas temperaturas, magna ex parte committantur: sicut media temperies; omnium extremorum mediocritatem seruat: praeterquam in odoratu, & gustu: temperati enim hominis, aut caro, aut cutis, nec dulcis est, nec suauem odorem spirans: nisi dulcem, aut odorem, aut saporem habere dicamus, quod omni odore ac sapore priuatur: velut cum aquam dulcem appellare eam, quae omnis saporis est expers consueuimus. Intemperatae autem naturae extraneis, aut saporibus, aut odoribus, non semper vacant: Sanguinei enim hircos redolent, ut scribit Galenus octauo libro Methodi: Biliofi vero cutem si lingas, aut salsa, aut amaricans, interdum tibi apparebit. Haec vero, ceu alia minoris momenti, merito praetermisit Galenus, libro artis medicinalis, capite octauo, & secundo libro de Temperamentis, capite nono, decimo, & vndecimo. Mollities ex humiditate pendet, sicut durities ex siccitate. Cauendum tamen, ne durum cum tenso, & molle cum flaccido confundamus: qui enim multa carne abundant, duri videntur, ob tensionem cutis, humidi tamen sunt: sicut ex carnis defectu cutis flaccida, mollitiem mentitur, dura enim est, & sicca, ut scribit Galenus, sexto libro Epidemiarum, parte tertia, commentario vigesimo nono. Niger color, calorem: albus, frigus arguit temperaturae: quoniam hic in pituitam, ille vero in atrum succum vergit: paritas tamen tum regionis & vitae, tum in omnibus alijs praeter colorem, est seruanda: non enim omnes Aethiopes, & qui in aprico degunt sunt calidi, nec omnes germani, & qui vitam agunt urbanam frigidi. Aethiopes ergo Aethiopibus comparati, Germani Germanis, rustici rusticis, & urbani urbanis: calidi sunt nigriores, & frigidi albiore: sicut temperati in regione temperata constituti, medium colorem ha-

bent inter albū & nigrū, vt scribit Paulus, libro primo, capite sexagesimo. Dillucilius autem, ac specialius Galenus, libro artis medicinalis cap. 51. medium eum colorem, declarat esse commistum ex rubro & albo: quoniam is color, sanguinem & semen, ex quibus constat cutis, apprimè exprimit. Nitor vero, aut obscuritas in vnoquoque colore, purum, aut impurum succum quo nutritur, & constat homo significat. In quo signo summè cauendum est, ne intro aut foras ferantur humores & spiritus: quod per animi perturbationes, & calorem ac frigus ambientis euenire solet. vt monet Galenus, primo libro Aphorismorum, commentario tertio, & libro quarto de sanitate tuenda. Hirsuta verò (vt idē scribit Gal. 2. lib. de temperamentis, cap. 10.) sunt calida omnia intemperamenta, quæ vbi sicca etiā sunt, in summo sunt hirsuta. Mediocriter autem quæ calida quidem est, sed in altera contrarietate mediocritatem habet: similiter & quæ sicca quidem est, sed in calido & frigido media est temperie: est enim ea quoque modicè hirta. Nuda pilis sunt omnia frigida temperamenta, siue mediocriter se se habeant in humiditate, siue immodicè. Cæterum ad summum est glabra, frigida intemperies & humida: minus hac quæ frigida est, sed in altera contrarietate temperata: adhuc minus quæ frigida est & sicca. Nec obstat, quòd vt terra præ ariditate nimia, herbis priuatur: ita præ siccitate temperaturæ, homines glabri deberent reddi. Non obstat (inquam) nam talem siccitatem, quæ pilos oriri vetet, qualis in terra media æstate habetur: nisi in testaceis, & squamma tectis animalibus nõ reperias. Minor verò hac, glabrum reddere non sufficit: nam asini, equi, leones & chamæli, cutem homine sicciorem habentes, pilis vestiuntur. Homines ergo temperatura calida atque sicca præditi, multos magnosque pilos habent: plurima enim in ipsis gignitur fuligo, quæ cutim foraminibus pertundit: in quibus stipata, & retro repulsa, in pilos vertitur, & foras erumpit. In quibus vero humida cutis est, & planè mollis, qualis modo concrescens caseus, in his viæ ac meatus cutis, per quos fuligines ac vapores expirant, non manent, sed occluduntur (cutis scilicet partibus quæ prius dissidebant, rursus inter se vnitis) nec si manerent, pilus in ipsis gigneretur: quoniã in mollissimo meatu, vehemēs stipatio contingere nequit. Calor ergo temperaturæ fuligines creat, & extra euocat, cutimq; in exitu pertundit, & foraminulentam reddit: siccitas meatus seruat apertos. Frigus verò temperaturæ, fuligines non creat, & cutis meatus per quos eæ quæ creantur expirant, vbi humiditas temperaturæ adiungitur, statim occluduntur, ac reuiniuntur: & stipari fuligines, tum ob hoc, tum ob mollitiem, minime possunt. Indicia verò alia, quæ ex pilorum colore, & figurâ, & ex commutatione ipsorum in canos, atque caluitium, hic prætereo: de illis rursus acturus, dum temperaturarum capitis indicia tradentur. Crassam etiã atque tenuem, ex eis sunt indicijs, quæ magnam vim in significando temperamento sortiuntur. Bisariam autem corpus crassum fieri contingit, aut ex carnis, aut ex pinguedinis abundantia: illos carnosos,

aut

aut corpulentos: hos verò adiposos, pingues, aut obesos appellamus. Tenuēs similiter ex defectu carnis, graciles & excarnes, ex defectu verò pinguedinis, macrodicos. Quauis hæc nomina interdum confundantur. Carnis materia, abundans sanguis est, eius verò efficiens copiosus calor: ob idq; carnosî calidi sunt & humidi, naturæq; sanguinæ. Pinguedinis autē materia licet sanguis sit, à calido tamen prouenit diminuto, pinguem eius partem concrescere permittente: ob idq; in natura prouenit pituitosa, quæ frigida est atq; humida. Distinguntur verò inter se se carnosî, & obesi: quòd hi frigidi, illi calidi natura sunt: quauis vtriq; sint humidi. Carnosî ob calorem facillè & expeditè mouentur, cæterasq; obeunt animales functiones. Obesi verò difficillè mouentur, & ad omnia animalia opera sunt segnes. Sicca verò naturæ, tenues sunt atque graciles, hac habita differentia: quòd melancholici, quoniam paucum habent sanguinem, & exiguum calorem nutritionis autorem, minimum gignunt carnis, nonnihil tamen habent pinguedinis per carnes sparsæ, vt scribit Galenus libro Artis medicæ, cap. 59. Quoniam ab imminuto calore facillè concrescit in carnibus aliquanta pinguedo, propter naturam ipsarum carniū humiditatem: non autem in solidis & sub cute vbi gigni assolet in humidioribus temperaturis. Biliosi verò plus aliquid carnis, calore gignerēt, nisi calor esset immodicus, qui & carnem, & pinguedinem, dissipat atq; colliquat: ob idq; omnium sunt & duri, & gracillimi. Vnde vt ex Galeno colligitur libro secundo de Temperamentis cap. 9. per temperamenta, corporis habitus ita distinguimus.

Temperies	Frigida, modicè adiposa est.
	Calida, modicè carnosæ.
	Humida, carnosæ simul & adiposæ, aliquanto tamen magis carnosæ quàm adiposæ.
	Sicca, modicè gracilis.
	Frigida & humida, carnosæ simul & adiposæ: vbi frigus exuperat magis adiposæ, vbi humiditas verò magis carnosæ.
	Frigida sicca, carnis inops & modicè adiposæ.
	Calida humida, carnosæ & pinguis: sed plurimum carnosæ, & minus adiposæ.
	Calida & sicca, macra, gracilis, & valde dura.
	Temperata, omnium est excessuum mediæ.

Ad corporis habitum pertinent venarum angustia, & amplitudo: quicumque enim latiores venas habent, hi calidiores natura sunt: quibus verò angustiores contingunt magis frigidi, autore Hippocrate. 2. lib. epidem. par. 1. sentent. 23. & 29. Quod si quis, pinguis crassusque est, ac venas amplius habet, is consuetudinis alicuius occasione, non natura pinguis est redditus. Sicut è diuerso, si quis angustas

angustas habet venas, & gracilis est, ne hunc quidem talem esse natura necesse est, ut secundo libro de Temperamentis, capite nono, scribit Galenus. Asperum & lene, ad durum atq; molle sunt referenda, hoc vno discrimine, quod durum & molle, in cute & subiecta carne spectantur: asperum vero & lene, in extima rei facie: pendetque asperitas à maiori siccitate, quæ humidiores partes absorbit, & terrenas relinquit inæquales: lenitas vero contra humiditatem significat: humiditas enim complanat, & siccitas exasperat. Hinc pueri, & mulieres, leniores: viri vero & senes, asperiores tactum obtinent. Est autem indicium ab aspero & leni, à re omnium notissima, & quæ prius cæteris tactilibus tactum mouet, ut scribit Galenus septimo libro de placitis, Hippocratis & Platonis, ubi inquit, quod pri-
 mus tangibilis occursum per acutum sit & obtusum: secundus vero, per calidum & frigidum. Quauis autem in vniuerso corpore, sit hoc indicium asperi & lenis spectandum: magis tamen in vnguibus, gutture, iuncturis, & naso. Ab vnguibus enim duritiz, aut scabritie, indicium sumit siccæ temperaturæ, in primo genere signorum Auicenna, secunda primi, doctrina tertia, capite tertio, & in quinto genere, ab alijs membris, in hæc verba. Et complexionem siccam, sequuntur asperitas & curuitas, & iuncturarum manifestatio, & apparitio cartilaginum in epiglottis, & naso, & est nasus æqualis. Rarum etiam & densum, indicia præbent temperamenti, apud Galenum libro de optima nostri corporis constitutione: rarum caloris, densum vero frigoris: frigus enim omnia concernit & densat, tam omogenea, quam etherogenea: sicut & calor laxat, disgregat, atq; dissoluit, ut auctor est Arist. libro secundo de ortu & interitu. Quoniam tamen minus sensibus, quam rationi hæc qualitates sunt exposte: ideo inter signa temperaturarum eas prætermiserunt auctores, in molli & duro eas comprehendentes. Si quempiam tamen æque carnosum & validum, æque mollem, aut durum, externæ causæ morbificæ promptius lædunt, & ab internis facilius liberatur, is est rarior: contra densior, qui difficilius ab externis iniurijs corripitur, & ab internis difficilius se per cutem expedit. Huc etiam pertinet indicium sumptum ex compositione: optimam enim similarium temperaturam, sequitur concinna instrumentorum compositio, & ipsorum instrumentorum inter se decens coaptatio: ex qua pulchritudo, aut deformitas, tum in partibus, tum in toto consurgit. Primo nanque libro de Vsu partium, ita scriptum reliquit Galenus. Ut autem sermo noster Methodo procedat, quæ corporibus insunt omnia distinguamus. Insunt autem primum & maximè temperamenta. Quippè quæ propriam particularum substantiam complent. Corpus enim tale natura est, propterea quod caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate, sic commixtum est: Nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum unicuique id esse quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum, certam quandam temperaturam, mixturemque contingit. Hæc igitur eis secundum substantiæ rationem insunt. Consequuntur autem necessario, odores, sapes, colores,

res, durities, mollities. Alia vero necessario accidunt, positio, magnitudo, connexio, conformatio. Hæc Galenus. Hippocrates etiam secundo libro Epidemiarum, parte prima, sententia vigesima nona, ex capitis ac ceruicis magnitudine, veluti ex maximè conspicuis partibus, & quæ denudari veluti thorax, aliæque partes non exposcunt, temperamentum dignoscit. Et libro Artis medicinalis, capite vndecimo Galenus. Quando caput magnum formatum fuit ob materiæ multitudinem, & quando ob robur virtutis informantis, & bonum temperamentum, interstinguit & dignoscit: tum ex cœcina capitis figura, tum ex ijs quæ ab ipso capite ducunt originem: scilicet à ceruice si valida est. Et capite vigesimo nono eiusdem libri, Est quidem (inquit) & latitudo thoracis caliditatis inditium, nisi cerebrum plurimum obstiterit. Et capite trigesimo septimo, & trigesimo octauo. Hepatis calidioris inditium, venarum (inquit) est latitudo: frigidioris vero angustia venarum. Hinc Auicenna secunda primi, doctrina tertia, capite tertio, ita scribit. Quintum vero genus, est signorum ex forma membrorum assumptorum. Quoniam complexionem calidam sequuntur pectoris amplitudo, & extremitatum magnitudo. Et ipsarum complexionem in quantitate earum absque coangustatione, & sine curuitate. Et venarum amplitudo, & earum apparitio, & pulsus magnitudo, & fortitudo ipsius, & magnitudo musculorum, & propinquitas eorum ex iuncturis: quoniam operationes augmentatiue & compositiue, formæ caliditate complentur. Ex quibus manifestum fit, conformationem in significando temperamento, ad secundas qualitates quæ sensibus comprehenduntur referri debere: pulchritudo enim atq; deformitas, quæ ex bona, aut mala compositione consurgunt, & visu & tactu comprehenduntur. Dubium tamen esse videtur, quomodo ex figura, & conformatione, iudicet Galenus de temperamento, contra ac docuerit. 2. lib. de temper. cap. 14. valida etiam ratione allata: quod scilicet conformatio sequatur facultatem formatricem, quæ diuerse originis est, ac diuiniore, quam temperamentum ex calido, frigido, humido, & sicco, resurgit: ita enim eo loco scriptum reliquit. De hac nanque Aristoteles dubitauit, num quid diuiniore originis sit, atq; à calido, frigido, humido, & sicco, res diuersa: quomibi minus rectè facere videtur, qui tam temere de rebus maximis pronunciant, & solis qualitatibus formandarum partium causam adsignant. Rationabile enim est, hæc organa esse formatorem alium. Dicendum, quod huiusmodi facultas, plura potest, & mirabiliora, quam ratio exigit temperamenti: vititur tamen temperamento, ut instrumento opportuno, calidiori ad dilatandum, & minus calido, ubi minorem cavitatem molitur: quare ex conformatione non ineptè temperamentum iudicamus, ut dictum est: nec adeo certum est iudicium, ac si ex solo temperamento penderet, ut secundo libro de temperamentis scripsit. Dicendum secundo, quod mores animi sequuntur temperamentum, ut ex libro Galeni ad illud dicato constat: compositio vero sequitur mores, ut scribitur secundo libro de temperamentis citato. Equinus enim pullus calce ferit, nodum firmis vngulis: & vitulus cornu, ante nata cornua:

Et aues ante prouentum plumarum, alas quatiunt ad volandum, ut scribit Galenus, libro de fetus formatione. Prius ergo sunt animi mores, quam instrumenta, instrumenta uero posterius, pro ratione morum tribuuntur. Et ex consequenti, compositio non sequitur immediate temperamentum, sed mores: quod ipse uoluit expresse. Gal. 2. lib. de temper. citato. Mediatè uero ad temperamentum sequitur compositio, ita ut ex compositione, temperamentum possit iudicare medicus, et mores physiognomus. Si namq; uir fœmineam figuram, loquelam, et totius corporis compositionem assumat: naturam, et temperamētum fœmineum, ipsi inesse iudicabit medicus: et fœmineos mores ipsi præscribet physiognomus: quod nimirum timidus sit cum audacia quadam, detractor, mendax, dolosus, rixosus, et iniustus. Contra uero fœmina, si uirago sit: temperaturam habet uirilem, et in mores generosos ac uiriles assurgit. Hinc adulterinū esse Hippocratis locum. 2. Epid. par. 5. sent. 4. ubi uoce graciles, bonos esse adstruit, merito censuit Petrus Iacobus Steube Valentinus, in commentario ad dictam sententiam. Ungues curui et reflexi, medico siccitatem temperaturæ: physiognomo uero, ob similitudinem compositionis cum aibus rapacibus, latronem esse significat. Palpebrarum crebra niectatio, timidum: fixio ac immobilitas, ingrati: quoniā in timore et ingratitudinis actū, ita palpebras disponere solemus. Ab oculis quoq; (qui uelut fores animæ per ipsos emicatis sunt) et ab alijs pariter membris, inditia plurima morum sumuntur: estq; in omnibus uelut una ratio, quod qui ex natura, habuerit membra ita composita ut in actū aliquo ea componere solemus, aut similia animantibus quæ in eo actū excedūt cætera, ad eum actum proueni iudicantur: ad libidinem (uerbi gratia) si superior palpebra nondum ad mediū deducitur oculi: ad speculationē, et meditationē, si infra medium extēditur, cū mobilitate quadā, et frōtis relaxatione: ad inuerecundiam, si sursum reuellūtur palpebræ, et frōs rugosa est. Magni oculi, bonos arguūt uiros, exigui prauos, autore Hipp. lib. 2. Epid. par. 5. sent. 1. ab irrationalium oculis argumento sumpto: angues enim, simiæ, et vulpes, etsi quæ alia sunt animalia uafra, tenues habent oculorū acies: oues uero ac boues, et quæcumq; alia bonorū sunt morū, et simplicia, latè intuetur. Si quis præterea hirtus est pectore, hunc audacem iudicant physiognomi, ut autor est Gal. lib. 2. de temp. cap. 12. sin cruribus est hirtus, salacē: nō tñ causam adijciunt. Neq; enim cū pectus habere leoni similē dicūt, crura uero hirco, iam primam causam inuenerunt. Siquidem cur Leo quidem audax, hircus uero salax sit, ratio etiam inuestigandum exigit. Hactenus enim quod in re quidem fieri cernitur dixere: causam tamen eius omiserunt. Ceterum is qui naturali speculatione est exercitatus, sicut aliorum omnium, ita horum quoq; causas inuenire tentat. Propterea enim quod inæquali partium temperamento sunt, non leo modo et hircus, sed etiam cæterorum pleraq; animalium, idcirco ad alias actiones aliud est pronum. Hæc Galenus. Temperamentum ergo (ut quo sum digressus me recipiam) ex compositione dignoscitur: quoniam facultas quæ nostra corpora fingit,

tem-

temperamento utitur, ut instrumento ad formandum ipsa. Quoniam tamen agens principale non est temperamentum, sed ipsa facultas formans, quæ diuiniorem habet originem, et mirabiliorem doctrinam in pangendo, et formando, ad quam temperamentum non posset attingere: non est prorsus certum indicium quod ex compositione sumitur, ad temperamentum dignoscendum. Accedit etiam minori huius iudicij certitudini, quod huiusmodi facultas, non format animantia immediate pro ratione et mensura temperamenti, sed pro ratione morum: immediata autem ratio, certior est quam mediata. Ob id libro de optima nostri corporis constitutione Galenus, necessarium esse non putat, temperatissimam naturam esse optimam: poterit enim licet raro euentu, in compositione deficere: sunt autem hæc ipsius Galeni uerba. Quænam optima nostri corporis constitutio est? utrum maximè temperata, ut complures ueteres et philosophi et medici senserunt: an necesse est ut quæ optima sit, eadem temperatissima habeatur: non autem quæ temperatissima, eadem necessario optima existimetur? nam cum moderata calidi, frigidi, humidi, ac ficci, temperatio, partium nostri corporis similarium sanitas existat: compositarum uero ex similarium ipsarum conformatione, quæ situ, magnitudine, figura et numero constat: fieri quidem potest, ut corpus aliquod ex plurimis bene temperatis particulis constitutum: ipsarum tamen, uel magnitudine, uel formatione, uel numero, uel quadam inter se ordinatione læsum depræhendatur. Hæc Galenus. Ex quibus constat quod corpus temperatum in similaribus, potest in instrumentorum compositione male constitui. Quod uero quadratum, et bene constitutum est, hæc diu necessario sibi annectit, bonam (inquam) similarium temperiem, et officialium commensurationem. Pars etiam, præter corporis cuius est pars commensum interdum constituta, bonum habitum non necessario ob eam incommensurationem amittit, ut in capite magno aduertit Galenus, cap. 11. artis medicæ: quod cum bene ac pulchrè formatum est, bonum est: non enim ex solius materiæ multitudine, sed ex vi et robore uirtutis nos informantis produit. Et 6 lib. Epidemiarum, parte. 1. cōment. 3. non modò capitis magnitudinem probat, ubi decora ipsius seruatür figura: uerum et si acuminatum fuerit, propter alterutrius eminentiæ, præsertim posterioris, quæ ad occipitium est excessum: dummodo eiusmodi eminentia, nec sit ualde magna, nec indecora, et ualida ceruice sustineatur. Hos etenim homines, tum aliorum membrorum, tum officium præcipuè uiribus ualere comperit. Id autem corpus officialium partium exactum commensum dicitur habere (apud Galenum eodem libro de optima corporis constitutione) quod ad instar normæ polycleti fuerit formatum: aut parum aliquid ab ea descuerit. Hanc ergo normam polycleticam, ad cuius imaginem quadrata corpora æstimet, præ oculis habeat medicus: aut eam saltem quam Petrus Iacobus Steube Valentinus, describit secundo libro Epidemiarum, parte. 5. cōment. 4. quæ egregios omnes olim pictores, et statuarios usus fuisse refert, in qua nulla præfigitur certa corporis nostri quantitas, sed proportio. Quare poterit cuiusvis

quantitatis

quantitatis quadratus, bonique habitus homo reperiri: si modo temperiem habeat simi-
 larium partium, & exactam instrumentalium comensurationem. Quod Galenus ad
 finem libri, de optima nostri corporis constitutione, adstruit his verbis. Quod vero
 eiusmodi corpus, nec magnum, nec paruum, nec mediocre, necessario statuendum sit,
 dictum a nobis est, in libris de temperaturis, sed in proposito etiam opere dicitur gi-
 gni quidem magnum corpus ob exuperantem materiam: ob exiguam vero par-
 uum: sicuti multo ex aere grandis statua: ex paucis parua conficitur. Nihil tamen ob-
 stat quin duo haec corpora, particulas obtinere possint moderatè constitutas. Nam
 corpus quod nec densum euidenter sit, aut laxum, neque durum, aut molle, neque item
 pilosum aut glabrum, quantacumque magnitudinis stiterit, temperatissimum est. Quod
 si instrumentariae eius partes, comensum quendam inter se sortiantur, erit profecto
 visu sane pulcherrimum, cum absolutissimae constitutionis existat. Nec obstat quod
 paruum caput semper sit reprobum, apud Galenum libro artis medicae, cap. 11. in haec
 verba. Paruum igitur caput, vitiosae constitutionis cerebri proprium est indicium.
 Non obstat (inquam) nam caput paruum dicitur, quod proportione sui corporis est
 paruum: quod enim corpori paruo ex proportione respondet, non dicitur paruum:
 quoniam suo corpori paruum non est. Sed quare paruum, si pulchrum est, ac bene for-
 matum, non erit bonum, similiter ac magnum quod bene formatum est? Dicendum,
 quod in membris habentibus sua natura cavitatem, semper reprobatur paruitas apud
 Galenum. 6. lib. Epid. par. 1. com. 3. ut in capite, ventriculo, ceruice, pectore, vesi-
 ca, & alijs: quia cum stipatione, & obstructione, recipit materias, & membra con-
 tinenda: non sic autem reprobari potest amplitudo. Atque huc usque dicta sunt indi-
 cia temperamentorum, a temperamenti causis, & essentia, & ab ijs quae necessario
 consequuntur, & accidunt. Restat vero indicium ab operationibus sumptum, quod
 sequens exhibebit caput.

De indicio quod ab operationibus sumitur. Et

nunquid temperati corporis operationes, sint perfe-
 ctiores. CAP. XXII.



VANVIS operationes ab anima, eiusque facultatibus pro-
 deant, non tamen eae sine temperamento quidquam efficiunt. Ani-
 mam enim aut temperamentum esse, aut sine ipso nihil ipsam ope-
 rari, scribit libro de substantia facultatum naturalium Galenus.
 Hinc indicium ab operationibus, ad dignotionem temperamenti
 magnificat Galenus, lib. artis medicae, cap. 8. Temperatissimum
 namque quod simpliciter salubre corpus est, operationum perfectione, a reliquis intra la-
 titudinem sanitatis intemperatis corporibus distat: ipsa vero intemperata inter se se, ex
 quo quod magis, minusve, in operationibus existit, distinguuntur. Ex quo non oportet
 colligere

colligere singulas operationes temperati corporis esse perfectissimas, ita ut in nul-
 la ab intemperato corpore vincatur: sed quod omnes actiones simul, tempera-
 tum corpus habet perfectiores, etiam si vincatur sigillatim in aliquibus ab in-
 temperatis. Nam quauis ex vnius qualitatis intemperamento, aliqua operatio
 reddatur perfectior: plus leditur in reliquis operationibus, quam in ea ipsa quae
 perficitur, possit in melius promoueri. Sic si in frigido ventre promouetur appe-
 tentia, plus leditur coctio quam ipsa promouetur: & in calido plus leditur ap-
 petentia, quam promouetur coctio: in sicco augetur retentio: & in humido ex-
 pulsio: plus tamen reliquae functiones leduntur. In sicco cerebro sensuum adest
 perspicuitas, sicut in humido turbulencia, in temperato vero omnia sunt mode-
 rata, ut scribit Galenus libro artis medicinalis: est autem haec moderantia prae-
 ferenda, & potissimum deligenda, plus enim leditur siccum cerebrum in facilitate
 addiscendi, & in propriae substantiae nutritione, quae cum siccitate fit deterius:
 quam proficiat ex promptitudine addiscendi. Calidum insuper & siccum tem-
 peramentum, ad expulsionem, & agibulum molitionem, reliqua superat tempera-
 menta: sicut calidum & humidum, nutritione & augmentatione praestat, ut
 scribit Galenus tertio libro de causis symptomatibus: longaeuius etiam est eodem
 autore, sexto libro de sanitate tuenda, capite quarto: quod fieri nequit, nisi nutri-
 tio sit, quam in omnibus alijs temperamentis perfectior. Plus tamen in alijs fun-
 ctionibus naturalibus, & animalibus, temperata haec corpora leduntur, quam in di-
 etis quae perficiuntur functionibus promoueantur. Sic homo, quauis in compara-
 tione ad reliqua animantia sit temperatissimus, in quibusdam tamen operationibus ex-
 ceditur a brutis. Ita enim secundo libro de Anima, scribit Aristoteles. De odore
 autem & odorabili, praedictis minus definitu facile est. Neque enim clarum est, cu-
 iusmodi quid sit odor, ita ut sonus, vel lux, vel color. Causa autem est, quod hunc
 sensum non habemus exactum, sed multis animalibus deteriore. Homo enim
 male odoratur: & ex odorabilibus nihil sentit praeter id quod est iucundum, &
 quod molestum: cum non sit exactum sensorium. Primo etiam libro de Sanita-
 tate tuenda, ita scribit Galenus. Omnes cernimus male, si cum aquilis & lynce
 comparemur: & confuse oblesque audimus, si cum melampode: & pedibus pa-
 rum valemus, si cum Iphyclo: & manibus, si cum milone conferamur. Vulgo
 etiam hi circumferuntur versus.

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu
 Vultur odoratu, praecellit aranea tactu.

Quae sicut hominis temperatissimi inter animantia perfectioni non obstant,
 quoniam multae sunt aliae functiones, in quibus homo excedit caetera: ita in-
 ter homines, temperatissimus, intemperatos excedit perfectione functionum,
 quauis in multis earum a singulis intemperatis excedatur. Nullum enim

T tem-

temperamentum, ad omnes operationes, ita potest accommodari, ut ad singulas sit optimam: quoniam variae operationes, varia temperamenta optant, ceu familiaria sibi. Sed si omnes operationes simul sumptas, temperatus homo habet perfectiores: cur Galenus, primo libro de temperamentis, cap. 18. ita scribit? Ac me-
 dij, quidem in vniuersa substantia, communes notae dictae iam sunt. Quae vero in animalium speciebus notantur, actionis perfectione, quae cuique sit conueniens iudicatur. Conuenit autem homini, ut sit sapientissimus: canis, ut mitissimus pariter sit & fortissimus: leoni, ut tantum sit fortissimus: sicuti oui, ut sit tantum mitissima. Et cap. 11. eiusdem libri, ita scripserat. Vbi vero styrpem, animans ve vllum, eucratum dicimus, nequaquam in ea dictione, simpliciter contraria inter se comparamus: sed ad naturam vel animalis, vel styrpis referimus. Ficum (verbi gratia) temperatam dicentes, cum talis sit, qualis maximè ficus esse natura debeat. Rursus canem, suem, equum, & hominem, cum eorum quisque pro sua natura optimè se habeat. Optimè vero se habere aliquid pro sua natura, ex ipsis functionibus intelligitur: quippe animal, ac styrpem quamlibet, tum optimè se habere dicimus, cum optimè suam functionem obeunt. Ficus enim virtus, bonitasque est, optimos plurimosque ficus afferre: ad eundem modum vitis, plurimas optimasque uvas pendere: equi vero, quam velocissimè currere: canis, ad venationes quidem, & tutelam, quam animosissimum: ad domesticos quam mitissimum esse. Quibus verbis, tantum requirit ab animanti temperatissimo, perfectionem in ea operatione, quae speciei magis congruit: homini ut sit prudentissimus, non velocissimus, aut fortissimus. Illud enim equo, hoc vero leoni accommodat. Dicendum, quod Galenus omnium actionum specierum conuenientium perfectionem requirit: ponit tamen exemplum in ea quae speciei est magis accommodata: quoniam ea est notior, & per ipsam ab altera specie, melius quam per aliam dirimitur. Non enim equo sufficeret velocissimum esse, si ferox esset, & immansuetus, deformiterque formatus, caudam quatens, & oculos distorquens: ob horum enim singula (quantumuis cursu excellat) equitatu reddetur inutilis, & ab equite reijcitur. Nec homini sufficit esse sapientissimum, si amarulentus sit, elatus, & acerbus,

Quem non vlla magis sermonum gratia mollit,

Quam si dura silex, aut stet marpesia cautes.

Si tristis & perfractus, scurrilis sit ac iocosus, Democriti ac Heracliti more, de quibus Iuuenalis Satyra. 10.

Perpetuo risu pulmonem agitare solebat

Democritus, quoties à limine mouerat vnum

Protuleratque pedem: fleuit contrarius alter.

Si male nutriatur & concupiscat, si vitis sit obnoxius. Temperatus enim homo suapte natura, in omnibus mediocritate seruat: intelligentiae, & probitati idoneus est, ad literas, ad arma, ad reipublicam administranda aptus inuenitur. Si sola praeterea velocitate spectemus ad equi perfectionem: biliosus equus, erit temperato perfectior: & sanguineus

guineus leo, temperato leone robustior: & pituitosa ouis mansuetior. Et inter homines sicco temperamento praeditus, qui bilis & melancholicae mixtura abundantiùs accepit, sapientior erit. Primo, ob quietem sicci, quae ad speculationem, ac sapientiam est necessaria. Secundo, ob defectum excrementorum conturbantium spiritus, & impediendum discursum. Ob id enim siccitatem prudentiae autorem esse posuit Heraclitus, & ab eo recepit Galenus, libro cui titulus est: quod animi mores corporis sequantur temperaturas. Ob idque senes prudentissimos esse arbitratur: nisi ob frigus cum iam sunt decrepiti fiant deliri. Omnibus enim (inquit) animi officiis frigus officit. Tertio, quoniam ob bilem velociter discurrunt, & ob melancholicam constantè iudicant, de ijs quae discursu inuenerunt, ut autor est Gal. 1. de natura humana, com. 40. in haec verba. Est alia praeterea consideratio naturalis non contemnenda. Haec ad proborum generationem morum referre quatuor humores docet. Sed hic demonstrasse prius conueniat, animi mores corporis comitari temperamentis: quam rem alibi tractauimus. Atque hoc constituto, animi dexteritas, & prudentia, à bilioso humore proficietur: integritatis, & constantiae, erit autor humor melancholicus: sanguinis simplicitatis, & stupiditatis: pituitae natura, ad morum cultum nihil facit, sed in ciborum prima mutatione generari videtur. Hinc Aristoteles, problemate primo libri tricesimi, omnes qui ingenio claruerunt, vel in studijs philosophiae, vel in republica administranda, vel in carmine pangendo, vel in artibus exercendis, melancholicos fuisse perhibet: quales Hercules, Aiacus, Belorophontes, Lysandrum, Empedoclem, Socratem, atque Platonem, extitisse affirmat. Appellatione autem melancholicorum, potius veniunt intelligendi, hi qui ex bilis ac sanguinis vstione, atrabiliarès sunt redditi, quam qui ab ortu sunt melancholici. Hi enim ab excrementis, pituitosiorum potius, quam melancholicorum, nomen merentur: ut scribit Galenus, ad finem secundi libri de temperamentis, in haec verba. Non est quod opinentur, tanquam corpus siccum est, itidem excrementum quoque siccum esse. Etenim si quis ab initio sicciore, frigidioraque temperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed utique ab excrementis pituitosus. Quod si ex habitus mutatione, frigidus, siccusque est redditus: necessario huiusmodi talis, iam etiam melancholicus est: verbi gratia, si quis ante calidus & siccus, ex sanguine vrendo, plurimam generauit atram bilem: est enim is praeterquam quod siccus est & frigidus, protinus etiam melancholicus. Sin à principio frigidus & siccus fuit, habitus quidem corporis eius, albus, mollis, depilis, venis, articulisque parum expressis, gracilis, & turgentis frigidus, animus vero minimè audax, & timens, & tristis: non tamen excrementa huic melancholica sunt. Hi ergo omnes qui literis, artibus, & ingenio claruerunt: aut melancholici fuerunt ex commutatione biliosae naturae, in atrabiliarè: aut simul cum naturali ipsorum melancholia, bilis ab initio creuit. In istis enim à bile velocitas pendet discursum, & à melancholia firmitas iudicij, ut ex Galeno libro de natura humana retulimus: in illis vero, qui mediocri adustione atrabiliarès sunt facti, utraq; ratio in vno humore comprehenditur. Qui vero melancholici ab

ab initio sunt, quos nec adustio tales effecit, nec bilis simul excrescens illustrat & acuit, hebetes sunt & tardi: sicut & qui immodicè vsti sūt feroces, & audaces. Per-
 simili enim nos alterat affectione, melancholia, ac vinū, vt scribit Aristoteles. Vbi
 enim vinū (inquit) hominē frigentem taciturnūq; à sobrietate accepit, paulo libera
 liori poculo refouet, excitatq; ad verba: tum largiori potu, verborū vberē, eloquē-
 tem, fidētemq; reddit: posthac processu potadi ampliori, audacē, propensūq; facit
 ad agendū: deinde plenius amplificato, in contumeliā & petulantiam vertit: mox
 ad insanā propemodū accendit: postremo nimio ex potu resoluit: stultūq; agit, in
 modum eorum qui à pueris morbo laborant cōmitiali. Sic melancholia vbi frigida
 prorsus est, & nullo calore fota: hebetes ac tardos reddit: vbi verò incalescit, & il-
 lustratur, ingeniosos & mente aptos: vbi autē copiosior est, aut plus iusto vsta, deli-
 ros, furentes, audaces, & inordinatim concitatos facit. Itā enim loco citato scribit
 Aristoteles. Quibus multa & frigida bilis est attra, hi stolidi sunt & ignaui: in qui-
 bus permulta & calida, hi perciti, ingeniosi, amantes, propensi ad omnē excandes-
 centiam & cupiditatē, nonnulli etiā loquaciores. Et subdit. At quibus minus ille ca-
 lor remissus ad mediocritatē sit, ij prorsus melancholici quidē, sed longē prudentio-
 res: & quāquā aliqua in parte minus excedant, multis tñ in rebus, ceteris sunt om-
 nibus præstantiores: alij in studijs literarū, alij in artibus, alij in republica. Nec va-
 let, quòd si cōplexio melācholica, literis, & intelligentiæ est inepta: dū in eam verti-
 tur biliosa, sanguinea, aut temperata, in deteriore, & minus ingeniosam vertatur.
 Diuersa enim est melancholica ex conuersionē facta, à melācholica ab ortu contra-
 cta vt diximus. Habet ergo tēperatū corpus, si omnium actionū aceruū spectemus,
 omnes operationes perfectiores quolibet intēperato. Si verò singulas æstimemus se-
 orsum, nullā habet perfectissimā, nec eā quæ propriæ magis cōgruit speciei. Biliosus
 enim ad arma, & motus corporeos est aptior, quòd scitè expressit Iuuenalis, sat. 2.

*Hispida barba quidem, & duræ per brachia setæ,
 Promittunt atrocem animum.*

Sanguineus ad nutritionis opera, & venerea præstantior est. Pituitosus castus est,
 & animum placidum habet ac pacatum, & qui vix vel læsesitus excādescat. Me-
 lancholicus verò, cui aut bilis accessit permistio, aut ex bilioso talis est redditus, sa-
 pientior, prudentior, & in republica administranda æquior est, & qui à cōstantantia
 susceptoq; cōsilio, nulla vi abducitur: vt illud ipsi congruere Oratij possit.

*Iustum & tenacem propositi virum
 Non ciuium ardor praua iubentium,
 Non vultus instantis tyranni
 Mente quatit solida.
 Si fractus illabatur orbis,
 Impavidum feriant ruinae.*

*Nec valet, quòd si sanitas est actionum causa, perfectior sanitas tempera-
 tissimi*

tissimi corporis, erit causa omnium & singularum actionum perfectiorum. Sed
 solum inferre licet, quòd omnes temperatissimi corporis actiones probæ, ac perfe-
 ctæ, proueniunt: quòd minor sanitas facere non potest.

Hinc multi diuersorum autorum deteguntur errores. Magna enim autorum
 pars, bruta acutius & fortius videre, olfacere, & audire: non autem perfectius
 existimant. Homo quoque (inquiunt) temperatus, perfectius sentit, quanuis
 qui calido ac sicco est cerebro, acutius & fortius odores percipiat. Cum verò
 vltius vrgentur, quomodoque aquila homine imperfectius intueatur: & sic-
 cum cerebrum imperfectius quàm temperatum odores percipiat interrogantur,
 nihil consoni ac vtile respondent. Marsilius ob id perfectiorem visum humanum,
 quàm lynceum, & cuiusuis alterius bruti sensum appellat, quoniam in nobilio-
 rem potentiam ordinantur humani sensus (puta in cogitatuam & intellectum)
 quàm sensus brutorum. Temperati quoque corporis nutritionem, aliasque ac-
 tiones, perfectiores esse existimant: quoniam in cogitatuam & intellectum per-
 fectiorem ordinantur. Vis enim (inquiunt) nutritiua, homini data est vt sentiat:
 sensus vt imaginetur & cogitet: imaginatio & cogitatio, vt intelligat: ergo om-
 nes operationes quæ melius huic vltimæ deseruiunt, sunt perfectiores: quantum-
 nis reliquæ sint acutiores: habet autem temperatus homo intellectum felicior-
 rem, quàm intemperati: ergo & reliquæ operationes inferiores, quæ in ipsum or-
 dinantur, perfectiores dici debent. Iacobus verò Forliuensis, omnes actiones
 temperati corporis putat esse meliores, eo quòd humana nature melius congruunt,
 quàm actiones intemperati. Est enim medium temperamentum, humana nature
 maximè congruum, & vt ipse dicit proportionatum, ergo actiones medio huic tem-
 peramento congruentes, sunt cum humana natura magis consonæ, & ex conse-
 quenti perfectiores: non enim aliunde quàm ab huiusmodi consonantia, aptius
 sumi perfectio potest. Sed falluntur aperte. Primo, quoniam Aristoteles &
 Galenus, hominem in odoratu vinci à brutis, & in visu ab aquila, ac lynce faten-
 tur: maleque nos horum comparatione sentire scribunt. Secundo, quoniam quinto
 libro de generatione animalium Aristoteles, acutè videre definit, per minima, &
 procul discernere: hoc autem appellat Galenus, primo libro de causis sympto-
 matum, capite secundo, perfectam & synceram visionem: sicut & Auerrhois,
 tertio colliget, capite tricesimo octauo. Videt enim aquila, quicquid homo videt,
 & aliquid ultra: totum igitur videt aquila, homo verò partem: totum autem par-
 te est potius. Tertio, nam perfectio, cuique actioni est intranea, & non aliunde
 debet mendicari: nutritio ergo ex se, suam habet perfectionem, non ex ordina-
 tione ad sensum, vt in plantis videre est: & sensus ex se, scilicet ex materia cir-
 ca quàm noscendam versatur, & maiori aut minori certitudine in cognoscendo
 eiusmodi materiā, vt apparet in brutis. Simili modo & intellectus is est præstantior,
 V 3 qui

qui plura & certius comprehendit. Ergo frustra laborant, cum omnium aliarum actionum perfectionem, ex ordinatione ad præstantiorem cogitativam, & intelligentiam sumunt. Quarto, quoniam omnes temperati corporis actiones, essent æque perfectæ, si perfectio esset æstimanda, aut ex ordinatione ipsarum ad intellectum (ut voluit Marsilius) aut ex congruitate ad naturam humanam, ut Iacobus: si quidem idem est temperati hominis intellectus ad quem referuntur: & equaliter sunt omnes eius operationes, proportionatæ & naturæ humanæ congruentes. Cum ergo cuiuslibet operationis diuersa sit perfectio: à sui intranea natura, & non ab hisce externis est pensanda. Quinto, quoniam nec si ita actionum perfectionem sumerent, omnes & singulas temperati corporis actiones, perfectiores esse conuincunt. Nam intellectus & cogitatio temperati corporis, in quas ipsas referunt: vincuntur ab atrabiliario per conuersionem temperamento, aut à naturali per bilem illustrato, ut diximus. Temperati enim omnia habent mediocria, ita ut etiam intelligentia & speculatio mediocris, sit ipsis congruentior & magis suæ naturæ proportionata, quam nimis, & cogitabunda melancholicorum: per quam tamen plenius veritas agnoscitur, & non modo præsentia, verum & futura prædici posse creduntur: ut de Sibylis & Bacchis diuino spiraculo instigatis, tradit Aristoteles problemate primo, sectionis tricesimæ. Quauis enim naturaliter & per ea quæ sunt in nobis, neque melancholia, neque vlla dispositio alia, facere possit, ut per nos futura & longe sita diuinemus, aut linguis loquamur ignotis (quicquid de hac re mentierit Leuius Lemnius, lib. 2. de Ocultis naturæ miraculis cap. 2.) melancholici tamen sunt opportunissimi, ut separatus aliquis intellectus, se illis immisceat. Deus (inquam) aut Angelus, aut Dæmon: qui eam diuinationem illis immitat. Nam si Deus, aut Angelus, se immiscet nobis: rationi consentaneum est, ijs maxime se miscere, qui ingenij magnitudine, & excellentia quadam actionum præstant: ut notat Fracastorius. 2. lib. de Intellectione. Si verò dæmon est qui isthæc operatur, in melancholicis præcipue ea operari censendum est: qui facillime & in furorem, & in omnem insaniam verti possunt. Sic de Maraco ciue Syracusano refert Aristoteles, problemate citato quòd poëta erat præstantior dum mente alienaretur. Sic absolum non est, à dæmone quempiam per expurgans medicamentum liberari, vacuata per ipsum melancholia, quæ aptum ipsum reddebat Dæmonis inuasioni: ut in illustrissimâ quadam Comite, melancholia redundante, contigisse comperimus: quam Dæmon illudebat, & ad infidelitatem trahere conabatur: per commoda autem præsidia curata, simul à melancholia, & dæmonis conatu, nostra ope (Deo optimo maximo concedente) fuit liberata. Temperati ergo ut vnde digressi sumus reuertamur, omnes operationes habent moderatas: nullam autem summam, sed in singulis ab aliquo ex intemperatis planè exceduntur. Vnde libro Artis medicinalis, capite decimo tertio, in cerebro temperato, omnes functiones principes dixit esse moderatas. Et

Auer-

Auerrohus. 4. coll. cap. 8. signa temperati cerebri memorans, Intellectus (inquit) eius est inter velocem & tardum. Et capite duodecimo artis medicæ, ingenium tribuit Galenus tenui substantiæ cerebri, non mediocri. Et apud Arist. lib. 2. de partibus animalium, cap. 2. animalia sanguinem tenuem habentia, præstant ingenio: Viribus autem & robore, quæ crassum & fibrosum habent: inter hos verò temperati, medium vtriusque sortiuntur. Quo loco animalia comparat inter se Aristoteles, non autem homines inter animalia: aliter enim melancholicus, qui crassum sanguinem habet, non polleret ingenio ut diximus. Sed dubium est, quomodo ingenium, & prudentia, pendeant ex hoc, aut illo temperamento: si causa quare homo cogitatione antecellit bruta, est varietas maior compositionis cerebri humani, ut scribit Gal. 7. lib. de placitis Hippocratis & Platonis, cap. 5. Dicendum est, quòd hæc sententia non est Galeni, sed Erasistrati, cuius verba aperte refert ibi Galenus, eaque conceptis verbis reprehendit. 8. libro de Vsu partium, cap. 13. Vbi probat, intellectum sequi, non compositionis varietatem: sed corporis quod cogitat, atque intelligit, bonam temperiem. Nam ipsi etiã asini (inquit) cerebrum habent admodum perplexum, & varia compositione formatum: quos oportebat si morum spectes ruditatem, ac stuporem, cerebrum habere simplex omnino, & sine villo plexu ac varietate.

De indicio quod sumitur a repugnantia ad mor-

bos: & nunquid temperatum corpus, magis
reluctetur causis morbificis.

CAP. XXIII.



ALVRE simpliciter corpus, quod temperatum esse diximus, vel ex ipsa nominis significatione, longè à morbis abesse constat. Quod etiam ipsius essentialis ratio definit, salubre enim simpliciter semper (libro artis medicinalis, autore Galeno) aptum est per omnes ætates sanum manere: quoniam ex modo, ac perfectione missionis, resultat in ipso naturalis quedam potentia, ad conseruandam salubritatem, & effugiendam noxam à causis alterantibus, quæ nos ægrotare faciunt. Sanitas insuper qualitas est, qua actiones fiunt, quæque infirmantibus causis resistitur: maxima igitur, ac optima sanitas est, qua meliores fiunt actiones, & melius ægris causis resistitur. Duos insuper Galenus cap. 8. artis medicinalis, constituit terminos inuicem contrarios, optimam scilicet constitutionem, & nunc factam ægritudinem, reliquas verò sanitates in medio collocavit: difficilium autem extremum, permutatur in extremum, quam in medium. Vnde eodem capite, salubre semper corpus distinguit Galenus à reliquis salubribus, ex eo quod magis, minus ve, in operationibus existit, ac quia causis,

V 4

que

quæ ægritudinem pariunt reliqua non æque resistunt. Et cap. 13. eiusdem libri de temperato cerebro dixit, quod ab his quæ extrinsecus occurrant, minime leditur: quæ scilicet vel calfaciunt, vel frigefaciunt, vel humectant, vel exiccant. Libro etiam de optima nostri corporis constitutione, omnibus causis morborum, temperatum corpus, magis quam intemperatum repugnare, persuadet Galenus: quoniam temperatum corpus difficulter corripitur morbis ab exterioribus causis, & ab interioribus: & non sunt aliæ ledendi rationes: ergo temperata corpora à morborum offensis recipiendis, plurimum recedunt, valdeq; indispota sunt. Ab externis quidem causis minus leduntur. Primo, quoniam temperatum quod in medio est extremorum, ab utrisq; extremis plurimum distat: ergo ægrius ad ipsa extrema dilabatur, per calfacientia & infrigidantia, humectantia & exiccantia, quantum ad vim illatam ab externo alterante attinet. Secundo, ob actionum præstantiã, quibus temperatum corpus ledentibus causis valde repugnat: redditurq; morbis ipsis difficulter obnoxium. Tertio, ob succi probitatem, quæ difficulter vitiat a causis externis nos alterantibus: ira, tristitia, vigilijs, imbre, squalore, atq; pestilenti aëris statu. Ab internis quoq; causis, quæ ab alimenti excrementis, tum quantitate, tum qualitate redundantibus oriuntur, vix temperatum corpus lædi potest. Primo ob facultatum & actionum in hoc corpore symmetriam, & convenientiam: ob quam huiusmodi recrementa non gignuntur in ipso: tantum enim appetit quantum conficere potest, & tale quale sui natura postulat. Secundo, quoniam si qua forte fortuna, in hoc corpore recrementa, aut quantitate, aut qualitate nocua proveniunt: ob eandem facultatum & actionum cõmensurationem, antequam morbos inuehant pellentur. Vt enim appetens appetit pro ratione cõtrictis, ita expultrix pellit quidquid cõtrix sua alteratione extriuerit recrementi. Tertio, quoniam etiam si interdum expultrix torpuerit, & aliqua excrementa acervari siuerit, nullum necessariò ab eis accipit detrimentum: ob validam virtutem temperati, quæ ledentibus causis diu multumq; resistit, ut libro citato de optima nostri corporis constitutione, scribit Galen. Valida enim virtus, quæuis offenditæ spernit, ut lib. 2. de Causis Symptomatum cap. 5. docuit. Intemperata verò corpora, tam internis, quam externis vitijs minus repugnant, ob causas contrarias: ad aliquod enim extremum vergunt, ad quod promptè ac facillè labuntur: actiones quoq; (ut diximus) habent imperfectiores, per quas ledentibus causis minus resistunt. Vitiosos etiam habent succos, quorum ratione morbis facile succumbunt. Incommensuratas etiam habent facultates, & actiones, cuius ratione ij succi gignuntur, & non expellantur statim ac geniti sunt: sed acervantur in corpore, morbos, & mortem parituri. Ob intemperamentum enim facultas imbecillior, promptius leditur, & ledentibus succumbit. Ex quibus non diuersam apud Galenum esse repugnantiam ad morbos, ac operationum rationem conuincimus: ut enim temperatum corpus omnes actiones edit perfectiores, & in singulis vincitur ab aliquo ex intemperatis: ita omnibus morbis magis repugnat, à sin-

galisq;

galisq; morborum generibus facilius comprehenditur, quam ad contrarium intemperatus, comprehendatur. Rarum enim corpus ab iniurijs externis, facillimè vincitur, difficulter vero ab internis: densum contrario modo se habet: temperatum quod inter hæc situm est, medium inter hæc modum seruat, & velut in medio ac centro omnium excessuum constitutum, ab ipsis extremis vndiquaq; plurimum distat: ut scribit Galenus libro de optima nostri corporis constitutione. Ob idq; ab internis & externis iniurijs simul, minus afficitur: & excedentium vtrumq; aliqua in re plus posse videtur. Quod enim (inquit Galenus) ab vtraq; causa tutum omnino, illæsumq; sit, deprehendi non potest. Quod verò medium inter excuperantias omnes possidet, mediocriter resistit: idemq; inter vniuersa corpora saluberrimū censemus. Similiter & humectantes causæ, quod siccus est moderato: siccates verò quod humidius, ægre admodum corripient. Quapropter sicuti à nobis paulo superius explicatū est, quod medium dicitur, haud sanè videtur plus omnino quam cætera corpora morborum offensis aduersari: sed singulis quidem corporibus aliqua in re inferius est: ante omnia tamen potissimum deligendum. Hinc lib. 8. Methodi, cap. 8. temperatum corpus paratius est febrem incidere, quam frigidum & humidum, & quam frigidum & siccum, & quam frigidum tantum, & quam humidum tantum. Cum tamen hæc binnes naturæ, sint absolute morbosiores, & omnium morborum aceruo inspecto, promptius morbis corripiantur: familiaribus scilicet suo intemperamento in quod lapsus est facillimus: Et tertio Aphorism. sententia. 18. de iuuenibus, qui calidi sunt & siccis, inquit Hippocrates, quod melius degunt hyeme, quam adolescentes qui sunt temperati. Intemperati verò aliquibus causis morbificis magis resistunt, quam temperati: quauis omnium morbosarum causarū aceruo, magis resistat temperatum. Primi præterea senes, & pituitosi, minus leduntur ex inedia, quam adolescentes, & temperati, lib. 1. Aphorism. cõment. 13. Libro etiam. 3. Simp. cap. 17. Sturni nutriuntur cicuta, propter stricturam meatuum, homines autem leduntur & intereunt: igitur homo qui habuerit dictam stricturam, minus ledetur: talis autem erit intemperatus, ut pote frigidus. Auicenna etiam prima tertij, cap. de signis cerebri, citius temperatum corpus canescere, quam aliqua ex intemperatis trahit. Et eodem libro cap. de Apoplexia, ex ea magis & ocys perire scribit, quæ non fuerint cordis frigidi. Ratio præterea efficax hanc sententiam demonstrat, si enim temperatum corpus (quod voluit gētilis) omnibus & singulis morborū causis repugnaret magis: quod temperato etiam est vicinius, magis resisteret remotiori: & ex consequenti, calidum primi ordinis, magis resisteret frigide nature, quam secundo aut tertio calidum, valde à temperato distantia: & in temperando corpore minus calido, frigidioribus medicamentis deberemus vti, quam in temperando magis calido: quod est per absurdum. Præterea causæ contrariæ adhibite intemperato, non modo non ledunt, verum iuuant ipsum, ad melius, ac temperatius reducendo: temperatum verò corpus ledunt, quoniam ipsum intemperant: ergo aliquibus causis

V 5 nos

nos alteratibus, resistit minus temperatū corpus, a quibus etiam minus leditur, quam intemperatum. A calido insuper primi gradus, temperatum corpus calfit, quare intemperatur & leditur. corpus vero secundo gradu calidum potius emendatur, quoniam refrigerat. Præterea temperatura sanguinea magis resistit frigido, quam pituitosa: in permutatione autem pituitosæ in temperatam: semper est pituitosa, donec sit temperata: ergo toto tempore quo pituitosa permutatur in temperatam, semper minus resistit frigido, quam sanguinea: si statim ergo ac permutata est, & mediam temperiem subijt, magis resistit frigido quam sanguinea: ex maiori resistantia veniet in minorē, sine permutatione in æqualem: & ex consequenti latitudo aliqua in instantiali puncto (quod summè vitarunt philosophi) amittetur.

S E D contra esse videtur. Primo quod temperatum corpus, virtutem habet validiorem, quam intemperata: virtus autem est quæ morbis repugnat, ergo omnibus & singulis morbis, magis reluctatur. Secundo, temperatura media est instrumentum magis accommodatum, & proportionatum virtuti: ergo melius cum ipsa repugnat morbis, quam cum intensiori minus proportionato. Tertio, quod ab excrementis est immune, omnibus & singulis morbis valde est inidoneum, biliosis scilicet; pituitosis, melancholicis, & sanguineis. Quarto, temperatum magis resistit causis calfacientibus quam biliosus, & equaliter resistit causis infrigidantibus ac calfacientibus: ergo magis etiā resistit causis infrigidantibus, quam biliosus. Et ex consequenti, omnibus & singulis alterantibus, magis repugnat temperatum corpus, bilioso: parq̄ est reliquorum intemperatorum ratio. Quinto valde dubium est, quod Aristoteles problemate. 22. lib. 5. tam parum tribuit corpori temperato in repugnando morbis, quod facilius cæteris egrotare tradit, in hæc verba. Quare corpora quæ modice constāt, temperataq̄ sunt, in morbum sæpius incidunt, & facilius curantur? An vtrumq̄ eadem de causa euenit: est enim æquabile quod modicum est: quod autem æquabile, id compatibilis est: quam ob rem si qua eius pars laborauit, protinus toto collaborat: immodicum autē contra, ut pote quod seiunctius sit, partium suarum vitia minus haurit, minusq̄ consentiens est. Ergo sæpius in morbum hac de causa incidit: facilius autem curatur, quoniam malum partium cōmune omnium est: eo nanq̄ debilius redditur, quo se in plura digesserit: itaq̄ curabilis est: immodicum verò illud, ut quod rem communem cum partibus non habeat, minus quidem egrotat, sed difficilius curatur, quoniam malum vehementius vrget. Hæc Arist. Sexto, si omnibus morbis simul, magis resisteret temperatum corpus, homo inter animatā minime egrotaret: contra verò rem habere experimur, nam medicina longissima cum sit, nouitatibus vincitur, ob noua quæ hominibus incidunt morborum genera, ut scribit Plinius lib. 21. in proœmio.

Dicendum tamen ad primum est, quod perindè ac omnium actionum summa, in corpore temperato est perfectior, in singulis verò actionibus, exceditur ab aliquibus intemperatis: ita de facultatibus quæ actiones edunt, & morbis repugnant, ferendum

dum est iudicium. Omnium enim facultatum acruus, validior est in corpore temperato, sigillatim verò singulæ eius facultates, exceduntur ab intemperatis. Naturalis enim facultas, validior est in sanguineo, & ætate puerili: vitalis & animalis motiua, in vigore: cogitatio & intellectus in senectute, & temperatura sicca. Atq; in harum facultatū operationibus, minus repugnant singulis causis morbificis, temperati quam intemperati, nisi plurimum creuerit intemperies: quæ valde enim aucta est, deicit actum propriæ virtutis, apud Gal. 2. lib. Aphor. com. 20. Facultas autem ob intemperiem deiecta, neutro ex cōtrarijs reluctatur: quia in valde debili; (ut scribit Auicenna. 2. i. doct. 2. cap. 4.) proportionale, & impropotionale nocet. Ob id in senectute, excessus quos tollerat iuuentus, non ferimus: quin nec in vergente, de qua dixit Gal. 3. lib. Aphor. com. 30. quod ea ætate constituti, omnia vitæ munia, æque atq; illi qui in vigenti ætate consistūt, conantur peragere: non tñ eodē modo ad labores sufficiunt. Nam ex adustione, & algoribus, & humi cubatu, vigilijs, atque repletionē, plusquam illi offenduntur. Sic decimo libro Methodi, hæceticas insanabiles, per potum aquæ frigidæ transfert in marasimum, frigidum affectū: quoniam vis reddita imbecillis per febrilem intemperantiam, non potuit resistere aquæ frigiditati, quin post febris demolitionem, frigidum crearet affectum. Nono verò libro Methodi, ubi vim ægri validam tractat, ita argumētatur. Aqua frigida non lædit sanum temperatum, ergo minus ægrum ipsum iam febrientem, idest validum: nam si inualidus esset, magis lederetur: ob idq; ad potum frigida exhibendum, vim validam requirit semper Galenus. Ad secundum dicendum, quod temperatura media, est instrumentum magis accommodatum, & proportionatum virtuti: quoniam per ipsam omnes operationes, bene & innoxie operatur: quauis in singulis, excedatur ab aliquo ex intemperatis. Ad tertium dicendum, quod licet temperatum omnibus & singulis morbis sit inidoneum: minus tamen inidoneum est biliosum corpus morbis pituitosis, & frigidum morbis calidis. Ad quartū dicendum, quod temperatum corpus ex æquo resistit calido & frigido, & magis resistit calfacientibus quam biliosum, & refrigerantibus quam pituitosum: non tamen ob id reluctatur tanto magis frigidis quam biliosum: & calidis quam pituitosum. Nam quauis ex parte temperati, resistantia ad vtrumq̄ contrarium sit par, ex parte intemperatorum est valde impar: ita ut biliosum multo magis reluctetur frigari, & pituitosum calori, quam temperatum. Locus verò Aristotelis, ex quinto libro problematum citato, valde est suspectus: ob idq; a varijs ipsum saluare cupiētibus, variè interpretatur. Quidam qui nobis magis placent, per commensurata, aut temperata, intelligunt corpora delicate viuentia, qualia nobilium & urbanorum sunt: mollia etenim sunt, & rara, facile passibilia, facileq; ad cuiusuis partis affectum reliquæ ipsorum partes compatiuntur, & trabuntur ad consensum: facile etiam sanantur, tum quoniā ex leui causa egrotant: tum quoniam affectus qui per plures partes sparguntur, facilius vincuntur, quam qui in vna parte comprehenduntur. Hæc autem corpora,

nec sunt temperata, nec à morbis tuta, nam quo ad vitæ ipsorum rationem attinet, qui viuit in puncto, viuit in dubio: quo ad temperamentum verò, temperatiora sunt rusticorū, quàm ciuium corpora, vt autor est Galenus, lib. 5. de Sanitate tuenda capite vltimo. Alij verò per cōmensurata corpora, intelligunt habentia temperamentum eiusdem rationis per totum, qualia sunt vniuniformiter intemperata: quorum nimirū omnia mēbra sunt pituitosa, aut biliosa, sanguinea, aut melancholica. In quibus (inquit) nulla ipsorum pars, venit in auxilium partis affectæ: sed ob similitudinē vniuersæ cōpatiuntur. Isti tñ mihi potius desipere, quàm altius sapere videntur. Primo, quoniā vniuniformiter intemperata, morbis contrarijs suo intemperamento magis reluctāntur. Secundo, quoniam prorsus temperata sunt saluberrima: & equaliter ac vniuniformiter temperata sunt. Tertio, quoniam apud Galenum lib. 6. de Sanitate tuenda cap. 12. rarij egrotant equalia temperamenta, quàm inaequalia. Alij temperatos à causa externa frequētius egrotare censent, de quibus Aristotelem interpretantur: quia cum in medio sint, non valde discedunt ab vtroq; extremo: ob idq; facilius ducuntur vtrinq;. Ab interna verò causa rarij egrotant, quia munda sunt ab excrementis, & facultates habent valde cōmensuratas. Sed contra est quod Galenus libro de Optima nostri corporis cōstitutione, tñ ab internis quàm externis causis, tēperatum corpus minus lædi probat, vt diximus. Secundo, quod medium est, plurimum ab extremis recedere dixit. Tertio, quoniam ratio Aristotelis de consensu membrorū: non magis habet locum in externis quàm in internis morbis. Quarto, quoniam nō saluant alteram problematis partem, quod vbi temperata corpora egrotant, facilius sanantur. Nam firmi & qui validis viribus præditi sunt, vbi egrotant periclitari solent vt scribit Galenus libro. 2. de Præfagatione ex pulsibus cap. 4. & lib. 2. Aphorism. cōment. 34. Quo fit vt Aristotelis sententia si vera esse debet, de optimè temperatis non sit intelligenda: sed de mollibus, ac vrbanijs, delicata viuendi ratione vtentibus, vt diximus.

Quare autem bruta homine intēperatiora, paucioribus morbis conflētentur, (ita vt medicina quauis prolixissima vincatur nouitatibus, ob noua quæ hominibus inçidūt morborum genera, vt Plinius scribit lib. 21. in proœmio) causa est, quod in vniuersum, quò aliqua species est perfectior, eò pluri indiget apparatu ad sui cōseruationem. Saxum in annorum millia, ab igne & aqua & alijs iniurijs seruatur incorruptum: quoniam cum minime sit perfectionis, sub latissima cōseruatur, & durat dispositione: ita vt quæuis sibi sufficiat. Plantæ ac bruta vt sunt perfectiora, ita ab Solis ardore, ariditate, frigoris inclementia, & humiditate obruente intereunt: viuunt tamen in aprico, & erudo terræ alimento vtuntur, eòq; bene habent & saginantur. Homines verò perfectissimi, plurimo indigent apparatu, & multiformi dispositione: ob idq; selectissimam postulant viuendi rationē, domos, cubilia, vestes, coquos, selecta alimenta, & sex rerum non naturalium mediocritatem, in quantitate, qualitate, & ordine: quam vix vnus è mille seruat, plures enim interi-

mit

mit gulā quam gladius: Otium quoq; non paucos iugulat. Est enim sanitatis vclut quodam compendium, non repleti cibi & impigrum esse ad exercitationes vt scribit Galenus .6. lib. Epidem. part. 4. cōment. 21. Nuditas plurimos malè habet, suntq; quibus nē vestes sufficiant pelliceæ: est enim homo, cute corporis proportionē tenuissima, autore Aristotele lib. 3. de Historia animalium cap. 11. Sanguine proportionē ad alios humores nutritur, quàm alia animantia abundantiori. Ideoq; solus inter animantia, patitur sanguinis è naribus fluores, vt scribit Aristoteles problemate .2. lib. 10. Ideo etiam iecore, & venis est maioribus, vt scribit Aristoteles lib. 1. de Historia animalium cap. 17. Hac certè causa putredinis morbis, homo plus quàm bruta est expositus: & sterminus humanum, ac cadauer, pessimè omnium foetent, vt scribit Alexander aphrodisiensis, problemate. 29. lib. 4. & inter homines, sanguinei hircos redolent, apud Galenum lib. 8. Methodi. Adde brutis deesse animi cogitationes, & plurium rerum desideria, & anhelationes: quæ nos lædunt, & discruciant. Quod temperatius ergo est in animantium genere, non plus ceteris morbis repugnat: sed quod intra suam speciem, siue hominum, siue brutorum, temperatius habetur, id est saluberrimum, & eam dotem maioris repugnantie ad morbos sortitur: dummodo cetera equalia semper statuuntur. Intemperatus enim assuetus laboribus, & victui parum delicato: magis resistit temperato delicato qui molliter vixerit. Intemperatus etiam, cui maior fuerit animi fortitudo: validius & morbis, & morti repugnabit. Quosdam enim recenset Galenus, lib. 2. de Symptomatum causis, qui præ timore interierunt. Et .3. lib. Epidem. sect. 3. cōmen. 38. fortissimos quosdam refert, qui ob id quod vim sibi intulerunt, oblatos cibos esitando, à peste euaserunt: & alios plurimos, qui mori, quàm comedere potius satagerunt. Quam sententiam Auicenna de Cura februum pestilentium transcribens, dixit: quod plurimi eorum qui viriliter egerunt, perstiterunt.

De indicio sumpto a longæuitate, & nūquid calida

atq; humida natura, sit quàm temperata longæuior.

CAP. XXIIII.

Daspal Santa
del loco citato al

ITA durat ab ortu, vsq; ad interitum animantis: quoniam generatio (inquit Aristoteles libro de morte & vita) est prima vegetatricis animæ cum calore participatio: vita mora eius: mors verò extinctio caloris animæ participantis. Is autē calor violenter nonnunquā extinguitur, aut sui stipatione, & conculcatione vt in metu, & strangulatione: aut effusione, vt in iugulatis, & ijs qui gaudio deficiunt: aut præpropera consumptione, vt in fame, & ijs qui succorum tenuitate syncopizant, & qui laboribus, aut febris, aut quibusuis alijs morbis conficiuntur. Hi enim omnes violenter mori dicuntur, quoniam ipsorum caliditas

durat

diu violenter ex occasu non intranea sibi extinguitur. Cum verò sui ipsius a-
 ctione intranea in propriū humidum, obq̄ tēporis transacti longitudinem, natiuus
 calor marcescit: mors dicitur in animātibus naturalis, & in plantis ariditas. Hanc
 temporis longitudinem, & marcorem ex ea prouenientem, rarus est qui assequatur
 homo: tot sunt pericla quibus violenta morte praeuenimur. Temperatus tamen ho-
 mo si quis alius, hunc terminum assequi facilius potest: tū quoniā omni caret immo-
 deratā, tum ob mediocritatem affectuum: nec enim timidus est, aut temerarius: nec
 procax, aut à venere prorsus abhorrens: nec laborum patiens, aut sine exercitio:
 nec parcus, aut vorax. In omnibus enim tum ijs, tum alijs, excessuū mediocritatem
 seruat, & ab omni recedit violentia, quae naturalem mortē praeuenire potest. Quòd
 Galenus nos docuit, libro secundo Aphorism. cōment. 44. in hac verba. Optimum
 siquidem est, bene carnosum esse natum, hoc est ita commoderatum, ut neq̄ crassi-
 tudo adsit, neq̄ gracilitas: tales enim possunt ad longam senectam peruenire. Si
 verò à modo recedatur, melior ad gracilitatem, peior ad crassitudinē excessus est:
 angustae sunt enim horum arteriae, ac venae, atq̄ ob id paucum omnino sanguinem
 & spiritum habēt: adeo ut cum aetate processerint, celeriter in ipsis vel paruam ob
 causam, calor natiuus destruat. Graciles autem, hac quidem ratione non pericli-
 tātur: quia verò partes principales ita affectae sunt: ut nullum habeant munimen-
 tum, à causis exterioribus promptē offenduntur. Qui verò natura quidem medio-
 cres erant, sed victu delicatiore vtentes, postmodum crassi facti sunt: ijs licet caro
 atq̄ pinguedo adnatæ sint; venae tamen atq̄ arteriae latae consistunt, atq̄ idcirco in
 eis, calor naturalis minus obnoxius est extinctioni. Hac Galenus. Ex quo loco no-
 lim quisquā intelligat, quòd natura sanguinea, sit quàm temperata minus longeva,
 si ad vltimum marcorem vtraq̄, perueniat: nam cum marcor ex humidi proueniat
 consumptione, tunc durabit magis, cū absumentum humidum fuerit amplius. Eam
 ergo quam diximus doctrinam, voluit Galenus statuere: quòd scilicet natura tem-
 perata, plus alijs vltimam assequitur senectam: quoniam tutior est, tum à morbis,
 tum ab alijs immoderatjs, quae homines ante tempus arripiunt. Vbi tamen per con-
 gruam viuendi rationem, sanguineus ad vltimam vsq̄ aetatis metā peruenit, longeva-
 uior est: & omnes aetates longiores habuit. Quòd Galenus cōceptis verbis statuere
 videtur, lib. 6. de sanit. tuen. cap. 4. in hac verba. Erit id maximè diuturnum, quic-
 quid erit minime sit catum: verum cum humida victus ratio, excrementa & succo-
 rum abundantiam pariat: difficile est ita mediocritatem seruare, ut neq̄ morbi in-
 cidant, neq̄ senectus maturetur. Quòd tamen ad ipsius temperamenti rationem atti-
 net, qui maximè sunt humidi, ijs maximè sunt longevi: ydem & sanitate, vbi cor-
 pus ad robur peruenit, plus ceteris fruuntur: & ceteris qui parem aetatem agunt,
 valentiores ad extremū vsq̄ senium sunt. Ideoq̄ fermè tum medicis omnibus, tum
 philosophis, qui corporis elementa diligenter inuestigarunt, temperamentum id lau-
 datum est. Imò etiam vnum id, proinde secundum naturam se habere quibusdam
 est

est visum: nam quanquam in principio sit deterius, tempore tamen reliquis prae-
 stantius euadit. Quae verba si recte expendantur, manifesto excludunt quorundam
 sententiam, qui volunt Galenum praetulisse sanguineam temperaturam, reliquis
 intemperatis: non autem temperatae. Primo, quoniam temperatam naturam Gale-
 num hic non omisisse, eò constat quòd dicit, antiquos hoc vnum temperamentum se-
 cundum naturam esse praedicasse. Secundo, quoniam si temperati sunt longevissimi
 (ut putant) qui proximè ad temperatos accedunt, calidi nempe tantum & humidi
 tantum, essent calidis atq̄ humidis longeviores: sicq̄ nec in comparatione ad intem-
 peratos, verum esset quòd sanguinei sunt maximè longevi. Tertio, quoniam Gale-
 nus, hanc temperaturam longevissimam esse statuit, quoniam tardius ceteris exsic-
 catur: quae ratio vniuersalis est, & non minus concludit aduersus temperatā, quàm
 intemperatas naturas. Aristoteles insuper libro de Longitudine & breuitate vitae,
 cap. 2. ad calidi atq̄ humidum copiam, pariter ac proportionem, refert vitae longi-
 tudinem: ad inopiam autem, & improportionem, eiusdem breuitatem: hoc vno fir-
 missimo argumento fretus, quòd senectus, & quòd emortuū est, obarescit & alget.
 Humidum autē non modo requirit copiosum, sed etiam lentum: nam aqueum, quale
 in piscibus est, licet copiosius terrestrium humido habeatur: defectu lentoris, dura-
 bile non est. Inter terrestria verò, sanguinea (quae humidum habent copiosius, & len-
 tius, quàm exanguia) sunt longeviora. Et inter exanguia, quae lentius habent humi-
 dum, sunt durabiliora: ut apes, quae dulce & lentū humidum habent, quale est mel
 quo nutriuntur. Plantae etiam quae oleosae, & resinosae sunt, ut olea, pinus, palma,
 cupressus, diutissimè viuunt. Quauis longevitatis plantarum, causa alia assignan-
 da sit, quae in animātibus inueniri nequit: quòd nimirū semper styrrpes iuuenescunt,
 assidueq̄ noua ijs germina, & radices nascuntur, ut eodem libro de Longitudine &
 breuitate vitae cap. 3. scribit Aristoteles. Calor quoq̄ nisi ad proportionem humidi
 abundet, longā vitam sustinere nequit: nam si sit parcior, ab abundantiori humido
 obruitur ac suffocatur: si verò redūdet, propriū humidū prae properè exsiccat. Cali-
 da ergo atq̄ humida tēperatura, qualis sanguineorum est: longevior reliquis est cen-
 senda. (Nam multum ipsius calidū, copiosum reparat alimentum: & copiosum hu-
 midum, tardissimè exsiccat) si tamen scitum moderatorem sit nata, qui cōmodā
 victus rationem ita instituat, ut citra morbos iuuentutem peragat: nam post iuuen-
 tutē, reliquis omnibus est salubrior, ut è 6. lib. de sanit. tuen. attulimus. Adhac post
 iuuentutem, per vniuersam senectā, victus exsiccans simul & humectans est ido-
 neus: qui ergo ex dote propriae naturae, ea temperatura donatur, longevior & sa-
 lubrior erit. Innatus praeterea calor, perseverantiam habet ex humido, ut ignis ex
 lignis, & lucerna ex oleo: ergo iuxta humidi alentis copiam, durat ut illa: & ex con-
 sequenti, cum in sanguineo sit eius maior copia, diuturnior quoq̄ vita aderit. San-
 guinei praeterea, plus habent principiorum vitae, calidi nempe & humidi, quàm tem-
 perati: suae igitur naturae relictī, nulla ex alimentis instauratione facta, diutius vi-
 uunt.

eunt: Per instaurationem autem alimenta simulantur membris, ergo tum etiam red-
duntur temperatis longæuiiores. Frigida insuper & sicca corpora breuissimæ sunt
vitæ, ergo calida & humida sunt longæuissima, ex contrarijs principijs. Corpus
præterea temperatum, licet omnium operationum summam habeat perfectiorem, &
omnium etiam morborum aceruo magis resistat, quàm intemperata: in singulis ta-
men operationibus, & in repugnando singulis morbis, exceditur ab intemperatis.
Ergo quantum attinet ad mortem violentam, quæ ex singulis morbis pendet, minus
reluctabitur, & citius occumbet: quàm intemperatum, quod illi morbo magis relu-
ctatur: & quantum attinet ad mortem naturalem, citius deficiet in ipso quàm in in-
temperato, operatio ea in qua intemperatum præstantius habetur.

S E D dubia sunt. Primum, quod interitus necessitas ex duobus pendet, ex com-
mitione scilicet contrariorum elementorum, quæ mutuo inter se pugnantia, compo-
situm corrumpunt, & ex recrementorum prouentu: in his autem ambobus tempe-
ratum intemperatis præpollere videtur. In primo quidem, quoniam quod temperata
sunt inuicem permixta magis, eò lentius in se inuicem agere possunt: in secundo verò,
quoniam temperatum non plus appetit, quàm possit coquere. Secundum, ex omnium
actionum perfectione vita longius protrahitur: temperatum autem corpus, omnium
operationum summam habet perfectiorem sanguineo: ergo est ipso longæuior. Ter-
tium, membra & membrorum partes sunt in temperato perfectiores quàm in san-
guineo, ergo & nutritio per quam huiusmodi membra reparantur & in vita per-
durant, est quàm in eodem perfectior. Quartum, per temperaturam ceu per conue-
nientem dispositionem formæ, forma ipsa seruatur in materia, & per intemperata-
ram destruitur & à materia excluditur: quod ergo huiusmodi dispositio fuerit tem-
peratior, eò erit tuendæ formæ aptior, eamque diutius ex consequenti tuebitur. Quin-
tum, sanguineus qui senio decedit, cum maiori calore & humiditate moritur, quàm
temperatus: ergo parum ipsi prodest ad longæuitatem maiorem, caloris atque humo-
ris abundantia maior. Sextum, nam si sanguinea natura esset longæuior, omnes
alias temperaturas, temperatas, & intemperatas, ad sanguineam deberemus reducere
contra ac Galenus doceat, tam sanguineam, quàm alias intemperatas ad temperatam
reducere præcipiens.

Horum tamen non est admodum difficilis auditu solutio. Ad primum enim re-
spondetur, quod potissima elementorum pugnantia, ex qua pendet nostri interitus
necessitas, est igneum elementum, humidum nostri corporis exsiccans (vt è libro de
Marasmo, & è primo libro de Sanitate tuenda superius attulimus) quod tamen
minus exsiccare potest humidum copiosum in sanguineo, quàm mediocre in tempe-
rato: etiam cum aliquali permitione, & refractione maiori. Ad secundum verò di-
cendum, quod licet omnium operationum perfectio maior, faciat aliquid ad vitæ pro-
tractionem: plus tamen faciunt principia vitæ aucta, natiui nempe calor & hu-
miditatis copia, & inter operationes nutritio, per quam istius modi principia repa-
ran-

rantur & seruantur: quibus ambobus præstant sanguinei. Ad tertium dicendum,
quod temperata membra esse perfectiora, nihil est aliud, quàm esse temperatiora.
Ex quo frustra colligunt nutritione perfectiori prouenire: perfectior enim est san-
guinei, & puerorum etiam nutritio, per quam plus natiui humidi reparatur: quàm
nutritio temperati & adolescentis, per quam reparatur mediocre. Quare fallitur Ia-
cobus, humidum temperati corporis, melius coctum esse existimans: rursus & aërem
magis, & pingue. Nam medicrem nactum est coctionem, non perfectissimam. Aërem
præterea non est, neque pingue, si enim aëreum sit, temperatum esse non potest. Aëreum
namque vocatur, in quo multum aëris existit: quod tamen calidius atque humidius sit,
perinde ac sanguineum corpus, est necesse. Ad quartum dicendum, quod temperata
complexio, aptior est ad seruandam formam in materia: ob idque plures temperati, ultimam
senectam attingunt, vt ex Gal. 2. lib. Aphor. com. 44. retulimus. Ob id etiam po-
tissimum est deligenda, vt scribitur libro de optima nostri corporis constitutione.
Cum hoc tamen stat, vt sanguineus qui per tuendam valetudinis artem, ad senectutem per-
uenit, diutius viuat, quàm temperatus, qui ultimam metam assequitur. Ad quintum
dicendum, quod sanguineus humidi natiui copia, adeo excedit reliquos, tam tempera-
tos, quàm intemperatos: vt non modò in vnaquaque ætate, & in vniuersa vita, æta-
tibus mensurata plus humidi debeat resolui, ante commutationem in aliam ætatem,
aut mortem: verum plus etiam eiusdem humidi, debeat in corpore relinqui. Quare
hæc duo vera sunt, & secum minime pugnantia. Primum, quod sanguineus cuiusvis
ætatis, semper est humidior temperato, parem ætatem agente: & cum è vita per na-
turalem mortem decedit, humidior est temperato similiter moriente. Secundum,
quod maior humidi copia, & longiori tempore, debet in sanguineo resolui: vt è pue-
ro fiat adolescens, iuuenis ex adolescente, vergens ex iuvene, senex ex inclinante, &
cadauer ex sene. Ad sextum autem dicimus, quod quauis in longæuitate sangui-
neus præstet temperato, in multis tamen exceditur ab ipso: puta in operationum per-
fectione, in repugnando morbis, & in securitate peragendi suam vitæ cursum. Præstat
autem securitas maior temperati, perueniendi ad ultimam senectam, quàm citius ad eam per-
ueniat: quàm periculum inciden. li morbos, ex quibus senium interdum acceleratur, &
alias violenta morte corripimur in natura sanguinea, præsertim cum admodum lapsa
ad calidum atque humidum fuerit: tunc enim valde est putridis morbis obnoxia, vt
scribit Gal. lib. artis medicin. cap. 56. Magno ergo errore tenetur argeterius, cum
1. lib. de medici officijs, cap. 5. temperatam naturam in humidam vertere studet: & hu-
midas naturas exsiccari non debere cõcedit. Quàmvis enim ex ratione temperamenti hu-
mide nature sint longæuiiores temperatis: ob humiditatem tamen excedentem, expositæ sunt
plurimis morbis grauissimis, plethoricis, reumaticis, putredinosis, & pestilentibus:
quibus aut de medio tolluntur homines, aut sepius egrotantes citius cõsenescunt. Nec
obstat, quod puerorum natura, humidis sit seruanda: indicatione enim sumpta, ab in-
temperamenti humiditate, exsiccanda esset. Ne verò puerorum corpora, ad iustam

magnitudinem, augeri impediuntur ob siccitatem: ideo praelegimus ipsis humectationem, praeserentes utilitatem futuram, alicui noxae praesenti: ut scribit Gal. lib. de victu priuatorum, com. 7. & .1. lib. de sanit. tuenda.

¶ Quem seruent ordinem, in vitae longitudine, reliquae naturae. Et quod omnia temperamentorum indicia, ad quatuor fontes reducuntur. CAP. XXV.



Dubiū attamen est, quem ordinem in longevitate, reliquae habeant intemperaturae: tum inter se, tum ad temperatam comparatae. Sūt enim qui calidam tantum, & humidam tantum, diutius temperata vivere affirmēt. Primo, quoniam vno vitae principio, vna quaeuis huiusmodi temperatam excedit. Secūdo, quoniam calor in vna, & humiditas in altera, ad probam facit coctionem, quae vitam est prorogatura. Est enim coctio velut elixatio quaedam, à calido & humido facta. Vnde libro artis medicinalis, cap. 55. humidior temperatura, melius carnosam quam temperata statuitur: quoniam scilicet plus in ea sanguinis gignitur, ex quo meliori coctione, melior etiam caro provenit. Ab hac, si humida tantum temperatura, aequali humido foret cum temperata, aequaliter ac ipsa resisteret causis exsiccantibus: esset enim omnino temperata: ergo humore aucto magis resisteret, augetur enim resistendi causa: calor verò potior causa est quam humiditas, quoniam humidum regit & moderatur: instaurationis etiā est autor, & effectrix. Ergo nō modo calida & humida, est temperata longevior: sed post ipsam calidam tantum, & post hanc, quae sola humiditate recedit. Calidam quoque & siccam, temperata longeviorē quidam statuunt: quoniam calor potius est vitae principium, quam humor: si igitur quantum in calore supra temperatam augetur, tantundem in humore decrescat, vitae longitudo superabit: ex calore enim magis augebitur, quam ex humiditatis imminutione decrescat. Frigidum praeterea tantum, & frigidum pariter ac humidum corpus, si suae naturae (citra instaurationem quae per alimenta fit) relinquatur, diutius vivent: tardius enim quam temperata exsiccabuntur: ergo longeviora suapte natura sunt. De frigidis quoque & siccis, argumētū est. Par enim est proportio in corpore melancholico, exigui calidi, ad exiguum humidum: ac in sanguineo, copiosi calidi, ad copiosum humidum: ergo aequali tempore, vtriusque, humidum exsiccabitur, & consenescent. Accedit ultimo, difficultas Auer. 6. coll. cap. 1. quod nō est impossibile, è duobus hominibus aequaliter temperatis, eodem regimine utentibus: ut vnus (inquit) ipsorum, ad meliorem finem quē consequi poterit, per ipsius naturam deueniat: alter verò, eodem vsus regimine, prauos humores congerat, qui mortem inferat. Ex quo sequi videtur, nec vitam longam, nec minus longevam, temperati, aut intemperatorum corporum indicium esse.

Dicitis sanè dicendum est, quod nulla ex intemperatis naturis, praeter calidam & humidam, est temperata longevior: nam calida tantum, plus iusto exsiccatur, & veluti addu-

rit:

rit: humida verò tantum calorem obruit & suffocat, excrementosa enim est, & paulo carnosior. Plus autem longevitati obstat, per caloris suffocationem: quam adiuvet per auctam resistantiam, ad causas exsiccantes. Calida verò & sicca, nullatenus erit repara longevior, quoniam calida tantum, & sicca tantum, sunt brevioris vitae: ergo ex vtraque composita intemperatura, singulis ipsis est minus longeva. Nec si calor sit potius vitae principium, quam humiditas, ob id magis debet augeri vitae longitudo, ex caloris additione, quam imminui ex humiditatis imminutione ut fantur: verius namque dixeris, vtraque ratione, vitae longitudo imminui, & quoniam calor additur, & quoniam humiditas imminuitur: diximus enim calidam tantum, & siccam tantum naturam, minus esse quam sit temperata longevam. Frigida praeterea natura, si incibat, & relinquatur, tardius pereunt fame, quam calidae: quoniam exiguus calor, lentius suum humidum absument, quam copiosus. Cibata verò, & pro ut cuiusque naturae postulat gubernatae, longeviores sunt calidae: quoniam calor est qui humidum reparat. Frigida verò & sicca natura, vitae est omnium brevissima: nam quavis eadem sit proportio, multi calidi, ad multum humidum: pauci, ad paucum: & mediocri, ad medio-crem: non tamen ob id tam diu tardabitur exsiccatio humidum in melancholico, ac in sanguineo & temperato. Primo, quoniam ab aere qui semper nos exsiccatur, & ab alijs exsiccantibus externis, magis & citius exsiccabitur paucum humidum, quam multum. Secundo, quoniam apud Galenum, libro de Marasmo, ignis innatus nos exsiccatur: nam tinus verò calor, potius reparat quod ab igne innato dissipatur, quam exsiccet nos. Reparatur autem plurimum in sanguineo, ob sui multitudinem: minus in temperato: paucissimum verò in melancholico, ob paucitatem sui. Quod verò duo homines temperati, vno, & eodem victu utentes, diversam sortiantur fortunam: & alter sit longevus, & valde salubris, alter vero morbosus, & brevis vitae: astrologi, & genethliaci (quorum nos sententiam aliam improbauimus) ad astra referunt. Auerrhoibus verò ad infinita quae in materia sunt praeparamenta, sensibus etiam ignota, quae indiuiduales affectiones appellamus. Medici verò satius dicent, temperiem mediam posse in toto consurgere, aut ex membris omnibus bene temperatis: aut ex intemperatis, contrario tamen temperamento praeditis. Qui illam nanciscuntur, longevi sunt, & saluberrimi: alij verò morbosus & brevis vitae. In eodem praeterea victu quo utuntur, deceptio contingere potest: hic enim forte plus veneri, ebrietati, labori, & morori: ille sobrietati, & tempestivo exercitamento, aut data opera, aut fortunae beneficio indulget. Quare longevissima natura, calida est atque humida: post hanc temperata: hanc sequitur calida tantum: post hanc humida tantum: deinceps calida & sicca: post hanc sicca tantum: deinde frigida & humida: mox frigida tantum: vltima & brevissima, frigida atque sicca. In quo ordine, siccam tantum naturam praeposimus frigidae atque humidae (secus ac hali & alij faciunt) nam calor mediocri qui in sicca reperitur, efficacius est vitae principium, quam humor. Quod ex calidis, siccisque corporibus, intelligere possumus: nulla enim alia ex causa, frigidis

Et humidis longeviora sunt. Expedi tamen in compositis temperaturis advertere, hunc ordinem esse intelligendum, secundum aequalem utriusque qualitatis excessum: nam si magis una quam altera exorbitet, variari potest ordo, tum longevitatis et salubritatis, tum reliquorum indiciorum, iuxta vim ac potestatem qualitatis quae praepollet: ut docuit Galenus, libro artis medicinalis, a capite quinquagesimo quinto, in quinquagesimum nonum: ubi postquam calidam atque humidam temperaturam, secundum aequalem excessum signa tradidit, ita scribit. Si vero parum humidior sit, multo vero calidior, molliores quidem parum huiusmodi sunt; his qui bonam habent temperaturam, et magis carnosum non vero parum hirsutiores, et tangentibus non parum calidiores: nigri vero illis capilli, et caro pinguedine caret. Si vero paulo calidior, multo vero humidior, mollis his caro est, et multa, et color commixtus ex albo et rubro, et tangentibus paulo calidiores: et ut summam dicam, in omnibus temperaturarum coniugationibus, semper superexcedentis qualitatis indicia eminebunt. Et de calida et sicca dixerat, quod si multum in caliditate excedat, color quoque cutis niger illi adest. Et de frigida et humida subdit. Si vero qualitatum augmentum fuerit inaequale, eius quae superexcesserit indicia eminebunt. Et de frigida rursus et sicca ita scribit. Ubi igitur altera qualitas plurimum dominatur, altera vero parum a mediocritate recedit: superabunt eius quae dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia.


Dicta ergo sunt nobis indicia temperamentorum, a causis temperamenti, ab essentia eiusdem, ab effectibus, aut casibus quae temperamentum necessario consequuntur, et ab operationibus quas edit corpus, hoc aut illo temperamento praeditum. Ad quas repugnantiam ad morbos, et longevitatem reduximus. Ad eas quoque humores abundantes, et excreta referre oportet: quoniam temperatum iecur, omnium humorum massam aequabili proportione conficit: calidum et humidum, quartam sanguinis substantiam supercrescentem: calidum et siccum, bilem redundantem in massa gignit. Ventriculus etiam igneus chilum conficit adustum, frigidus vero acidum. Ex quibus urinae, ructus, sudores, et alui recrementa ad proportionem talia redduntur, ut temperamenta nobis possint monstrare: quoniam nostri corporis succi, pariter et excreta, opera sunt, et velut fines operationum immanentium: ex quibus temperamenta utilissimè deprehenduntur. Quorum tamen doctrina, nimis longa hic esset, et superuacanea: quoniam alijs locis traditur per speciales tractatus, de humoribus, de urinis, et de reliquis alijs excretis. De quo tamen advertere expediat, quod non semper ex supercrescente succo, indicium similis temperaturae est verax, sed multifariam fallit. Primo, si ex victu, humores temperamento nativo contrarij fuerint aceruati: quod per morbos improporcionales, naturae, aut aetatis, aut habitui, videre est. Secundo, cum per incoctionem natura melancholica pituitam gignit, ut docet Galenus, ad finem secundi libri de temperamentis, in haec verba. Non est quod opinentur, tanquam corpus siccum est, itidem excrementum quoque siccum esse. Etenim si quis

ab initio sicciore, frigidioraque temperamento statim fuit, is non melancholicus est, sed utique ab excrementis pituitosus. Senectus etiam frigida atque sicca, antiquis visa est humida, ob eandem pituitam incoctionem genitam, ut scribit Gal. lib. de victus ratione priuatorum, com. 7. Tertio, ob decessum humoris alicuius ad unam partem, cuius ratione in alijs deficit: ut in eo cuius totus habitus pituitam praese ferebat, et quotidie bilem rufam euomebat: cuius meminit Galenus, libro artis medicinalis, cap. 70. Sic quidam reliquo corpore frigidi existentes, iecur aut cor calidum habent, quoniam eò calidi humores deriuati sunt: ut scribit Galenus, secundo libro de temperamentis, capite duodecimo, in haec verba. Nec si cui thorax hirsutus est, huic totum corpus calidius, siccusque, ex necessitate putandum: sed plurimum in corde caloris esse, eoque audacem. Posse vero aliquando etiam huius ipsius rei occasione accidere, quo minus totum his corpus similiter calidum siccumque sit, quod scilicet plurimum caloris, sursum huc spirauerit, atque in partem continentem euacuatum sit. Sigillatim vero in hoc tractatu de temperamentis, operationes singulas referre, animales, naturales, et vitales, praeter ea quae hic in genere dicta sunt, minime expedit: Quoniam quaedam, tractatus habent peculiare, longiori perscrutatione indigentes, ut pulsuum, et respirationum doctrina: quaedam vero, dum partium singularum temperamenta iustitiam, ipsorumque signa traduntur, locum tunc habent opportunissimum: nam huc usque temperamenta partium singularum, in ordine ad cutim tradidimus: dum classes calidorum, frigidorum, humidorum, et siccorum digestimus. Temperamenta vero ad iustitiam, per quam una quaevis pars, in ordine ad medium sui generis, calida est, aut frigida, aut temperata: et signa quibus huiusmodi singularum partium temperamenta deprehendantur, cum intra naturae limina consistunt, traduntur a Galeno. 2. libro artis medicae, sicut cum naturae metas egrediuntur, libro de accidenti et morbo, et de locis affectis. Auicenna vero, tertio libro, tam naturalia, quam morbosa, antequam singularum partium morbos aggrediatur, utiliter explorat. Et ea nos Deo optimo maximo concedente, istis aliquando addemus. Indicium vero aliud omnibus commune, ab alteratione externa desumptum, cuius meminit Galenus, libro artis medicae, cap. 59. ad repugnantiam morborum, de qua egimus, referri debet: ita enim eo loci scriptum reliquit. In omnibus vero de quibus supra diximus, et postea dicemus, commune est temperaturae indicium, si membrum facile frigescit, vel frigiditatis, vel raritatis: si vero non facile, vel caliditatis, vel densitatis. Si vero a desiccantibus offendatur, et aridum et siccum, et non facile mobile fiat, siccitatis: quemadmodum et si ab humiditatibus grauius se habeat, humiditatis. Haec Galenus. Alij vero expeditius, ab alteratione externa, calidam ac frigidam temperaturam, a raritate et densitate interstinguere docent: quoniam si facile calfit, et refrigeratur, ex raritate est: sicut si difficulter utranque subit alterationem, ex densitate. Si vero facile calfit, et difficulter refrigeratur, calida est temperatura: sicut frigida, si contrarium contingat. Ad repugnantiam vero

morborum, hoc indicium pertinere constat: quoniam facile aut difficulter ab alterantibus affici, magis aut minus repugnare est: ut è libro Galeni de optima nostri corporis constitutione, superius innouit.

De temperamento potenciali.

CAP. XXVI.



RACTATIUI de temperamentis, caput mendicatum ex doctrina simplicium facultatum annectunt autores, de temperamento potenciali medicamentorum. Quomodo scilicet opium, cicutia, & mandragora, nos vehementer infrigidant: piper, & euphorbium calfaciant: cum tamen tactui, qui tangibile est rebus index, utraq; aut frigida, aut parum in qualitate dissidentia iudicentur. Cur enim frigida, aut calida medicamenta, non sentiuntur tangentibus frigida aut calida, pro sui intemperamenti ratione, inquirunt quidam. Quorum dubitationem parvipendens Galenus. 3. lib. de temp. cap. 2. Hoc (inquit) haud scio cur dicant. Nam si energia, ac iam nunc calidum esse, praedictorum quodque dicemus, profecto mirari liceret, quomodo tangentibus non appareant calida: nunc quod possint facile calida esse, iccirco ea potestate talia vocamus. Quibus verbis patet, ob id Galenum, medicamentorum contrariorum temperamenta, tactum fugere, & similia ferè apparere censuisse: quoniam non sunt energia, & actu talia, sed potestate. Actum talia appellat, quae citra ullam transmutationem vim habent alterandi nos, ut quorundam sophismata euitemus: ignis enim longè distans à nobis, quantum nos non calfaciat actu, actu est calidus: motus praeterea, sol, & lumen, quantum calorem non habeant, actu calidi sunt, ut. 3. lib. de temperamentis, cap. 2. scribit Galenus: qui ineptè eò loci, à Hieremia reprehenditur. Potestate verò talia, ea esse dicitur, quae actu talia non sunt qualia dicuntur, permutatione in talia euadunt: eaque triplici significato comprehendit. Primum est, eorum quae suapte sponte, ex interno principio, eam permutationem subeunt: ut catulus potestate est venator, puer potestate est rationalis, & iuuenis potestate est frigidus, quoniam citra externum principium, venabitur, & ratiocinabitur ille, senescet autem hic. Secundum est, eorum quae non ab interno principio permutantur, sed ab externo: ut stupa, aut palea, potestate est calida, quoniam dispositionem habet, raritatem nempe, & substantiae modum, ut ab igne, facile accendatur. Sic & resina, oleum, & pinguedo, non modo ab igne, verum etiam à nostro calore accenduntur. Ob idq; febricitantes, & erysipelas, ab eis arcemus. Sanguis etiam potestate est caro, quoniam minimam mutationem, ad carnis generationem requirit: quam tamen non à se, sed à membris, nostroque calore, continenter & immediate assequitur. Sunt etiam in hoc genere, materiae quaedam magis remotae, inter quas & qualitates quae debent induci, plures una transmu-

transmutationes intercedunt: ut cibi externi, sunt potestate caro, inter quos tamen & carnem, ignis apparatus, oris contritio, chylus in ventriculo, & sanguinis in iecore confectio, & diuersorum recrementorum sequestratio intercedunt. Dicitur etiam equiuoca quadam ratione aliquando, potestate esse, id quod ei quod ex accidenti dicitur, est ex aduerso oppositum, eodem capite secundo, tertij libri de Temperamentis à Galeno. Sic enim frigida lauacrum, aestatis tempore, in iuvene bene carnosum, rigidos nervos calfacit ex accidenti, non propria potestate, ut quinto Aphorismorum traditur. Rursum calida quoque ipsa, saepe numero refrigerat, excalfacientem nimirum humorem digerendo: non autem propria potestate, ut scribit Galenus, primo libro de simplicium medicamentorum facultatibus, cap. 2. Unde ne nos fallat huius equiuocationis potestate talium nomenclatura: eius aperte nos voluit aduertere Galenus. 3. lib. de simplic. medic. facult. cap. 2. Vbi interdum quale potentia opponi quali per accidens, interdum verò quali actu, scriptum reliquit. Ex dictis ergo potestate talium significatis, quod maximè medicamentis conuenit secundum significatum est: non enim in actum veniunt respectu gradus secundum quem dicuntur potestate talia, nisi ab externo principio initium alterationis sumant: quare primum significatum non conuenit ipsis. Vltimum verò, à primis duobus non distinguitur: quin praeter illa duo, actu etiam talia comprehendit. Quod enim perse, & propria potestate est tale, diuiditur tertio libro de Simplicium medicamentorum facultatibus, capite secundo: in id quod est tale actu, aut energia, & in id quod potestate est tale: ob idque eius ibi nos admonet equiuocationis, ut diximus.

Quid ergo recipiunt à nobis medicamenta potestate talia, ut actu talia fiant? si calorem quomodo actuantur frigida? & quomodo calida, ab exiguo nostri corporis calore, in vehementissimum calorem assurgunt? nihil enim ultra suum gradum agere in confesso est. Quomodo intem calor atq; frigus, ab vno calore nostro producti possunt: si idem quatenus idem, vnum semper agere est natum? Si frigus quomodo actuabuntur calida? & quomodo coctione ventriculi, in qua calor abundat, operari potest frigus? Si calida verò (ut quidam existimant) actuari calido, & frigida frigiditate tradas (ea ratione, quod cum calor naturalis calido constet & frigido, utraq; qualitate initium alterationis utrisq; medicamentis prestare est potis: ipsa verò medicamenta, ex eo initio ob subiecti dispositionem, haec in calore, illa verò in frigore, ingentem progressum faciunt) in plura incidet incommoda. Primo, quoniam in ventriculo viget calor, non ergo actum suum frigus in ipso potest exercere. Secundo, quoniam frigus non ingreditur opera naturae. Tertio, alimēta frigida quae vim habent medicamentosam, actuantur coctione, coctio autem calore non frigore perficitur. Quarto, ad actuationem frigidorum, opus est dissolutione, & diuisione partium: haec autem calido perficitur, non frigido: frigidum enim congregat, tam omogenea, quam etherogenea.

Tam difficilis & lubrica, hæc est hæsitatio, ut omnes ferè artis medicæ profes-
fores, in peregrinas & penè ridiculas phantasias inciderint. Auerrhous, quin-
to libro colliget, capite tertio, medicamenta in nobis verti in chilum, & san-
guinem tradit: in qua mutatione introducitur noua forma substantialis, ad quam
consequitur complexio ex natura formæ, frigida in opio & mandragora, & ca-
lida in pipere & euphorbio. Qua complexione recenter nata, & nullatenus an-
te huiusmodi conuersionem in medicamentis præexistente, medicamenta ipsa nos al-
terant, calfaciendo aut infrigidando ubi assumpta sunt: & in hoc sita esse essentiam
medicamentorum potèntialium arbitratur. Contra tamen est. Primo, quòd de ratio-
ne medicamenti, est non conuerti à corpore: non ergo ex ipsis gignitur chilus aut
sanguis. Secundo, quòd medicamenta alimentosa, quæ quatenus subeunt rationem
alimenti, conuerti possunt: ante quàm conuertantur nos alterant: è quis enim se re-
frigerari à lactucis & portulacis, & calferi à nasturtio aut sisymbrio, recens inge-
stis non sentiat? nam statim ac linguam contingunt, ipsam inflammant hæc, & refrige-
rant illa. Tertio, quòd extra applicata nos alterant, & in chilum verti nequeunt. Thu-
risanus, tertio libro artis medicinalis, comment. 36. medicamenta potentialia in
nos operari tradit, per receptionem non qualitatum primarum, sed aliarum ope-
rantium similiter ut primæ, ad quas recipiendas ipsa erant disposita: ut enim
ignis, nec albus, nec niger existens, lapides quos calefacit albos reddit, & actum
ipsis impertit; visum disgregandi: ligna verò in nigros carbones, & actum con-
gregandi permutat, ob solam materię præparationem: ita natiuus noster calor,
in piper agens & opium, ipsis impertit formas, & actus contrarios, ad quos sunt præ-
parati, huic infrigidandi, illi verò calfaciendi, citra id quòd calorem, aut frigus
inducat. Nam sensu constat, medicamenta eiusmodi, nostrum corpus calfacere,
& infrigidare: eas siquidem alterationes, ab ipsis patimur. Constat etiam nec
valde calida, aut frigida reddi: si piper enim, aut allium, ventriculum deurens, aut
opium perfrigerans, vomitu pellatur in manum, tepere tantum utrumque depre-
henditur. Ab alijs ergo, præter calorem aut frigus formis, quæ nos calfacere, &
refrigerare ut illæ possunt, huiusmodi actus pendent. Nihil enim absenti esse
censet, formam aliam à frigore infrigidare, & formam quæ non sit calor, nos cal-
facere: exemplo solis, luminis & motus. Contra vero est. Primo, quòd medica-
mentum cum ex sui ratione vincat, & non vincatur: non conuertitur nec trans-
mutatur in aliam formam. Nec si transmutandum esset, tam breuis eius contin-
geret transmutatio: piper enim pulueratum statim ac linguam attingit, denrit
ipsam. Secundo, medicamenta ex complexione agunt: complexionem autem ex
elementorum commistione nanciscuntur: non ergo recipiunt à corpore actum,
sue formam qua operantur. Tertio, medicamentum primo gradu calidum, non
posset per qualitatem quæ nec est calor, nec frigus, calfacere corpus tempera-
tum, & refrigerare biliosum, quod (verbi gratia) secundo ordine caleat: nam

qua-

qualitas quæ medicamento calido in primo, à nostro corpore inducitur, vim ha-
bet calfaciendi, non autem refrigerandi: si ergo huiusmodi medicamentum refri-
gerat biliosum, ex complexione ipsius medicamenti, quæ calido constat & frigido,
refrigerat ipsum, & ex calfacit temperatum. Quarto, nam cum omne medicamentum
calidum, calfaciat minus calidos, & infrigidet magis calidos: necessum est ut calorẽ
atq; frigus, certis gradibus agentes, in medicamentis consiteamur: aut non vnã qua-
litatem quã statuunt, sed binas gignat oportet. Conciliator diff. 140. qualitates me-
dicamentorum potentialium, præsertim frigidorum, propter fugam à circumstanti calido
ventriculi, antiparistasi quadam augeri, & ad actionem promoueri tradit: ex plo-
calcis, quæ aqua frigida persusa, ebullit & valde calefacit: quoniã aquæ frigus (ut
ipsi videtur) meatus obturans, calorẽ intus cogit & roborat. Contra tamen est. Præ-
mo, quòd calx nõ minus efferuescit aqua tepida, aut calida inspersa, quàm frigida:
huius ergo effectus causa, non est in antiparistasi sita. Secundo, quòd si calor aut fri-
gus medicamenti, roboratur ob fugam à calido ventriculi: multo satius ventri-
culi calor, ex altera parte deberet roborari, propter fugam à vi contraria me-
dicamentorum: quoniã ab animæ regitur facultatibus. Tertio, quo medica-
mentum est crassius, eo roborationi per antiparistasi contingenti, est oppor-
tunius (nam in antiparistasi contrarium, habet rationem circumstantis, & non
penetrantis) comminutio verò medicamentorum est necessaria, ut suam exe-
rant vim, & actionem: non ergo antiparistasi quàm fingunt est causa. Quar-
to, quoniã opium, soli aut igni expositum, à calore externo circumdatum, nõ redditur
frigidius: ergo nec in ventriculo ea ratione frigesceat. Quod monstrat opiatum me-
dicamenti, & ipsius etiam opij, per vomitum tepida reiectio, non frigida. Gas-
par Lopus, in suo ad librum Galeni de Temperamentis commentario, hanc con-
ciliatoris sententiam sequi videtur, non minus in calidis, quàm frigidis medica-
mentis: utrisque enim aduersatur natiuus calor, qui dum utraque corrumpere
atque conficere laborat, ipsa suarum naturarum quàm obseruantissima, ne à
natiuo calido, suæ ipsorum mistiones corrumpantur, suas exerunt, atque inten-
dunt qualitates: non enim alia arma, sibi à natura tributa sunt, quibus se tueantur.
Hancque esse perhibet, potissimam cuiusdam antiparistasi rationem. Con-
tra tamen sunt omnes aduersus conciliatorem dictæ rationes. Et insuper quòd
antiparistasi vocabulo malè utitur in omni corruptionis periculo: Et item quo-
niã ex ea ratione, temperamenta actualia, essent etiam potentialia: quoniã
qualitates actualis, dum in periculo corruptionis sunt, & à contrarijs vincuntur,
non minus, quin imò magis ac melius, quàm potentialis intendi solent. Accedit
quòd medicamenta naturam, potius vincunt, quàm vincuntur: & in periculo cor-
ruptionis quòd statuit, ferè nunquam sunt. Quòd præterea minori dosi exhiben-
tur, eò magis ex dicta ratione deberent augeri medicamentorum qualitates, ipsa-
rumque effectus: quoniã in maiori corruptionis periculo tunc constituuntur.

X 5 03

ob corruptionis præterea periculum, augeri potest conatus agendi: non autem intensio. A se ipsis enim, quantumvis in periculo constituti, intendi nequeunt: quoniam nec in se metipsum, nec ultra gradum suæ perfectionis agere potest quicquã. Qualitates præterea potentiales, seruantur post corruptionem missionis, & formæ medicamenti: non ergo est cur tantum in subsidium missionis medicamentorum consurgant dictæ qualitates, & ad agendũ exuscitentur. Quod si exuscitantur in corpore, cur non exuscitabuntur, cum extra corpus ab igne, aut extrario aliquo agente corrumpuntur. Pellis præterea vulpina extra admota, calefacit citra missionis dissolutionem, & sine ullo corruptionis periculo.

Dicendum ergo ex Galeno est, quod medicamenta tam frigida, quàm calida, semper habent in se, & antequam corpori applicentur, qualitatem suam intensam: impeditam tamẽ, ne actu pro suæ naturæ ratione operetur. Ob idq; eius actuatio nihil est aliud, quàm dicti impedimenti detractio: eo enim detracto, necessario infrigidant quæ frigida sunt, & calfaciunt calida. Vt enim graue non descendit, nec leue ascendit, nisi remoueatur prohibens (cũ tñ idem principium, et naturam effectricem ascensus, atq; decensus, habeat in se in præsentia prohibētis, & prohibente remoto) Ita calida atq; frigida medicamenta, frigus atq; calorem suæ naturæ respondentem, semper habent eundem: qui tamen ante impedimenti detractiõnem non operatur: operatur tamen & alterat impedimẽto remoto. Sic lapidis qui in pariete est grauitas, non sentitur à tactu quãuis exactissimo, nisi subleuetur: sic enim remouetur complantatio (apodiationem vocant) prohibens sensationẽ eius. Sic aqua feruens quantumvis sua natura sit frigida, non infrigidat nos, prius quam spoliatur calore extrario impediẽte. Sic in medicamẽtis, alterationẽ ipsorũ impediũt, crassities suarũ partiu, & alteratio ipsis illata à continente. Nam in calidis medicamentis, si exiguum ipsorũ frustum accipiamus, extrema superficies à continente refrigerata, calfactionem impedit: si verò in aceruum ipsorum manus indamus, vehementer calorem percipimus, vt scribit Galenus, lib. 3. de simp. medic. fac. cap. 21. in hæc verba. Verisimile siquidem est pleraq; eorum actu esse calida, sed idcirco nos fugere, quoniam aut ipsi plurimum habeamus caloris, aut crassa eorum essentia sit. Redigamus enim eadem rursus in memoriam, nempe quod in balneo frigida videatur vrina: itidemq; memoria repetamus, quod cum in solium calidum descendere non valeremus, aliud prius minus calidum ingressi, nullo negotio quod antea intolerandum videbatur, postea pertulerimus. Quin & aqua fontium tempore hyberno, quibus manus algente tepida apparet, cũ alijs minime videatur eiusmodi. In summa enim (id quod antea quoq; diximus) pro suo vnumquodq; affectu, corpora admota sentire consuevit. Sic ergo si manum habens frigidam, eam in trititici aceruum immiseris, luculenter calorem percipies, sin calidam nequaquam. At si stercorei columbino accumulato, potissimum siluestrium columbarum, manum inseras etiam si calidam, manifestam tamen sentias caliditatem. Sic misy, sory, chalcitis, arugo, calx, aliaq; id genus innumera,

ra, si illis aceruatis, manum altius injicias, protinus videbuntur esse calida. Ceterum si bolum ex eis vnum acceperis, cuius extrinseca superficies, ab ambiente extrinsecus aere sit refrigerata, merito nullum percipies calorem: quippe qui refrigeratas tantum eius partes contingas, idq; antequam in minutas redactæ sint. Ad eundem modum hyeme sæpenumero tum putealis, tum magis fontalis, calida tangeribus est visa: verum si quis calfactis prius manibus contigerit, frigida videbitur: memorarique sanè possint alia id genus infinita, quibus facile abduci quiuisset vt credat, medicamenta potestate vt ad nos calida, alteri animantium generi actu esse calida. Quibus Galeni verbis, constat primo, quod calida medicamenta plurima, actu calida sunt. Secundo, quod quæ nostri comparatione sunt potestate calida: frigidiori animantium generi comparata, actu calida erunt. Tertio, quod frigus ambientis, & partium crassities, impediunt continentem ipsorum sensationem: tum quia ante comminutionẽ, nec penetrat, nec ab arterijs intrò trahitur: tum quoniam partes igneæ, vt pote tenues, sæpe sub terreis crassis, ante comminutionem delitescunt. Quibus impedimentis remotis, statim nos calefaciunt: remouetur verò à natio calido tum calfacta, tum tenuata. Frigida verò medicamenta, quibus ambientis frigiditas non potuit obesse ad refrigerandum: non indiguerunt calfactione, sed partium maiori attenuatione: quoniam crassiora magna ex parte, quàm calida habentur. Vtraq; ergo, tam calida quàm frigida, actu habent calorem, atq; frigus, pendentem ex propria commistione, & elementorum exuperantia. Vtraque etiam sunt, & verè dicuntur potestate talia: quoniam neutri ipsorum, sine corporis nostri auxilio agere licet. Quod expressis verbis voluit Galenus, tertio lib. de Simpli. medic. fac. cap. 20. in hæc verba. Quam ob rem eius quoq; nunc protinus meminisse oportet, veteres medicamenta natura frigida, potestate dixisse frigida. Nam ea quoq; quandatenus refrigerandi potentiã à nobis accipiunt, sicut excalfaciendi calida. Quod si alio modo illa, alio verò ista, nihil vtiq; refert: generale enim idem cõmunẽq; vtriusq; est, nempe alterationis principiu ex passiuo corpore, in acturum medicamentũ procedens. Nam quæ potestate quidẽ sunt calida, alterantur eo duntaxat quod incallescant à nobis: at quæ natura frigida, tum quod cõminuantur, tum quod adscititium accipiunt motum. Cum itaq; ipsis tanquam frigidis, agere absq; corporis patientis auxilio non licet, iure potestate frigida dicuntur. Nam vt actu nos refrigerent, non prorsum ex sese obtinent, verũ à nobis prius perpetiantur vt refrigerent oportet. Etenim in minuta conteri, & aduentitiũ motum accipere, affectus sunt medicaminum. Attamẽ si cui libeat, ea actu frigida nominare, haud equidem repugnem, modo omnis in verbo dissentio sit, res autẽ vtriusq; confessã. Siquidem (quod paulo supra monuimus) id genus omnia, calidum corpus quo agere possint postulant. E quibus Galeni verbis, constat primo, quod potestate frigida, sunt secundum propriã naturam & complexionẽ frigida. Secundo, quod actu habent suam frigiditatẽ, & cõplexionẽ propriam. Tertio, quod nequeunt nos refrigerare, nisi à corpore patientur prius.

Quarto,

Quarto, quod diuersa passione indigent medicamenta calida à frigidis, calida enim plus indigent calfactione, & frigida magis attenuatione: quæ utraq; à calido innato patiuntur tam calida, quam frigida. Frigida tamen si non incalescerent, sed solūmodo attenuarētur & penetrarent, frige facerent nos apertè. Calida verò nisi initium caloris accipiant, saltem ut frigus deponat, quod ab ambiente contraxerunt, non cal facient nos. Minor tamen sufficit ipsis attenuatio, quoniã partes igneæ suapte sponte tenues, minori ut penetrent, & trabantur indigent cōminutione. Est & impedimentum aliud, alterationē tam in calidis quam in frigidis continentem prohibens, (cuius nos aliàs meminimus) diuisio scilicet elemētōrū in minutiores portiones quā pro actione edenda sufficiant, ut enim ignis scintilla non vrit. 3. lib. de Simpl. med. fac. cap. 23. Ita si in calido aliquo, atq; igneo medicamento, ad tam exiguas portiones ignis est redactus, ut nulla ipsarum seorsum agere nata sit: non fiet tum calfactio vlla, nisi mitione dissoluta, ignis portiones cōiuntur: & ex ipsis resultat actio vna. Verè etiam dici posse credimus, quod omnis forma misti, est impedimētum cohibens elementa, quibus mista ipsa constant, ab actione extrema: quoniam iam non sunt sui iuris, ut fuerant in sphaeris: sed formæ misti seruiencia: aliter enim elementa contraria sese conficerēt, & periret mistum. Tum autem sui iuris, & actionis extremæ esse occipiunt, cum commistio, & forma quæ mitionem ipsorum sequitur, mutationē & detrimentū à nativo calido pati incipit. Hoc autem est aduari. Vt cū ergo cōtingat, tã calida, quam frigida medicamēta, suas qualitates intensas ab initio habere decernimus: impeditas tamen esse, ne sine patiētis corporis auxilio, impedimenta subtrahentis, agere liceat ipsis. Quod præter ea quæ dicta sunt, multa monstrant, tum experimēta, tum rationes. Primo, quoniam in multis mistis calida, in alijs verò frigida elemēta actu dominantur: ergo verè & actu, hæc habent frigus, illa verò calorem. Medicamentorum enim temperaturæ actu insunt ex elementis: vnde in frigidis regionibus, frigida proueniunt, & in calidis calida: aromata in Arabia fœlici, & leones in Libia. Secundo, quoniam manus immissa in aceruum calcis, misy, aut sory, ingentem deprehendit calorē, ut ex Galeno retulimus. Aromata etiam aceruata, mordent suo calore faciem, & olfactum, siccant parietes, situm paumentum tollunt, & reluctantur putredini, ob ignis elemētū quo abundant. Tertio, nam in theriaca, & alijs compositis ex simplicibus valde contrarijs, ipsa contraria se reducunt ad medium interualli, citra vllum calorem, aut nostrum, aut ambientis aëris (statuenda enim sunt medicamenta in loco frigido, ut omni fuga careat aduersarius) ergo actualem habent calorem calida, & frigus frigida. Per id enim quod sola potentia est, non possunt se reducere. Id præterea ostendit calx, quæ ab humido superinfuso actuatur siue calido, siue frigido: quod non contingeret, ni actu haberet calorem: quoniam humidum aquæ, caloris productiuum non est. Quarto, calor naturalis, alimēta, medicamenta, & venena, in quæ agit: omnia corrumpere studet, & in similitudinem suam permutare, quod est agenti cuiuslibet naturale. Nihil verò

quod

quod aliud corrumpere curat, patienti tribuit virtutē, qua se interimat. Ipsa ergo medicamenta suas habent qualitates, quæ à corpore non producuntur: sed impedimentis tantum agendi in corpore nostro spoliantur, ut diximus.

Videntur tamen dictis obstare. Primo, quod in frigidis omnibus, concedit actuale temperamentum Galenus: in calidis verò, non nisi in pluribus. Secundo, quod si calida medicamenta, haberent intensum calorē in igneo elemento situm: non solum calfacerēt nos ut materia accendi facilis, sed ut talem calorem & ignem habentia. Cuius contrarium scripsit Galenus, primo libro de Simplic. medic. facult. cap. 11. in hæc verba. Ostensum est autem in tertio de Temperamētis (quo sine quæ hic dicuntur assequi est impossibile) nullum eorum quæ nos excalfacere apparent, perinde ut ignem posse calfacere, verum ut materiam accendi facilem. Siquidem mutationis principium à nostra caliditate accipientia, ut calami aridi ab igne, nos contrarecalfaciūt, & velut partes fiūt quædam caloris nativi, sicut illi ignis. Nam quod prius erat calamus, id nunc fit ignis, ut mutatis ipsum ignis essentia totā adaugeat. Tertio, quod opium euomitur tepidum: & piper deurens linguā si in manum spuat, non est admodum calidum. Quarto, quod animalia respirantia, videntur plantis non respirantibus, ut pipere, & allio, calidiora esse. Refrigerando enim calori à natura instituta est respiratio: non poterunt ergo animantia, à plantis amplius incalfacere. Quinto, si calida medicamenta habent intensiorem calorem, & frigida intensiorem frigiditatem, quam homo: temperata habebunt æqualem & similem: similitudo autem complexionis, est præparamentum necessarium introductioni similis formæ substantialis: ergo in medicina ad eum modum temperata, humana deberet introduci animā.

Ad horum verò primum dicendum est, quod verè censuit Galenus, aliqua medicamenta esse potestate calida, quæ actualem calorē non habent in sui complexionem, & elementorum miscella: ut pinguedo, & oleum, quæ facile inflāmantur, tū ab externo, tū ab interno calido, ob dispositionē & modū substantiæ inflāmari aptū. Septica etiā venena, non ante nos offendunt, quam à nostro calore putreant: hæc autem putrentia, nos putrefaciunt. Ob idq; per moram deteriora reddi in nostro corpore, voluit Galenus. Ob hæc ergo, atq; illa, censuit Galenus, quod quædam ex potestate calidis, non sunt actu talia. De quibus si dubites, cur à calore temperato, in tantum calorem assurgant? Respondendum est, quod ob solam subiecti dispositionem. Sic enim humor, qui ex paruo principio cæpit putrere, in calorem putredinalem copiosum, & intensum assurgit: & ex stercore columbino putrēte, domus apud Galenum igne conflagrauit. Ad secundum verò dicendum, quod medicamenta potestate calida, tam ea quæ calorem habent actu, ex peculiari sua natura & mitione, quam ea quæ actuali calore carent, ut pinguedo, & oleum: in hoc vno conueniunt, quod non valde calefaciūt nos, nisi alterationis initium à nobis acceperint. Quare de vtriusq; verum est, quod Galenus scripsit, nullum eorum perinde ut ignem posse calefacere,

De

Verum ut materiã accendi facilem: quæ non accendetur nisi prius à nobis patiatur. Vbi tamen accendi cœpit vtrumque, diuersa ratione atq; mensura accendetur: nam quod natura calidum est, ignem occultum detegit: quod verò complexione non est calidum, in minorem calorem assurgit. Quã diuersitatem vt Galenus notaret, hæc quæ sequuntur, post citata verba subdit. Monstrauimus autem quædam, vbi vel leuem fuerint mutationem adeptã, secundum naturã deinde suam, ad plurimam mutationem procedere. Quam ob rem mirandum non est, si quædam medicamenta primæ quidem mutationis principium, à nostro calore naçta: inde iam pergant, eum quoq; qui mutabat superare. Nam cum corporis cuiusque proprietas, alia habilis sit ad suscipiendum calorem, alia inhabilis: fit vt paria principia non sequatur par incrementum. Ad tertium dicendum, quòd ex opio assumpto, partes quædam resoluantur, aliæ penetrant, & ad cor, sanguinem, ac spiritus attrahuntur: & aliæ in ventriculo manēt. Hæc tepide ibi ob morã redduntur, quæ verò cor affatim penetrarunt, quoniam natura veneni est cor oppetere, frigidissimæ sunt, & cor atque sanguinẽ coagulant. Vnde quò citius penetrant, eò citius & certius nos interficiūt. Et vt Galenus scribit, lib. 3. de Simpl. medicam. facult. cap. 20. Succus papaueris ac cicutæ, si vino mista bibantur, ocys necant: licet nõ quouis modo temperata. Si enim ipsa paucissimæ, plurimo vino misceantur: prorsus deuinci possint. Si verò pauculo, multa deducuntur quidẽ ad cor, vinci autem nequeunt. Piper verò comansum linguam deurit, quoniã calidissimæ eius partes, linguam penetrant, & ab arterijs spongiosi, & rari membri, intro statim trahuntur: quæ tamen manum non calfaciunt, nisi morã temporis, ob cutis crassitiem, quæ nec sic penetrari potest. Nam ad eundem modum cicutæ, hominem ob natiuam raritatem, celeritate distributionis interficit, sturnos verò nõ, ob densitatem: vt scribit Galenus, lib. 3. de simpl. medicam. facult. cap. 18. Ad quartum dicendum, quòd calor animantium, iunctus humido aëreo, flauellari postullat: plantarum verò, & mineralium, aut sicco terreo, aut humido aëreo permistus: quanuis sit intensior, non indiguit respiratione pro sui tutela. Quintæ difficultati tantum tribuit Auicēna, vt prima primi, doctrina. 3. cap. 1. ita scripserit. Debes autem scire vltra hoc quòd sciisti, quòd cum diximus de medicina quòd est temperata, nõ volumus dicere quòd sit temperata certè: quoniam illud est impossibile. Neque volumus dicere, quòd temperamento humano in sua complexione sit temperata: si enim ita esset, tunc esset ex ipsamet humana substantia. Sed volumus, quòd cum propter calorem naturalem, qui in corpore existit humano patietur, qualitate afficietur, quæ hominis qualitatem non superegredietur, in aliqua duarũ extremitatum æqualitatem excedentium. Non ergo in ipso operabitur effectum æqualitatem excedentem: consideratione igitur suæ operationis in corpore humano est æqualis. Dicendum tamen (Auicēna hac in parte reiecto) quòd nõ necessario ad vicinitatem temperaturæ, sequitur similitudo formæ substantialis: variæ enim species rerũ, idem temperamentũ sortiuntur. Rosa, & myrtus, sunt primò ordine frigidæ,

gi da, pullus gallinaceus, triticum, & aurum, sunt temperata: Ex quibus, primum est animal, secundum planta, tertium minerale. Nam plurimã præparamenta præter temperaturã, tum ex parte compositionis, tum ex parte modi substantiæ, prærequirit substantialis forma. Tota præterea substantia, quæ nihil aliud est, quam certa & indicibilis mistio quatuor elementorum, in alimentis & medicamentis reperta, à temperamento manifesto valde est diuersa. Potestq; eius ratione, cum eodem temperamento manifesto, in hoc vis purgatoria, in illo deleteria, & in alio alexipharmaca consistere: quoniam hæ facultates, non sequuntur temperamentum manifestum, sed totam substantiam, quæ omnium quatuor elementorum certa congeries est. Vt tum ex alijs Galeni locis deducitur, tum ex 5. lib. de Simpl. medicam. facult. cap. 17. vbi alterantia diuisit Galenus, in ea quæ alterant vna qualitate, aut duarum coniugatione, aut tota substantia. Ex quo sequitur, quòd tota substantia, non sit vna qualitas, nec duarum coniugatio: sunt enim membra diuisionis, cõtra distincta totæ substantiæ: nec est trium coniugatio, quia sic non esset tota, ergo omnium quatuor qualitatum, vel elementorum habentium eas qualitates, certa quædam & impar mistura, tota substantia, & proprietas corporum particularium perfecta est: vt .4. etiam lib. de Simp. medicam. facult. cap. 15. scribit Galenus.

SED IAM HIC, HVIVS VOLVMINIS EST O

fnis: ex quo vtiã tantam, quantam animo concepimus vtilitatem, studiosi accipiant. Scio canes non defuturos, qui nostros dilantent labores, quibus tamen si quid improbent, quidq; displiceat ipsis monstrauerint, non debementer repugnabo. Nam Sunt bona quædam, sunt mala multa

Quæ legis hic: non fit aliter inuide liber.

Si verò re parum inspecta & errore non indicato latraueris (quæ Pyrrhonorum quorundam, inter nostros est consuetudo: quorundamq; aliorum, qui deplorandis Cathedris insidentes, & inter ignorantes discipulos garrientes: videntur in scholis proceriores Gigantibus, cum tamẽ paruis infantulis sint minores) scias velim me non taciturnum: sed cum male dixeris (quantum christiani limites tulerint) peius te esse auditurum.

FINIS.